



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Veritates Æternæ Ex Prima Hebdomade Asceseos
Jgnatianaè Petitaè**

Vogel, Matthäus


Constantiæ, 1731


[urn:nbn:de:hbz:466:1-60667](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60667)



L. III 25

Th. 4578.





VERITATES

ÆTERNÆ

EX

PRIMA HEBDOMADE

ASCESEOS

JGNATIANÆ

PETITÆ

AD

STUDIOSÆ POTISSI-

MUM JUVENTUTIS USUM


ET SALUTEM PROPOSITÆ

A QUODAM SOC. JESU

SACERDOTE.

Missionis Paderborn. S. J.

Cum Facultate Superiorum.



CONSTANTIÆ

Sumptibus Martini & Thomæ Wagner,

Typis Joannis Conradi Waibel, 1731.

VERITATES

A TERRE

PRIMA HEREDOMADE
ASCENSUS

IGNATIANE

PETIT

STUDIOSA POTISSI

MUM JUVENUTIS USUM

ET SALLTEM PROPOSIT

A QVODAM SOC. JEAN

SACERDOTE

Cur. Facultatis Sapien...

...

CONSTANTIA

...

...



PRÆFATIO

Veritatum æternarum, quas S. Ignatius in Asceti sua proponit, consideratio, quantam hactenus Ecclesiæ utilitatem attulerit, latere potest neminem. Illud dolebam sæpe, Veritates ejusmodi nulli non hominum generi per libros passim impressos exhiberi, inculcarique, solam ferme Juventutem Studiosam, velut ad eas capiendas minùs idoneam, relinquere. Movit me amor, quo ætatem hanc teneram amplector in Domino, ut primùm Considerationes aliquot ea de re, privato discipulorum meorum usui idoneas, conscriberem; quas cum à variis adhibitas, à multis descriptas, à pluribus etiam non Studiosis expetitas, suo non caruisse fructu adverterem, luci publicæ eas committere

A 2

volenti

PRÆFATIO.

volenti, non potui non annuere. Servient, ut spero, etiam illis, qui Studiosi non sunt. Stylum quod attinet, adhibui, quem potui captu facillimum, Pietatem nimirum in his & Virtutem unicam quærens. Utere labore hoc, tu præferim Studiosa Juventus, ad salutem tuam. Modum meditandi si non calles, quem tamen reipsâ clarè expressum reperies, lectionis spiritualis loco tibi servient. Eo maximè tempore per dies aliquot continuos huic negotio operam à te dari optarem, quo ad Confessionem, ut vocant, Generalem te disponere cogitas, quod ante finem Studiorum Humaniorum fieri plurimum expedit. Mirabilem inde tibi Conscientiæ quietem, feliciorémque in facienda statûs electione successum polliceor; sicut in pluribus læta me docuit Experientia. Vale, & si te, si animam tuam amas, bene tecum sentienti obsequere.



ALLOCUTIO PRÆVIA

ad Studiosum.

Hæc ei potissimum servit, qui sequentes Considerationes in ordine ad Confessionem generalem per dies aliquot suscipere cogitat: poterit tamen & ab aliis legi.

Jeremias Propheta causam daturus, cur in tanta peccatorum multitudine paucissimi reperiantur, qui seriam de peccatis Pœnitentiam suscipiant, his verbis utitur: *Nullus est, qui agat Pœnitentiam super peccato, dicens: Quid feci?* Quasi diceret: Causa, cur inter tot peccatores vix ullum reperias, qui Pœnitentiam agat, hæc est, quia nullus recogitat corde, nullus rem seriò considerat, nullus sollicitè se interrogat: *Quid feci? Quid feci, dum peccavi? quantam Deo intuli injuriam? quanta mihi met bona rapui? quanta paravi supplicia?* Hæc si apud se cogitaret peccator, impossibile foret, ut neglectâ Pœnitentiâ in peccatis pergeret. Nunquid sic est, Studiosè? Nemo recogitat: *Quid feci? Vitam tu ipse tuam specta.*

Certè non ea fuit, fortè nec jam ea est, quæ certam tibi salutem faciat. Scelera à te multa facta esse nôsti; forsan etiamnum in illis hæres. Sed ubi Pœnitentia? quando eam ages? quando emendationem seriam inchoabis? Nondum scilicet rem seriò considerâsti: nondum ex te metipso quærivisti: *Quid feci?* aliàs periculi magnitudo majorem tibi salutis curam suggessisset. *Quid agendum est?* Ut excitetur in te verum emendationis desiderium, utere, quæso, paucis his vocibus: *Quid feci?* Examina non nihil vitam tuam. Age, aggrediamur rem.

Quid feci pro Dei gloria & honore? Anima mea, dic mihi. Creatus sum, ut Deo meo uni serviam, eum laudem, eum honorem. Obligabar, totam vitam meam Dei servitio consecrare, omnia ei momenta, omnes actiones immolare. *Quid feci?* Ubi sunt dies vitæ meæ? ubi tot anni? ubi menses? ubi dies? ubi horæ? an vel unicum annum, imò vel diem DEO totum consecravi? an quæsvi DEum meum laudare per orationes meas, per opera bona? *Quid feci?*

Quæstione hac sic factâ, cogita, adesse tibi Custodem tuum Angelum, qui te alloquatur verbis Jeremia cap. 2. Scito, quid feceris &c.

Angelus: Scito, quid feceris, Studiosè. Creatus eras, ut servires Deo: eum in finem tot jam tibi anni concessi sunt. Sed Scito, quid feceris. Dixisti, non serviam. Jer. 2. dereliquisti Deum tuum. Menses tui & anni transierunt;

&

& nec unicum ostendere potes, quem Dei ser-
vicio obtuleris totum: quin vel diem unum ex-
hibe, si potes, quo eundem non offenderis.
O quantam vitæ partem dedisti somno, otio,
vanitati, dæmoni? quantillam Deo? Horas
Orationi, Missæ, Concioni, Studiis destinatas
neglexisti, abbreviasti, aut cum tædio exegisti.
Tædebat nimirum te servire DEO per Pieta-
tem & Studia; at nunquam tædebat otii, nun-
quam laborum in dæmonis obsequio occuren-
tium. Hæc fecisti, & potuisti? *Fecisti mala,*
& potuisti. *Jerem. 3.* Sed perge:

Quid feci pro Cælo & Anima mea? Creatus
eram, ut post exhibita Deo in terris obsequia
æternum salvus essem in Cælo. Præparavit
Deus beatitudinem eam, quam nec oculus vi-
dit, nec auris audivit, nec mens assequi potest.
Dedit Deus animam, ut eam beatitudinis hu-
jus participem facerem. Jubebat Deus, ut la-
borarem pro cælo; ut curam gererem animæ:
labor imperatus levis erat, observatio præcep-
torum Dei; pia quotidianorum operum imple-
tio. Addidit divina Bonitas media innumera,
ne gravis mihi fieret labor. *Quid autem feci?*
Quid feci pro Cælo? ubi sunt dies vitæ meæ?
ubi bona opera pro cælo peragenda? An o-
rationes persolvi eâ, quâ par erat, devotione?
an studia suscepi eo fervore, quo mea requi-
rebat conscientia? an præcepta Dei mei obser-
vavi? *Quid feci pro Anima?* an ejus salus cor-

di mihi fuit? an eam aut mundam conservare, aut contaminatam mundare studui? *Quid feci?*

Angelus. Scito, quid feceris. Laborandum tibi pro Cœlo erat, & pro Anima tua: nihil tu pro Cœlo, nihil pro Anima laborâsti. Tempus, quod totum Cœlo & Animæ dari debuerat, otio datum est & dæmoni. Non est hora, quam seriò donaveris Animæ. Profer opera bona, quæ fieri pro Cœlo, obtinendo debuerant: quam paucareperies? quàm & illa tepida & imperfecta? econtra quot tibi horas, horas autem? imò quot annos ostendam, omnes pro inferno, omnes pro damnanda anima impensos? Vita tua tota quid aliud erat, ac una peccatorum series; id est labor pro inferno, labor pro interitu Animæ. Labor tuus esse debuerat divinorum impletio mandatorum; & ecce nullum propè est, quod à te violatum non fuerit. Et hæc pro Cœlo? Pro Anima quid? pretiosam Dei imaginem sceleribus contaminâsti; hosti infensissimo tradidisti; mundare lavacro Pœnitentiæ distulisti. Inclamabatur toties: Misere Animæ tuæ! unicæ tuæ, æternæ tuæ! Tu non secus, ac si mille haberes Animas, aut ac si res ludicra esset, Animam perdere; sic cum Anima egisti. Nihil pro Cœlo, nihil pro Anima egisti: multa pro inferno, multa contra Animam tuam. *Hæc fecisti. Jerem. 3.*

Quid feci pro Deo mihi conciliando? Scivi, Deum innumeris à me peccatis esse offensum:
Scivi

Scivi, Cœli & Animæ jacturam esse factam: scivi, tot menses & annos malè exactos: obversabatur animo meo ira Judicis severissimi: occurrebat salutis æternæ periculum: erant ad manum mediâ plurima. Quid feci? quomodo hæc adhibui? quâ ratione Deum mihi conciliare, tempus redimere, periculum salutis evadere laboravi? Quid feci?

Angelus. Scito, quid feceris. Sciveras hæc omnia, quæ fateris: & tamen peccata peccatis cumulare; Judicem iterum iterumque irritare, provocare ejus vindictam ausus es; tanquam certum tibi esset, Deo Judici insultare. Periculum damnationis effugere non laborasti, diu in peccatis sine pœnitentia commoratus. Confessus es, sed pœnæ scholasticæ metu potius, quam emendationis desiderio: factâ Confessione, datâ peccatorum veniâ, peccata repetebas eadem absque scrupulo: quod quid erat, nisi placatum Confessione Deum rursus ad iram, ad vindictam, ad ultionem provocare? ridere, ludere, jocari cum Deo? Poterat hic Deus te sæpissimè in peccato per mortem subitam è mundo rapere, uti rapuit alios; ex infinita bonitate non fecit. Hoc unum sanè vel saxeam cordis tui duritiem emollire debebat, & ad agendam seriam pœnitentiam, ad constantem tantæ bonitatis amorem inflectere: Tu verò, tanquam tua malitia cum Dei bonitate, tua ingratitude cum ejus liberalitate, tua vilitas & impudentia cum ejus

majestate & patientia certare voluisset; tu, inquam, iterum iterumque Deum offendere, irritare, contemnere ausus es. Et, quod horrorem cœlitibus ipsis incutiat, ipso sæpe die, quo Deus peccanti pepercit, quo Pœnitentem sanctissimo Corpore suo pavit, quid non ausus es? quære linguam tuam, quoties divino adhuc, ut ita loquar, rubens cruore, mendaciis, convitiis, detractionibus, aliisque sceleribus fuerit conspurcata. Quære membra alia. Ecce tuam pro Deo conciliando curam! Ubi Pœnitentia tua? Sciebas, unicum etiam Veniale peccatum dignum esse, quod continuis deploretur lacrymis, nullo non mortificationum genere expiatur. Quid tu tot peccatorum reus? *Scito, quid feceris.* Omnem in Studiis & Pietatis exercitio mortificationem horuisti, peccatorum oblitus, tuique quasi securus vixisti: satis tibi erat ea confessum esse, & O quomodo!

Sistamus hîc, Studiose: hoc enim ad agnoscendum Animæ statum satis tibi esse potest, nec non ad excitandum veræ emendationis desiderium. Unum scire jam velim, an ea, quæ dicta sunt, considerans, non cogites, aut dicas, quod Villicus ille Evangelicus ad rationem domino reddendam vocatus: *Quid faciam, aiebat, quid faciam?* Quære ex Angelo tuo: Angele mi Custos fidelis: agnosco quid fecerim hæctenus: agnosco, quantum erraverim. Sed quid faciam? an pereundum est? Loquere Angele mi.

Ange-

Angelus. Non pereundum tibi est, non tua in miseria tibi contabescendum. Quid faciendum tibi sit, si scire cupis, audi vocem Domini: Convertere ad dominum, & relinque peccata tua: precare ante faciem domini, & minue offendicula. Revertere ad dominum, & avertere ab injustitia tua, & nimis odito execrationem; & cognosce justitias & judicia Dei. --- In partes vade sæculi sancti cum vivis & dantibus confessionem deo. Non demoreris in errore impiorum --- Confiteberis vivens: vivus & sanus confiteberis & laudabis Deum, & gloriaberis in miserationibus illius. Quam magna misericordia Domini, & propitiatio illius convertentibus ad se. Eccles. 17. Ecce, cliens mi, hæ voces Dei sunt: amorem spirant & misericordiam. Lege denuo, & singulas expende, & intelliges, quid faciendum sit tibi. Non vult Deus, ut pereas in scelere tuo, sed 1. ut revertaris ad Deum per serium vitæ melioris desiderium. 2. ut relinquantur peccata per dolorem & Confessionem. 3. Ut ores sapius ad Deum pro remissione scelerum. 4. Ut minuas offendicula, hoc est, pericula peccandi fugias. 5. Ut aversus à peccato revertaris ad Deum per Pietatem & bonorum propositorum executionem. 6. Ut odio habeas execrationem, hoc est, peccatum. 7. Ut cognoscas justitias & judicia Dei, quomodo alios tui similes puniverit; quid peccantibus destinaverit &c. 8. Ut vadas in partes sæculi sancti, hoc est, ut cum sanctis jam sanctè incipias vivere, & fugias sæculum nequam

quam

quam, socios pravos. 9. Ut sanus & vivus confitearis, tempestive scilicet agendo pœnitentiam. 10. Ut laudes Deum propter misericordiam tibi exhibitam. Ecce hæc Dei monita, hæc consilia sunt; hæc audi; his obtempera. Convertere ad Dominum Deum tuum, deplora peccata, statue emendationem, incipe vitam sanctam. Hæc fac, & vives.

Studiose: audivisti, quid agendum tibi sit, Ego quod addam, non habeo, nisi ut te orem, & moneam verbis illis: *Ne tardes converti ad dominum.* Ne tardes amplecti pœnitentiam. Ecce offertur occasio vitam sanctiorem agendi, ne negligas eam. Agenda est Pœnitentia: res nimis certa est. Teste enim S. Basilio: *aut pœnitendum: aut ardendum!* datur optio inter pœnitere & ardere, inter pœnitentiam & infernum. Elige. Infernus si displicet, elige pœnitentiam. Jam verò in morte agere pœnitentiam difficile est, tutum non est: post mortem, impossibile est. Ergo hoc tempus restat, tibi præ innumeris aliis à Deo concessum, ut agas pœnitentiam. Pœnitentia autem vera est, præterita malè facta per Confessionem seriam deponere, nova non admittere, ab his se præservare. Facile hoc fiet, si sequentes Considerationes tardè, maturè, devotè expendaris. Age ergo, & animum cape. Vita, quam vivis, mutanda est. In eo fortassis statu jam versaris, in quo si moriendum tibi esset, perires æternum. Idem ergo tibi dico, quod cuidam clienti
suo

suo Angelus Custos : *Muta statum vita! muta mores!* Idem dico, quod S. Hieronymus cuidam studioso aliàs tibi devoto : *Vide ignes Tartareos : hi te expectant, si non ocyus convertaris.* Dico tibi, quod Angelus Lotho : *Festina salvari! salva animam tuam!* Dico, quod Deus : *Convertere!* Ecce dies salutis ; Deus offert gratiam, paratus te suscipere in gratiam. Quis scit, an unquam hanc tibi oblaturus sit, hoc si tempus negligas. Vindictam parat, si conversionem differs. *Nisi conversi fueritis, gladium suum vibrabit, arcum suum tetendit,* ait David Psam. 7. Horrendum est incidere in manus Dei Judicis : ergo in paternos ejus amplexus est redeundum : agenda pœnitentia : vita emendanda : Deus reconciliandus : animæ salus in tuto locanda. An enim te sponte damnare statuis? an vivere hostis Dei perseverabis? *Obsecramus pro Christo,* ajebat Apostolus, *reconciliamini Deo.* Obsecro te pro Anima tua : eripe eam præsentis salutis periculo. Obsecro te pro Deo : reconciliare huic, antequam irrevocabilem ferat damnationis sententiam. Tuimetipsius miserere, & dum tempus habes, operare bonum. *Dedimus corpori menses & annos : demus animæ dies. Vivamus Deo paululum, qui saculo viximus totum.* S. Pet. Chrysol.

Oratio.

OMnipotens, sempiternæ Deus, ô quanta est tuæ erga me bonitatis dignatio! Creaveras

ras me, ut tibi servirem in vita hac, & salvus aliquando fierem: debebam tempus omne, omnem vitam tuo unius donare obsequio, & animæ meæ. Et eheu! oblitus finis mei, quam vitam vixi? quid feci hætenus? Confundor & erubesco, Domine, dum hinc vitam meam, illinc bonitatem tuam respicio. O mira circa me tuæ pietatis dignatio! O inæstimabilis dilectio Charitatis! Rebellem, quem damnare millies poteras, sustinuisti ad hunc usque diem, quin & mediâ offers saluberrima. O Deus! O bonitas immensa! cur te unquam offendi? cur serò ad eò cognovi? Laudent te, Domine, creaturæ omnes pro inenarrabili hoc beneficio, quod mihi concedis: Ecce paratum cor meum, ô Deus: exoscuor clementiam tuam: oblatam mihi occasionem amplector. Stertebam hætenus in peccatis meis, immemor periculi, in quo versatur anima mea. Nunc, Domine, tempus est, ut expergiscar & surgam; tempus, ut me tibi conciliem. Hoc ipsum jam agam: dies sequentes negotio animæ meæ dabo: non patiar me distrahi occupationibus aliis, nisi maxime necessariis: horas omnes Considerationibus, & Examini impendam, ut sincerâ factâ Confessione totum me ad te, ô mi Deus, convertam. Tu misericors Deus, largire gratiam, ut dies hos sic exigam, ne illorum me aliquando pœniteat. Deus in adiutorium meum intende, ut, quod faciendum mihi esse cognovi, animosè per gratiam tuam aggrediar & perficiam.

Pro

Pro felici successu hujus negotii ora: Veni Creator Spiritus: Litanias de omnibus Sanctis, & præcipuâ quadam devotione Lauretanas de B. Virgine. Ordinem diei, quem observare possis, confice, sic ut manè præter horam Considerationis, des etiam horam examinandæ conscientiæ; tantum item à prandio: interponens hinc inde preces vocales Rosarii, Officii Mariani, auditionem Missæ &c.

Consideratio I.

De fine hominis à Deo creati.

Antequam eam incipias, recita orationem hanc:

O Beata Trinitas, unus Deus, miserator longanimis & multum misericors, in cujus conspectu sum prostratus; loquar ad Te Dominum meum, & audiam, quid loquaris ad me; cum sim pulvis & cinis, indignus conspectu tuo propter innumera peccata mea, de quibus doleo. Nihil sum, nihil possum ex me, in te verò omnia. In manibus tuis sum: tu mecum fac hac horâ, & in æternum, sicut scis & vis, modò gratiâ tuâ nunquam destituar. Trahe, accende & illumina me ad amandum & glorificandum te: attentè & devotè orare jubes; da quod jubes, & jube, quod vis. **O** Pater Sancte; tibi consecro memoriam meam: reple illam cogitationibus sacris, roburque in
cis

eis & constantiam largire. O Fili Dei-vivi!
 Tibi consecro intellectum meum : illumina
 eum luce veritatum æternarum, & earum mihi
 sensum tribue. O Spiritus Sancte, tibi con-
 secro voluntatem : accende illam ferventibus
 affectibus, eamque ita fove, ut nunquam in
 eis tepescat. O B. Virgo Mater Dei & ho-
 minum, adsis mihi in hora hac: Tu Mater
 gratiæ, dulcis parens clementiæ, tu me ab hoste
 protege, & mortis horâ suscipe. Angele Dei,
 qui custos es mei, me tibi commissum pietate
 supernâ, hac horâ custodi, illumina, rege, gu-
 berna. Omnes Sancti Patroni mei, adeste
 mihi & intercedite pro me!

*Hac oratio si fusior tibi est, recita Hymnum:
 Veni Creator Spiritus. Et hoc agendum est ante
 quamvis Considerationem.*

Recitatâ Oratione, imaginare tibi, te sisti ab
 Angelo tuo Custode coram throno Sanctissi-
 mæ Trinitatis, & ostendi tibi omnes Angelos
 & beatos, qui Deum ceu Finem & principium
 suum maximâ reverentiâ adorant. Roga gra-
 tiam agnoscendi Finem tuum paucis illis verbis:
Notum fac mihi, Domine, Finem meum.

Pars I.

Finis hominis in hac vitâ:

Doctrina. Creavit te Deus, mi Studiosè:
 eduxit te è nihilo: dedit vitam, quam ha-
 bes: dedit corpus: dedit animam: Animam,
 spiritum nobilissimum: instruxit eam dotibus
 us,

us, quibus Dei imaginem efficeret. Dedit membra corporis, linguam, oculos, manus. Quidquid habes, à Deo est. Creavit te, relictis innumeris aliis, qui Majestati divinæ melius fuissent servituri. Et hoc fecit DEUS, Majestas infinita, nullius indiga, tuæ etiam ingrati- tudinis præscia. Creavit ergo te, & posuit in mundo hoc. Sed quem in Finem? Audi, quid per servum suum S. Ignatium tibi dicat. *Creatus est homo, ut DEum suum laudet, revereatur, eique serviens salvus fiat.* Hic Finis tuus est in vita hac, hoc negotium tuum: ideo vivis, ideo creatus es, ut DEum laudes, reverearis, ei ser- vias. Sed quid est hoc? Laudare DEum fit verbo, fit opere. Verbo laudare DEum, est eum adorare, preces ad eum fundere, in ne- cessitate omni ad eum confugere, eum implo- rare. Laudare opere, est opera DEo placen- tia exhibere, DEum non offendere. Sic qui piâ intentione vacat studiis, adit templa, imò qui & ex sancto fine comedit, dormit, ambu- lat &c. laudat DEum. Idem agit, qui membris à DEo concessis ad pia opera, ad DEI cultum utitur. Revereri DEum, est eum velut præsen- tem honorare: exteriora reverentiæ signa DEo exhibere, præsertim in æde sacra. Servi- re DEo, est DEI voluntatem implere in omni- bus, servare præcepta DEI. Ex his colligis, quis sit Finis tuus in vita.

Reflexiones. I. Si DEUS solâ suâ bonitate mo- tus, te creavit, relictis innumeris aliis; si te

B

non

non lapidem, non arborem, non brutum, sed hominem fecit; si quæ habes, omnia à DEO sunt; si ad excelsum adeò Finem, ut est DEO servire, te creavit; quid concludis? quid DEO tuo debes? Rex quidam, si pauperem homunculum, relictis aliis, eveheret ad dignitatem toparchæ aut principis, si ei daret arma, concederet hortos, exstrueret palatium, adderet famulos; quid pauper ille ad hanc evectus dignitatem suo deberet benefactori? Nunquid gratias huic sæpe agere, & in aliquod gratitudinis signum omnia à rege sibi concessa, ad hujus defensionem pariter & honorem teneretur impendere? idem teneris & tu, & multò majus. 1. gratiæ agendæ sunt DEO. 2. ad DEI obsequium impendenda sunt omnia, quæ dedit. Dedit Corpus, dedit animam, dedit talenta, dedit membra, dedit tempus, dedit vitam: omnia divino cultui consecranda sunt; ut nihil cogitet aut velit anima, nisi ad DEI gloriam: nihil loquatur lingua: nihil audiant aures: tangant aut laborent manus, nisi ad DEI gloriam. Ut voluntas occupetur amando DEUM, lingua loquendo honesta & pia, auris audiendo conciones & pia monita; & sic loquere de aliis. Totum enim DEO debetur. Fructus arboris cujus sunt? nonne ejus, qui Dominus est arboris? Arbor si rationis compos esset, & fructus donare vellet alteri, annon iniquissimè ageret? Arbor es, à DEO plantata: Fructus tui sunt opera tua, cogitationes

tiones tuæ, verba tua : impiè agis, si non hæc omnia DEO donas, ad DEI honorem dirigas. Intra jam conscientiam tuam, & quære, quomodo hoc observaveris? An vel unicum membrum est, quod DEO semper consecraveris? An lingua? ah! detractiones, mendacia, convitia, sermones inhonesti eam dæmoni dedicârunt. An pedes? sed hos O quoties ad loca prohibita aut periculosa cum DEI offensa movisti! An manus? sed hæc ad labores scholasticos, ad orationem quàm pigræ fuerunt! an omnia vitæ momenta, imò an vel millesimam partem DEO tuo dedisti? dedisti otio, dedisti confabulationibus illicitis, dedisti dæmoni, DEO nihil, aut modicum certè. Scilicet non ad DEI honorem, sed offensam etiam uti ausus es vitâ tuâ, tuo corpore, tuâ animâ. Hæcne debita DEO gratitudo?

II. Si finis tuus est laudare DEum, eum revereri, ei servire; ergo hoc unum curandum est à te, ut hæc impleas. Quomodo impleta sunt? Laudare DEum, est eum colere per preces; est opera DEO placentia exhibere. Habes, Studiose, occasiones hoc agendi innumeras, per orationem manè & vesperi, domi, in templo &c. hanc quomodo persolvisti? quoties manè, quoties vesperi neglexisti? quoties tepidè, somnolenter, sine reverentia & attentione peregisti? Ubi opera DEO placentia? interroga conscientiam tuam. Quomodo reveritus es DEum? an velut ubique præsentem

honorâsti? an ubique præsentem credidisti? an in occasione peccandi cogitâsti: DEus adest: DEus videt me: DEus audit hæc. Homo non vidit, quod fecisti in loco illo; homo non audivit sermones illos; non notavit otium illud: at DEus vidit, DEus audivit. Hócne præsentem audeas tu, quod præsentem hominem non auderis? hócne revereri DEum est? In templo, ubi maximè præsens est DEus, quomodo eum reveritus es? & reverentur eum Angeli, & prostrati adorant DEum Eucharisticum: quia tu? examina tuum in templo versandi modum. Quomodo serviisti DEo? quomodo voluntatem ejus implevisti? Voluntas DEI est, ut in juventute tua DEo servias, ut serio te studiis applices, ut mandata observes. Hócne egisti hæctenus? Loquatur conscientia tot, tamque turpibus onerata peccatis: loquantur mendacia, inobedientiæ, otium &c. hócne est servire DEo? hoc amare DEum? Falleris, si verbis solis amorem aut obsequium contineri credas. Si amas DEum, moriendum tibi est potius, quam peccatum vel levissimum committendum, licet nescio quod, inde commodum tibi surgeret. Hócne egisti? quoties pœnæ metu, aut ne voluptate aliquâ careres, offendisti DEum otitando, mentiendo, negligendo sacra &c. Hócne DEo servire, DEum amare?

Affectus. Magne DEus, permitte, ut effundam cor meum in conspectu tuo. O quid est homo, quod memor es ejus? quid ego sum, quòd

quòd ab æterno dilexeris me, è nihilo me ad tantum Finem creaveris? Tua unius bonitas est, cui hoc debeo. Benedicta sit omnipotentia tua, quæ me creavit! laudent eam meo loco Angeli sancti, Cherubim & Seraphim. Hoc doleo unicum, quod nunquam antè hoc agnoverim, nunquam tibi gratias egerim. O me monstrum ingratitude, quid feci? Pœnitet, O DEus, pœnitet me! & quod neglexi, jam nunc ago: iterum iterumque gratias tibi ago, quòd me creaveris; & quòd ad tantum Finem creaveris, quid enim excelsius, ac tibi DEO servire? sed O nova doloris materia! quantum à Fine hoc meo deflexi! debebam, quæ dederas omnia, ad tui unius honorem impendere, tibi uni servire: & quid egi? O impudentiam meam! habes, Domine, contentem reum. Vixi oblitus finis mei; non video in corpore membrum, non in anima potentiam, non in vita mea diem tibi soli consecratum. Atque utinam non ea ipsa, quæ tuo honori debebam consecrare, ad tuæ Majestatis offensam impendissem! O quantum doleo ista cogitans! Doleo, O DEus, & ex corde doleo, quòd vel momentum fuerit, quo non vixerim congruenter Fini meo! Ab infinita tua Bonitate veniam rogo & spero per Jesu Christi merita!

Proposita. Posthac, Domine, vitam meam aliter ordinabo juxta Finem creationis meæ: præcipue peragam sequentia. I. Pro beneficio creationis agam indies, manè potissimum, gra-

tias, & ad divinum servitium me animabo verbis illis: abrenuntio tibi, Sathana, & adhæreo tibi, Christe. 2. Omnia membra mea, corpus & animam meam impendam servitio tuo; præsertim hoc membrum N. N. quo te toties offendi. 3. Laudabo te posthac accuratiùs, elevando manè ad te cogitationes meas primas, preces manè & vesperi devotè & reverenter persolvendo; laudabo & opere per actiones meas ad tuam gloriam directas. 4. Reverebor te ubique præsentem, cogitando: DEUS me videt! DEUS hoc audit: agam hoc maximè in illo loco N. N. Reverebor etiam in templo nihil agendo indignum conspectu tuo, non garriendo, indecorè stando, circumspiciendo &c. 5. Serviam tibi in juventute hac mea, in hac te amabo, & ut opere ostendam, abstinēbo tui amore ab illo Socio - - - illa Domo - - - consuetudine.

Imploratio divina gratiæ. Domine, qui dedisti velle, da & perficere. Per Jesu Christi cruorem & merita rogo, Miserere mei, & conforta me in propositis istis.

Recita in fine Affectum S. Xaverij: O DEUS ego amo te.

Pars II.

Finis hominis in altera vita.

D*octrina.* Finis tuus, mi Studiose, in hac vita est DEUM laudare, eum revereri, ei servire: hoc tuum jam negotium est. Quid vero

verò post vitam hanc? immortalis est anima, vitam etiam alteram spectat. Sed quid in ea? Creatus est homo, ut DEum suum laudet, revereatur, eique serviens salvus fiat. Ut salvus fias, ut æternum in Cœlo Felix sis, ut perpetuò DEum intuearis in Cœlo, ideo creatus es. Finis tuus Cœlum, beatitudo, DEus ipse est. Non habes in mundo manentem civitatem: Ad Cœlum tendis, ad DEum tuum. *Et nunc quæ est expectatio mea, nonne Dominus?* Non satis fuit divinæ Bonitati, te creare ad Finem excelsum, qui erat servire DEo; voluit etiam, ut æternum esses beatus. DEus, Majestas immensa, te vilem & abjectam creaturam ad nobilem adeò Finem evexit, ad gloriam, O qualem illam & quantam! dicite O beati Cœlorum incolæ, quid rei sit Cœlum, quid beatitudo? hoc scio, opus est omnipotentis & liberalitatis Magni DEI; est pretium Sanguinis Jesu Christi; est possessio ipsiusmet DEI. Cœlum locus est, ubi nullus dolor, nullus luctus, nullus mœror; omne gaudium, omnis delectatio. Locus est, in quo vel minimum gaudium multum excedit omnia, quæ mens humana concipere potest, gaudia. Tanta est gloria illa, quam expecto, ajebat Franciscus Seraphicus, ut omnis me pœna delectet. Quin si omnia Martyrum tormenta mille annis tolerari pro Cœlo obtinendo deberent, læto prorsus animo ea suscipere deberemus & tolerare. Vidit eam Apostolus & ait: *Nec oculus vidit, nec auris*

audivit, nec in cor hominis ascendit, quanta præparaverit DEus diligentibus se. Non vidit oculus: videre est in mundo pompas Regales, Cælareas, Pontificias: videre est thesauros, hortos, palatia ad omnem Majestatem & stuporem facta: sed quid hæc ad vitam æternam? quid ad Cœlum? levia sunt, nulla sunt. Cogita, quæ voles, Majestatem, quam voles, pulchritudinem & gaudia, quanta quanta voles: quid ad vitam æternam? quid ad Cœlum sunt? nihil sanè. Locus gaudiorum est Cœlum, uti infernus locus tormentorum: omnis in eo gaudiorum congeries, sicut in hoc suppliciorum. Et ad hanc te gloriam DEus creavit. Quid dico? nihil adhuc dixi: ad se ipsum perpetuò videndum creavit. Date verba, boni Cœlites, quibus hoc exprimam. Videre DEum, beatitudo est omnem mentem excedens; quam nemo capit, nisi qui, quanta sit DEI Majestas, capit. Ad hanc te gloriam DEus creavit, ut æternum videas DEum, delecteris in DEo, fruaris DEo. Quin ex mera sua bonitate te ad hanc creavit, non ex merito tuo; prævidens etiam malitiam tuam atque ingratitude. Quid sentis O Anima mea, de hac DEI bonitate?

Reflexiones. I. Si ad Cœlum creatus es; ergo non ad terram; ergo non, ut fruaris hic deliciis etiam cum offensa DEI; ergo Cœlum querendum in omnibus, fugiendum illud, quod à Cœlo abducit, nempe peccatum; omnis labor ad Cœlum dirigendus est. Terra tuo amore
indi-

indigna est. Vides forte Filium regis ludere cum scurris in platea, luto occupatum & limo: quid cogitas? an non hoc, hæc occupatio tanto filio indigna est? ad sceptrum, ad regnum natus est. Et tu ad Cœlum natus es: labor pro terrenis tuam dignitatem non decet. Ad altiora natus sum, dicebat S. Stanislaus. Facilis jactura regni est, aiebat S. Hermenegildus, quod amitti potest; illud ego regnum ambio, quod sine fine possidere possum. Maluit iste regnum perdere, quam Cœlum. Cur tu non eligas carere consortio aliquo, voluptate illâ, illo socio - - - ut æternum felix sis? cur non libenter valedicas brevi voluptati, ut æternam obtineas?

II. Cœlum est Finis tuus, tua patria. Peregrinus es super terram: Patria tuis semper oculis obversari debet: Cœli semper debes meminisse, hucque omnes actiones dirigere. Labor tuus scholasticus, quidquid agis, aut pateris, per bonam intentionem dirigendus est ad Cœlum, ad DEum, repetendo aureum illud: Propter Te Domine. Sartor fuit, qui moriens acum suam petiit, testatus, eam sibi clavis loco fore, quâ Cœli januam referaret, eoque eam non nisi ad DEI gloriam usus esset. Et calamus tuus, & quidquid tractas, Cœlum tibi referabit, si eodem modo utaris.

III. Ad Cœlum te DEus creavit, sed ut ad mercedem piæ vitæ destinatum. Cœlum datur illi, qui in hac vita laudat DEum, DEo

B s

servit.

servit. Merces non datur nisi laboranti; ergo nisi laboraveris DEum laudando, à peccatis declinando, bonum agendo, nulla tibi spes cœli est. Hinc Pelagia pœnitens suis ajebat: Curate animam! Laborate pro Cœlo. Mercedis hujus magnitudo & ad laborem animare, & in eo recreare te debet. Pro mercede quantum laboratur à famulo, ab ancilla, ab aulico! durus labor ei est; sed in labore mercedem respicit, & hoc se modo consolatur. Imitare: in tædiis, in laboribus tuis Cælum respice! in oratione, in studiis cogita: Cælum merces mea erit, laborabo strenuè. Digna est gloria æterna, pro qua laborem ad mortem usque. Patere, Agapete, sic se ipsum S. Martyr allocutus est; patere O caput meum; paulò post coronaberis! dignum est Cælum, pro quo hæc & majora feras.

Affectus. O Domine, cogor denuo exclamare: Quid est homo, quod memor es ejus? nōne gratis, & nullâ mercede propositâ servire tibi debebam, utpote mancipium tuum? Et tu tam amplam, tam ineffabilem mihi mercedem spondes, si brevi tempore tibi serviero? Confundor, Domine, illinc tuam bonitatem, hinc meam considerans ignaviam! O cur non ferventiùs tibi servivi? cur non ardentius te laudavi? Detestor ignaviam meam, O mi DEus: confiteor adversum me injustitiam meam: pro nihilo hætenus habui terram desiderabilem: non attendi, quantam mihi mercedem

dem præparaveris : quæsi in terris gaudiola,
voluptatulas in otio, lusu, peccato : vixi, quasi
non pro Cœlo, sed pro terra creatus essem :
non tibi, sed vanitati, sed dæmoni servivi. O
Jesu, quantum doleo ! O si sanguine meo
meam daretur delere malitiam ! O Domine,
tibi proprium est misereri & parcere : Mife-
rere miserrimæ creaturæ tuæ, & parce confi-
tenti malitiam suam !

Proposita. Ecce in conspectu Cœli & terræ
statuo hodie cum S. Borgia, mortali Domino
non servire, sed soli immortalis DEO. Te ama-
bo, tibi serviam, mercede etiam nullâ propo-
sitâ hoc agam. Præsertim propono sequentia.
1. Sæpius recordabor Finis mei adeo excelsi,
ad quem me creasti. v. g. dum aspicio Cœ-
lum, cogitabo : hujus ero incola, si DEO ser-
viam. dum dæmon in peccato offeret volup-
tatulam, dicam : recede sathana : indigna est
voluptas hæc, ut eam cum DEI offensa quæ-
ram ; majorem parat in Cœlo DEUS, si ei ser-
viam : malo breves in mundo, quam æternas
in Cœlo perdere delicias. 2. Omnia dirigam
ad DEUM per intentionem bonam, quam manè
faciam, & sæpe per diem renovabo verbis illis :
Propter Te Domine ! 3. Studia mea & labo-
res alios lætus peragam, cogitans : DEUS erit
merces mea. Idem cogitabo in quovis tædio
& difficultate.

Imploratio divinæ gratiæ, Tu O misericors DEUS,
qui ad nobilem adeo Finem me creare dignatus
es,

es,

es, miserere mei, & largire gratiam, ut proposita hæc fideliter impleam, tibi uni posthac serviam.

Colloquium vel Oratio ad DEum. O DEus ego amo te; nam prior tu amasti me. En libertate privo me, ut sponte vincetus sequar te. Nil cogitet memoria, nisi de tua gloria: nil intellectus sapiat, præterquam ut te capiat. Protestor, nihil velle me, nisi quod sciam velle te: quæ dono tuo mea sunt, hæc dono meo tua sunt: à te accipi, recipe, quid vis velis præcipe. Gubernas, sicut scis & vis, nam scio, quod amator sis. Amore solo dona me, ut ego quoque amem te, & vigil & per somnia, hæc dando dabis omnia.

Ad B. Virginem. O Beatissima Virgo Maria, quæ te Ancillam Domini vocasti, impetra mihi gratiam, ut ex hoc tempore fideliter DEO meo serviam, omnia membra, omnes potentias, me totum ejus cultui impendam, atque ita pervenire valeam ad Finem illum, ad quem me divina Bonitas creare dignata est. Ave Maria.

Ad Sanctos. Idem mihi à DEO vestro & meo impetrate, O Sancti Patroni mei, vosque imprimis O Sancti Adolescentes, qui à prima juventute in vitæ puritate constanter DEO serviistis: orate pro me, ut & ego vestris in terra insistentibus vestigiis eò perveniam, quò beati præcessistis. Omnes sancti & sanctæ DEI, intercedite pro me!

Con-

Consideratio II.

De Paucitate assequentium Finem suum, nec
non de mediis hunc assequendi.

Recitatâ Oratione, sicut ante primam Con-
siderationem monui, imaginare tibi ex
parte una Regnum Cœleste cum Sanctis, ex
altera Infernum cum damnatis; te verò in me-
dio dubium, quo venturus aliquando sis; an
cum innumeris ad infernum, an cum paucis
ad Cœlum. Roga gratiam agnoscendi pau-
citatem salvandorum, ut exinde salutari horro-
re correptus movearis ad amplectenda Salutis
media.

Pars I.

Paucitas assequentium Finem suum.

Doctrina. Creatus es ad Cœlum: creatus
es, ut æternum sis beatus. Eum in Finem
homines ad unum omnes creati sunt. Vult
DEUS omnes homines salvos fieri. Sed an
fient salvi omnes? an omnes Finem hunc suum
assequentur? an assequeris, an salvaberis tu,
qui hæc legis? ah horror! salvaberisne Studiose,
qui hæc legis? an salvaberis? ignoro sane.
Hoc scio, & te, & me, & omnes creatos esse
ad Cœlum; an eò perventuri simus, ignoro.
Hoc scio, paucos esse, qui Finem obtinent,
paucos, qui salvantur; qui verò damnentur,
esse

esse innumeros. *Dilatavit Infernus animam suam, & aperuit os suum absque termino.* Angusta est via, teste Salvatore, quæ ducit ad vitam, & pauci sunt, qui inveniunt eam: Lata est via ad interitum, & multi ambulant per eam. Quid clarius ac illud: *Multi vocati, pauci electi.* O Pauci! pauci! Fuit Archiepiscopus Lugdunensis, qui post 40. annos in eremo exactos mortuus, successori suo apparuit, dicens, tria hominum millia eodem, quo ipse, momento mortua coram iudice DEO comparuisse, ex his verò non nisi homines duos ad Cœlum, tres ad purgatorium esse admissos, cæteros ad Tartara detrusos omnes. O Pauci! O horror! Sub Bertholdi cujusdam concione animo deficiens Mulier, ubi ad se rediit, terrificam hanc habuit ad præsentem allocutionem: Scitote, quot quot adestis, hac me horâ raptam fuisse ad tribunal tremendi DEI: Sexaginta hominum millia coram eodem comparuerunt. Ex his sexaginta hominum millibus quot salvatos creditis? an partem mediam? esset hoc terribile satis. An partem tertiam? ah quis non expavesceret? audite & contremiscite: ex sexaginta hominum millibus (ah permittite O horror!) ex tanta hominum copia eheu! Tres -- Tres -- Tres soli & unici purgatorio adjudicati sunt, cæteri ad inferos dejecti omnes. An non toto corpore contremiscis, qui hoc legis? ex sexaginta! Ah terror vocem cohibet & calamum. Studiose mi, an salvaberis tu? an ego?

ego? an erimus inter paucos illos, qui Finem suum assequentur, an inter plurimos perituros? S. Bernardus in Concione quadam ad suos sic loquebatur: *Quis scit, O Fratres mei, an omnium, quos hic video, nomina scripta sint in libro vitæ? Quis scit, O mi Studiose, an omnium condiscipulorum tuorum nomina scripta sint in libro vitæ? quis scit, an non plures eorum, plures, O utinam non plurimi! damnandi sint? an & tu inter hos? quis scit? esse saltem inter eos potes. Hic me audi: Potésne esse inter plures perituros? potésne Fine tuo excidere? ah potes! potes quia homo es. An etiam excides? hoc ignoro. Unum scio: timuerunt Sanctis timuerunt, qui in rigore summo vixerunt. *Va misero mihi, ait S. Aug. nescio Finem meum: nescio, utrum amore, an odio dignus sim. Fremens & pavens mortem expecto: iram iudicis timeo, ne pro peccatis meis mittat me in gehennam ignis.* Hæc sanctus loquitur. Quid Studiosi? plerumque sine omni metu, sine cura sunt, quasi Cælo excidere non possent, aut ac si res ludicra esset damnari. *Sunt impij, ait Scriptura, qui ita securi sunt, quasi justorum facta habeant.* Timent sancti: rident peccatores. Quod verò hoc signum? pessimum. S. Eusebius enim dicit: *Inmittit Diabolus securitatem, ut immittat perditionem.* Qui maxime securi vivunt, proxime ab interitu.*

Reflexiones. I. Si pauci sunt, qui Finem suum assequentur, multi qui pereunt; ergo
potes

potes perire & tu; potes & tu damnari. Negare non potes. Ergo timendum est, ne fiat: ergo nunquam sine timore vivendum: ergo abiicienda est securitas maledicta. *Cum timore & tremore operemur salutem.*

II. Non satis est sterilis timor. Viator incedens per præcipitium, bene timet, ne decidat; si vero sponte viam periculosam transeat, quis miserebitur pereuntis? timorem cura comitari debet adhibendi necessaria ad salutem media. Quæ illa? S. Chryf. ait: *Vive cum paucis, si vis salvari cum paucis.* Idem aliis verbis dixit Eremita, de quo ante: *Age Pœnitentiam: Corrige vitam: non est tam facile salvari, ut plerique credunt. Vive cum paucis. Cum multis, idest, cum impiis si vivas, morieris etiam cum multis, & peribis. Ergo vivendum est cum paucis, cum piis: horum inspicienda sunt exempla: his adhærendum est, non pravo socio, qui à virtute aut studiis te avocat. Præterea quid Christus? Contendite, ait, intrare per angustam portam. Contendite, vires omnes, omnem laborem impendite: regnum Cœlorum vim patitur: violenti rapiunt illud. Laborandum est pro Cœlo, & serio laborandum: toleranda adversa & ardua: vis sibi ipsi inferenda. Sic Sancti egerunt. Non illi per commoditates in somno, in cibo & lusu, in libertate, non per rosas ad Cœlum abierunt. S. Ignatius monitus, ut finem faceret, aut moderationem saltem adhiberet rigori terribili, quo corpus suum habebat,*

habebat, reposuit: finite me hæc modica pati, ut negotium animæ in tuto collocem. Quid egere tot Martyres, etiam juvenes? quanta passi? quam durè semetipsos habuerunt? scilicet contendere volebant; rapere Cœlum volebant: serium eis erat salvari. Ah lacrymis dignares, videre homines pro terra sollicitos, pro Cœlo pigros! Vocat te socius ad lulum, ad otium, ad cauponam? alacer es: curris: volas: nec frigus curas, nec calorem. Ubi laborandum pro Cœlo est, accedenda fortè Sodalitas, schola, Templum, aut ubi studiis vacandum, O quæ desidia! jam frigus, jam calorem, jam nescio quid prætexis; nauseatur oratio: fastiditur Sodalitas: negliguntur studia: fingitur infirmitas &c. Et hæc pro Cœlo! & salvari sic cupis? De cilicio, de jejunio, aut flagellatione quid dicam? velut peregrina jam monstra ridentur. Non ita sanè illi, quibus serium erat salvari. Quæruntur jam a juventute commoditates, voluptates in lusu, cibo, somno, otio &c. At hæcne ad Cœlum via est? hocne est contendere? O Charissime, qui hæc legis, attende: non sic itur ad Cœlum. Cur? vivitur cum multis hac ratione; ergo & cum multis peribitur. Vive cum paucis.

III. Si Cœlum Finis tuus est, a quo aberrare potes cum multis, quid agendum? præcedunt te multi; varia hinc inde occurrunt, quæ te à Fine tuo abducere possunt. Quid ages? an illi, multi aut sequendi sunt, aut consulendi?

C

an

an admittenda illa, quæ te abducere possunt? Viator prudens quid agit? si ducem habet viæ peritum, hunc quærit: ad vestigia aberrantium non attendit: non admittit id, quod à via recta potest abducere. Ergo & tu sic age. Dux itineris tui Angelus Custos, Confessarius, Superior tuus, Parentes tui. Hos consule, an viam rectam teneas: horum consiliis obedi: si te à via perversa avocant, eis obtempera. Cave, audias voces sociorum à pietate, studiis, schola &c. te avocantium; à Cœlo te avocant, si hoc agunt. Neque mala aliorum exempla attende, & sequere; sed bona & sancta: nihil admitte, quod à Fine tuo te abducatur. Quære ex te sæpius cum S. Aloysio: Quid hoc ad vitam æternam? an socius ille, illa occasio, illa vivendi ratio, mihi proderit ad Finem meum? si conscientia, si DEUS dicat, nequaquam prodesse, sed nocere plurimum; sequere vocem conscientiæ, vocem DEI.

Affectus. Rex tremendæ Majestatis, timor & tremor venerunt super me, dum veritatem hanc expendi: multi vocati: pauci electi. Ah Domine, nunquid infinita Bonitas tua creavit me, creavit omnes pro Cœlo? & multi adeò pereant? An & ego inter hos multos ero? O timor! O tremor! Studiosos, qui mecum scholas adeunt, salvandos omnes esse non credo: damnabuntur ex eis multi, cheu! multi! egone etiam inter infelices hos ero, Domine? peribone etiam ego? O infinita Bonitas! tantum
à me

à me infortunium averte! Ah ne proicias me à facie tua! Scio, non vis mortem peccatoris, sed salutem: scio, non damnas nisi volentem. O Domine, nolo damnari: volo salvare animam meam. Ne proicias me. O infelicem me, si æternum à te proicerer! & possum tamen, O horror! possum damnari! O DEus, non cogitavi de periculo hoc: hinc vixi sine metu, vixi cum multis, periissem jam cum multis, tu nisi me servasses. Largire, quæso, hanc gratiam, ut vitam novam inchoem.

Proposita. Tuâ confisus gratiâ, sequentia statuo. 1. Salutarem semper timorem nutriam, cogitans: possum damnari! possum perire! 2. Vivam cum paucis, ut salver cum paucis. Pauci sunt, qui quotidiana pietatis exercitia accuratè obeant; pauci, qui sacra Confessionis & Eucharistiæ mysteria debito modo suscipiant; qui seriò se studiis applicent: cum his paucis vivam; non cum multis pigris, impiis, inobedientibus, ne cum his peream. 3. Contendam intrare Cœlum, vires omnes eò conferam; ero alacer ad obeunda sacra, audiendam Missam, conciones, studia: metu frigoris, caloris, aut alterius molestiæ non subducam me templo vel Sodalitati: assuescam etiam mortificationi in rebus saltem levibus. v. g. manè statâ horâ generosè è lecto surgam, preces flectens peragam, in templo non garriam, aut circumspiciam, manus in oratione reverenter jungam, in prandio & cœna ab uno alterove

C 2

gratiore

gratiore bolo abstinencebo, modico tempore adhibebo cilicium &c. Et quid tandem modica hæc sunt, si spectem ea, quæ egerunt Sancti pro Cælo? Mortificabo me etiam in studiis, dum occurret tædium, dum ab his me avocabunt alii, vincam me, studia non negligam. Verbo, quàm chara mihi salus mea est, tam chara erit mortificatio, quia sine hac eam obtinere nequeo. 4. demum sæpe ex me, ex Angelo Custode, ex Confessario meo quæram, an viam ad Cælum teneam? obsequar consiliis eorum, qui me dirigunt, non verò impiorum seductioni, Quæram etiam ex me illud: quid hoc ad vitam æternam? & si advertam, nil huc conferre, fugiam illud & detestabor.

Petitio Gratia. Hæc, Domine, agam, ut salutem meam in tuto collocem. Confige, quæso, timore tuo carnes meas, ut hoc impulsus, abstinenceam ab omni eo, quod Cælum mihi occludere potest, vivamque cum paucis, ne peream cum multis. *Recita hîc orationem illam: Anima Christi sanctifica me! præsertim repete illa verba: Nec permittas me separari à te!*

Pars II.

Media assequendi Finem suum.

D*octrina.* Terruit te, mi studiosè, ut spero, paucitas salvandorum: & non absque causa; agitur enim salus æterna. Sed unde, in-
quies,

instruxit, cruorem dedit & vitam; cibum etiam largitus pretiosissimum, non alium quam se ipsum; addidit Sacramenta alia, certissima salutis remedia. Ecclesia catholica, scriptura sacra, libri spirituales, Apostoli, Doctores, Confessarii quid sunt nisi media, quæ homini ad salutem obtinendam deservire possunt. Adde inspirationes internas, adde adversitates ipsas & morbos, eo enim fine omnia hæc à DEO immittuntur, ut homo salvari possit securius. Quò quò convertis oculos, media ad salutem vides: his pervenitur ad salutem; his quia pauci ritè utuntur, salvantur pauci.

Reflexiones. I. Si divina bonitas tot tibi concessit media, ergo verè vult salutem tuam; ergo si pereas, conicere in DEUM culpam non potes; ergo sola hominum malitia causa est, cur tot homines pereant: & tu si peribis, tua culpa est.

II. DEUS dedit innumera ad salutem media; ergo in manu tua est beatitudo tua; ergo si seriò velis, salvari per DEI gratiam potes.

III. Sanitas, talenta, tempus, vires, studia, sanctissima Sacramenta, libri spirituales sunt tibi data ceu media; ergo hæc adhibenda sunt, si salvari velis: talenta seriò applicanda sunt studiis; Sacramenta dignè & devotè suscipienda, audiendæ conciones &c. Quære jam conscientiam, an his mediis & quomodo usus fueris?

IV. Via ad Cælum non est nisi Innocentia aut Pœnitentia: ergo si neutram tenes, peribis.

Qua-

Qualem quæso, tenes? an innocentia? an nunquam peccasti graviter? felicem te! at timeo, ne pridem ab hac deflexeris. An ergo viam Pœnitentiæ tenes? an peccata omnia seriò confessus es? an dignos pœnitentiæ fructus profers per mortificationes? an studes emendare consuetudinem illam? an sæpe defles peccata præterita? hoc si non agis, viam pœnitentiæ non tenes. Quam ergo? alia ad Cœlum non superest. Hic te examina: si viam alterutram tenes, perge in ea: si minùs; hodie adhuc aggredere.

V. Si creaturæ sunt tantùm media ad salutem; ergo non sunt Finis tuus. Dedit DEUS creaturas, non ut in eis sisteres, sed ut ex illis ad DEI amorem ascenderes, ut ad salutem eas adhiberes. Stultus foret aurifaber, qui sisteret in contemplanda mallei sui pulchritudine, nec hoc ad elaborandum aurum uteretur: ita & homo ille desipit, qui in creaturis velut Fine suo sistit, nec eas ut media ad Cœlum obtinendum adhibet. Sistere autem in creatura velut Fine suo ille dicitur, qui plus creaturam amat, ac DEUM: qui DEUM offendit, DEI præcepta violat, ne creaturam offendant, aut hujus favorem perdat. v. g. socius creatura est, si DEUM offendis otiando, abstinendo ab oratione aut accessu templi, mentiendo &c. ne socio illi displiceas, ne ejus familiaritatem lædas, ut ei satisfacias; hoc, inquam, si agis, socium ut Finem tibi statuis, plus ac DEUM diligis.

ligis. Idem dic, si, ut voluptate aliqua in potu aut cibo fruaris, DEum offendis negligendo preces, non audiendo sacrum &c. O frequens, O terribilis malitia!

VI. Si creaturæ sunt media ad salutem; ergo in tantum adhibendæ sunt, in quantum ad salutem profunt; ubi verò advertitur, aliquam nocere posse, illico eâ abstinendum est. Aurifaber ubi advertit, nocere malleum in opere aliquo, eum non adhibet; adhibet, ubi prodesse advertit. Creaturis scilicet non licet uti, nisi quantum conducunt ad DEI servitium; ab hoc si una impedit, abiicienda est; adhibenda alia, licet minùs arridens sensui. Sic est socius, est amicus: uti eo potes: dum verò ad malum te incitat, dum à bono avocat, ad computationes, lusus aut graviores noxas invitat, dum inhonesta ore effutit; deserendus est illico. Est domus tibi grata: uti eâ potes: at si justa parentum voluntas obstet, si periculum peccati advertis, fugienda est. Ita propriis etiam membris uti non licet, nisi quantum ad DEI servitium conducunt. Oculos dedit DEus, ut Cœlum suspiceres: si ad illicita convertuntur, erue, proiice abs te; hoc est, mortifica eos. Lingua tua, talenta, sanitas, aliæque omnia velut media huc solum dirigenda sunt, ut DEo servias. Patet hîc examini campus. O quousque creaturæ alicujus amore abreptus es! unde contigit? Mortificatio deerat. hac in re requiritur continua sui victoria.

sanctissima Sacramenta O quàm tepidè, quàm etiam sacrilegè suscepi! sic ego mediis ad salutem usus sum! O malitia! O ingratitude mea! quid fiet de me, si ita perrexero? media si non adhibeo, quomodo ad Finem pertingam? Viam si non teneo, quomodo salvabor? Ah mi DEus! à via innocentiae pridem deflexi! viam poenitentiae velut nimis asperam horruì! quò deveniam, si sic perrexero? peribo aeternum. Ah prohibe hoc à me infortunium, misericors DEus! non meritus sum hanc à te gratiam, maximè quia te Finem meum non quaesivi, sed in creaturis velut Fine meo constituti, plus eas quàm te DEum meum amando; earum amicitiam tuam praeponeo; mortificationem omnem explodendo velut rem ridiculam aut solis Religiosis propriam. Fateor hæc coram te, & ideo indignum omni gratiâ profiteor. Verum non secundum peccata, quæ feci, neque secundum iniquitatem meam retribue mihi! Largire jam gratiam, vitam agendi aliam.

Proposita. Sic enim statuo: vitam aliam Fini meo conformem magis, institutam. 1. Media à DEO data impendam ad salutem meam; talenta seriò applicabo studiis: conciones, Sodalitates, scholam nunquam negligam: librum spirituales saltem diebus festis & dominicis legam: sanctissima Sacramenta cum debita præparatione & devotione suscipiam: monitis Confessarii, & Superiorum meorum promptus obediam. 2. Quia à via Innocentiae prò dolor! deflexi,

deflexi, pœnitentiam amplectar (si in innocentia prima adhuc sis, statue in ea permanere, fugiendo generose peccatum grave) peccata mea Confessione generali expiabo ! hanc N. N. consuetudinem emendabo ; mortificationes etiam in rebus licitis suscipiam. 3. Nunquam hominis amore DEum offendam, aut bonum aliquod omitam ; malo displicere socio, quàm DEo. Hinc si me quis avocabit à studiis, à templo, invitabit ad otium, ad scelus quodcunque ; non sequar : vim mihi inferam, & voluptatem, quâ frui possem in oblato otio, aut peccato, mihi negabo amore DEI mei. 4. Omnem creaturam, quæ me à Fine meo abducit, abominabor : hinc socium illum fugiam, fugiam otiosas illas circumvagationes ; quibus à studiis & virtute avocor. 5. Vincere me conabor asfiduè. Vincam linguam meam, ne proferat verba indecentia : vincam pedes, ne ambulent ad loca illicita : vincam aures, ne audiant illicita : vincam oculos, ne aspiciant inhonesta : vincam manus, ne extendantur, quò non licet : vincam tædium, quod occurret in studiis & oratione.

Petitio. Tu Domine, qui volentibus salvari, tuam non denegas gratiam, benedic mihi, ut quæ te inspirante concepi, fideliter exequar, & sic ad Finem meum ultimum pertingere valeam.

Ad Jesum Crucifixum. Jesu Christe, pro salute mea crucifixe, advolvor pedibus tuis, & gratias

tias

tias tibi ago pro agnitione veritatis adeò salutaris hodie mihi propositæ. Te, qui tanta pro salute mea passus es, rogo, ne permittas me æternum perire: per Vulnera tua rogo, ne proicias me à facie tua cum multis, quos proicias. Vivam deinceps per gratiam tuam cum paucis, ut me salves cum paucis. Oro supplex & acclinis, cor contritum quasi cinis, gere curam mei Finis. O DEUS ego amo te, nec amo te, ut salves me &c.

Ad B. Virginem & Sanctos. Maria Mater gratiæ, refugium peccatorum, anchora salutis meæ! O quantum me terret incertitudo salutis meæ! Ah pro me pete, ut quiete sempiternâ perfruar, ne tormentis comburentis stagni miser obruar. Eandem mihi gratiam impetrate O Sancti Patroni mei: Tu præsertim, mi Angele Custos, qui datus es mihi in ducem viæ meæ; dirige me, obsecro, ne à via ad Cœlum aberrem. Angele DEI, qui custos es mei &c.

Consideratio III.

De Peccato Mortali.

Recitata Oratione, imaginare tibi reum aliquem, qui centies mortem promeritus sit ob gravissima flagitia, stare coram Rege, cujus Majestatem læsit; & à quo plurimi alii ob multò minora peccata gravissimè puniti sunt, qui tamen paratus sit dare veniam reo supplicanti.

Cogi-

Cogita, te esse reum illum mille peccatis onustum, coram DEO tuo justo quidem Iudice, sed jam adhuc clementissimo Patre. Roga gratiam agnoscendi malitiam peccati, ut illud ex animo abomineris.

Ingressus.

Vidisti, quem ad Finem creatus sis; quamque pauci Finem illum assequantur: statuisti fugere omne illud, quod à Fine tuo te abducere potest. At quid illud est? solum peccatum est. Hoc solum Cælos tibi claudit, infernum reſerat. Ergo omnis cura, huc est vertenda, ut hujus agnoscas malitiam; hanc enim si agnoscis, peccare nunquam poteris; notitia peccati initium salutis est; haberi autem hæc potest tum ex ipsa natura peccati, tum ex suppliciiis & effectibus. Hinc tria hæc proponam: expende seriò; certè erit vox tua, quæ fuit Machabæorum: parati sumus magis mori, quam patrias DEI leges prævaricari. Aut ea, quæ fuit S. Casimiri: malo mori, quam fœdari!

Pars I.

Malitia Peccati ex Natura sua.

Doctrina. Peccatum est transgressio libera legis divinæ vel humanæ: dum quid agis, loqueris, cogitas, quod lex prohibuit, aut dum
omittis,

omittis, quod præcepit, peccare diceris. Peccator ergo violat legem DEI, etiam dum legem humanam à Superiore latam transgreditur; huic enim obedire lex divina jubet. Peccator violando legem DEI offendit DEum; hinc peccatum dicitur offensa DEI. Atque ex hac peccati natura colligenda est peccati gravitas. DEum offendere ah! quàm terribilis malitiæ res est! si cognosceres, quid sit offensa DEI ab homine facta, stupore attonitus humi corrueres. Offensa tantò est major, quantò dignior est Persona offensa, & offendens vilior. Jam metire Majestatem DEI, metire vilitatem hominis, & habes malitiam peccati in comprehensibilem. Quis igitur est, qui offenditur? Ah obstupescite Cœli! *Scito & vide, quia in Dominum DEum tuum prævaricata es*, ait Scriptura. *In Dominum DEum tuum!* O res terrifica! rumpetur dolore cor tuum, si hoc caperet. Age, quid dico, dum DEum dico? Naturam dico, quàm nihil cogitari potest sublimius, nihil præstantius, excellentius nihil. Naturam, quæ semper ab æterno est, & erit: quæ velut fons inexhaustus largitur creaturis omnibus essentiam, pulchritudinem, bonitatem, & quidquid in eis est: cui decedere nihil potest, nihil accedere: quæ tantùm creaturas omnes superat, quantum lux superat tenebras, creatura nihilum. Nulla regis Majestas divinæ collata Majestati tanti æstimari potest, quanti conditio vermiculi regis Majestati collata. Orbem
com-

complet univēsum, & sustentat omnia digito virtutis suæ. Omnis creata potentia imbecillitas est, si divinæ conferatur; hæc verbo uno mundum hunc produxit; verbo uno mille alios producere adhuc potest, millies hoc nostro perfectiores; quos omnes & momento uno redigere potest in nihilum. Divitiæ mundi totius sordes & lutum sunt, si divinis comparemus. Majestas tanta est, ut si creaturæ omnes intellectivæ semper in genua provolutæ eam adorarent, nec ab ejus laude per totam æternitatem cessarent, minimam tamen ejus perfectionem satis laudare non possent, aut venerari. Finge pulchritudinem tam eximiam, ut solo sui aspectu omnium rapiat corda mortalium; ut vel semel eam intueri æstimabilius sit, ac omnibus mundi voluptatibus per mille sæcula frui. Cogita Majestatem tam sublimem, cujus in obsequium omnia perpeti tormenta pluris sit æstimandum, ac toti mundo dominari. Cogita bonitatem immensam, quam unâ solum cogitatione offendere pejus sit, ac re ipsa in nihilum redigere Cælos, naturamque destruere universam. Adde Clementiam nullo in patre auditam, quæ injurias innumeras, ab infimo mancipio illatas, patientissimè tolerat, pœnitentibus ad unum verbulum ignoscit, quin & prima eis veniam offert. Adde Liberalitatem tam profusam, ut vota etiam superet; & quasi parùm esset mundum totum nostro bono condidisse, etiam ad cœlestis regni divitias invitet:
adde

adde decorem, qui intuentes in suavissimam
 extasim rapiat & per æternitatem omnem in
 sui contemplatione teneat defixos. His omni-
 bus animo conceptis, quotam Essentiæ divinæ
 partem te attigisse putas? Nec minimam certè.
 Infinite enim major est DEUS omni eo, quod
 ab intellectu creato concipi potest. Cogita
 ergo semper plures & plures perfectiones, eas-
 que centies & millies multiplica: compara eas
 numero stellarum in Cælo; arenulis in littore
 maris, aquarum guttulis in oceano: scito ta-
 men, enormem hanc multitudinem DEI per-
 fectionibus collatam infinitis adhuc modis esse
 minorem, quàm sit parvus vermiculus toti mun-
 do collatus. Quid igitur concipis, dum nomi-
 nari audis DEUM? nimirum Naturam aliquam,
 quæ ab æterno est, in æternum erit; occupat
 omnem locum, scit omnem veritatem; conti-
 net omnes perfectiones; infinite est potens,
 sapiens, pulchra; quam intueri summa beati-
 tudo: Naturam --- quid dico? cogor sanè
 fateri, quod Epictetus fassus est: quò plus la-
 bore in cognitione DEI obtinenda, eò minùs
 à me talem haberi posse, intelligo. Scilicet Ma-
 gnus Dominus, & terribilis est DEUS. Magnum
 vocas, cui vides ad nutum esse magnum fa-
 mulorum gregem; subditas esse urbes & popu-
 los; paratas omnis generis opes & delicias.
 Magnum vocas, cujus Majesta em palatiorum
 amplitudo & forma, hortorum pulchritudo,
 militum numerus & robur, subactorum rebel-
 lium

lium multitudo orbi stupendam faciunt & venerabilem. Quid ni oculos ad DEum tutim convertis, & Magnum exclamas, & Maximum adoras? Est ille DEus, cui innumera Angelorum cohors famulatur, quem laudant Angeli, adorant Dominationes, tremunt Potestates: Est ille DEus, cujus potestas immensa, Majestas infinita - - - quo denuo ravior imbellis homo? *Magnus Dominus & terribilis nimis*: hoc unum dixisse sufficiat. Liceat jam cum S. Bernardo exclamare: Et Majestatem tam terribilem vilis vermiculus audeat irritare? vilis vermiculus? **Obstupescite Cœli!**

Habes ex his ipsis Bernardi verbis, quæ sit persona offendens. Regem offendi à Rege grave est: Regem offendi à vili rustico, mancipio sordido, intolerabilis injuria est. Crescit ergo offensæ magnitudo etiam ex vilitate offendentis. Age, quis ergo audax ille, quis ille impudens, qui tantam tamque terribilem Majestatem offendere audeat? quid queris? Homo est. Homo offensor DEI? DEus offensus ab homine? O portentum! O intolerabile flagitium! ah quantum continent voces hæ: *DEus offensus ab homine*. Quis igitur est homo? quid es, mi studiosè, qui offendere DEum ausus es? Considera corpus, considera animam, & effare, quis sis. An non cum Davide exclamandum est tibi: *Substantia meâ tanquam nihilum ante te*. Corpus si spectas; es frustum ex argilla factum, nuper e luto emergens, paulò post esca-

D

ver-

vermium, cinis, nihil. Animam si vides, imaginem quidem DEI vides, sed ex se quid boni assequi potest? quid vel cogitare? nihil. Hæreditas tua est ignorantia mentis, malitia voluntatis, imbecillitas ad bonum, inclinatio ad malum: huic hæreditati innumeræ aliæ accedunt miseræ. Totus nimirum animal es, scatenus vitiis, elementorum injuriis expositum, rerum omnium egens, fragile, imbecillum, caducum, ad interitum se ipso tendens. Jam ex adverso Divinæ te Majestatis pone; comparat tuam existentiam nuper cœptam cum vita DEI nécessaire & æterna; tuam vilitatem cum ejus magnitudine; tuam imbecillitatem cum ejus omnipotentia; miseriam tuam & verè mendicam inopiam cum ejus perfectione; te totum cum DEo toto; & quæso, quantus in hac comparatione videri potes? Vide prius, quid sis collatus hominibus omnibus. Fuerunt, eruntque adhuc multa hominum millia: his omnibus si tu ex parte altera compareris, quæso, quantilla portio es? an tanta, quanta est musca homini collata? multò minor. Jam perge: quid, quæso, es collatus uni Angelo? homines omnes uni Angelo collati minus quid sunt, ac pulvisculus collatus toti universo. Si ergo tu jam antè cum hominibus comparatus minus aliquid eras, ac musca, quid jam eris collatus uni Angelo? quid collatus mille imò omnibus Angelis? Cùm verò & omnes Angeli in unum collecti, si cum DEo conferantur, minus sunt

ac

ac muscula Regi maximo collata, collige, quæso, & considera, quantus tu demum esse possis tanto DEo comparatus? *Omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram eo*, ait Isajas. Quid ergo tu? ah! dic denuo: *Substantia mea tanquam nihilum ante te.* Si ergo tua hæc vilitas te coram DEo tam humilem reddere deberet, ut altissimo terrore totus tremens, facie humi prostratâ, ne oculos quidem ad tantam Majestatem auderes attollere, quantæ, obsecro, temeritatis erit frontem adversus tantam Majestatem erigere? Tu, tu vermicule vilissime, tu muscula misera, tu vile, abjectum, sordidum nihilum ausis contra DEum tantum & tam terribilem insurgere, eum laceffere, contemnere, irritare? O Cœli! O proterviam sine modo, sine exemplo! O monstrosam! O inauditam temeritatem! Eò te, tantillum homuncionem, ignobilem terræ vermiculum, eò furoris, eò proterviæ progredi posse, ut, cum supremus ille Cœli terræque Monarcha in altissimo Majestatis solio residens, humillimis coleretur Angelorum obsequiis, tu indignissimis eum modis auderes laceffere? tu DEum? tu putredo? tu paucillum pulvisculi? tu vermicule? O Cœli! Cœli obstupescite! Lucifer, quòd contra DEum hunc se erexerit, temeritas fuit inferis digna: & tamen Angelus fuit; Angelorum nobilissimus fuit; te multò excellentior, multò nobilior. Quanta igitur tua, vilis vermicule, temeritas, contra Tonantem insurgere audentis? Vermiculus si contra Regem,

gem, pygmæus contra gigantem insurgeret, nunquid audacia foret non ferenda? foret, sed tuæ similis non foret. Unum obstupesco, quòd Angeli videntes tantam Regi suo inferri injuriam; quòd creaturæ cæteræ tantâ Creatorem suum ab homine contumeliâ affici videntes, non illico ad vindictam sumendam profiliant, dicentes cum fidei illo Davidis milite: *Quare maledicit canis hic mortuus (Semei) Domino meo regi? vadam & amputabo ei caput.*

Necdum sistamus. Quis est, qui offenditur, & à quo? *In Dominum DEum tuum pravaricata es.* DEus, Creator, Dominus, Pater, Benefactor, Judex offenditur à creatura, servo, filio, ab eo cui beneficia præstita sunt, ab eo quem judicaturus est. *Audite Cœli & auribus percipe terra!* 1. Creator est, quem offendis, mi studiose. Creavit te ex nihilo; ergo te totum ei debebas, uti opus ab artifice factum totum se artificio debet, si is omnia subministravit. Manus tuas DEO debes, oculos, pedes, te totum DEO debes. Ergo non licet vel manum, vel pedem, vel aliud membrum movere nisi ad DEI gloriam. Hinc Spiritus S. ait: *In omni virtute tua dilige eum, qui fecit te.* in omni virtute: sic æquum est. Peccator quid agit? *Audite Cœli! Dominum DEum, qui fecit te, dereliquisti, & oblitus es Creatoris tui.* O quæ injuria, legem ejus à te violari & contemni, cujus nutui servire totus debueras. 2. Conservator est, quem offendis. Architectus domo exstructâ abit;
hæc

hæc enim suâ se mole sustentat. DEus creato homine manum si amoveret, iste in nihilum recideret. Conservat ergo hominem omni momento vitæ. Si ergo pro creatione totum te DEo debes, quanto magis pro diuturna a deo conservatione. Quid tu peccando agis? obsequia novis nominibus debita subtrahis, duplicatâ injuriâ legem ejus contemnis. 3. Pater est, quem offendis. Pater noster, qui es in Cœlis. Quid, quæso, à Patre amantissimo expectare potes, quod non uberius à DEo præstitum fuerit? alimenta, victum, vestitum suppeditant Patres. Quid tibi DEus? *Filios*, ait, *enutrivit & exaltavit*. Enutrivit: O quam pretioso cibo! cibo gratiæ divinæ, inspirationum sanctarum, cibo angelico, Corpore scilicet & Sanguine Eucharistico: enutrivit modo tali, quali nullus patrum prolem suam nutrivit hactenus. Et quid egisti? *Ipsi autem spreverunt me*, ait DEus. Ipsi Filii mei tam pretiose nutriti, tam sanctè educati, Filii mei, Studiosi, sæpius Corpore & Sanguine meo refecti, majoribus à me affecti beneficiis, ac homines alii, spreverunt, contempserunt, conculcârunt Me, Me Patrem suum amandissimum. Obstupescite Cœli! Patri refragari, Patrem contemnere, calcare etiam, O quam enorme scelus! O studiose, nonne ipse est Pater tuus? & huic, quoties peccâsti, insultâsti! non horres ad scelus tuum? non expavescis? 4. Benefactor est, quem offendis. Quid habes, quod non accepisti

pisti ab eo? numera beneficia, si potes, tibi
 collata. Quòd vivis, cujus beneficio vivis?
 nōne DEI? quòd in fide vera natus es, &
 educatus, cui debes? nōne DEO? quòd ab
 innumeris animæ & corporis periculis servatus
 sis hactenus, cui debes? nōne DEO tuo?
 Manus tuæ, fanitas tua, talenta tua à quo
 sunt? nōne à DEO? verè dixit tibi DEUS:
Charitate perpetuâ dilexi te. Nam ab æterno
 disposuit, ut nascereris parente catholico, in
 loco catholico, tempore tali & occasione, ut
 facillimè salvari posses. Dedit parentes, qui te
 applicarent studiis, per quæ excultus ad sanctif-
 sima Ecclesiæ officia præ innumeris aliis ido-
 neum te facere potes. Si parva hæc sunt, ani-
 mam tuam vide, & majora agnosces. Bene-
 factor hic tuus, qui tanta tibi hactenus præsti-
 tit, majora adhuc præstare paratus est in Cælo.
 Et hic ille ipse est, quem offendis. Audite Cœ-
 li! *Filios enutrivit*, tantis, tot ornavi beneficiis,
 & *ipsi spreverunt me*; quin (horreo dicere!)
 quin ipsa adeo beneficia contra DEUM bene-
 factorem adhibuerunt. O audaciam! O pec-
 cati malitiam! Audisti hoc Studiose? ipsa DEI
 beneficia contra DEUM peccando adhibuisti.
 Pecunia à parentibus concessa, talenta tua,
 vires tuæ, valetudo, tempus quid nisi bene-
 ficia DEI sunt, innumeris aliis negata, tibi
 singulari amore concessa? qua autem ratione
 à te adhibita sunt? nōne hæc ipsa fuerunt in-
 strumenta, quibus amandissimum benefacto-
 rem

rem

rem tuum toties, tam protervè offendisti? nonne sanitas, talenta, tempus eò tibi servierunt, ut tantò liberius DEum offenderes, à quo ea tibi data erant? Et leve hoc credis? De mendico quid dices? dederas ei pecuniam pro eleemosyna: is venenum emit, quo te interficeret. De milite quid sentis? accepit is à rege gladium gemmis divitem, velut speciale regii amoris argumentum: ille in donantis jugulum convertit, regem eodem gladio trucidavit. An non ingrati animi prodigia sunt impii ejuscemodi? an non mille rogis digni? Tu, tu, Studiose, hoc ingratitude monstrum es; tu, tu ille impius mille inferis dignus. Poterat te DEus creare cæcum, mutum, surdum; poterat te permittere nasci parentibus egenis, ethnicis: non fecit, sed oculos tibi, aures, linguæ usum, innumera alia præstitit beneficia. Et tu hac ejus liberalitate, hac linguâ, his oculis, his beneficiis DEum ipsum quoties offendere ausus es? dum peccâsti, beneficiis DEI contra DEum usus es. O exhorresce tandem ad hanc peccati malitiam!

Redeo ad primum. Quis est, qui offenditur? offenditur DEus. DEus, DEus est, qui offenditur. Non horres, studiose? non toto corpore contremiscis? non peccatum ex animo detestaris? Ah! non agnoscis, quanta, quàm terribilis, quàm infinita sit DEI Majestas. Agnovit nonnihil David & exclamavit: *Nonne DEo subjecta erit anima mea, quia ipse est DEus*

meus? quasi diceret: possibilene est, ut me non subiiciam DEo meo? DEus est: quid ultra requiro? Sed quæro denuo, quid est DEus? hoc enim tibi maxime inculcatum opto. Quid est DEus? Si scirem, quid DEus esset, aiebat ille, aut ipse essem DEus, aut DEus non esset DEus. Ne tamen taceam; considera, quæso, vastitatem terræ nostræ, tot montes, tot maria, tot urbes & regna: omnia hæc DEus uno momento creavit: plura potens verbo uno creare. O quantus Dominus! veniant omnes terræ reges, & vel unam musculam creent: non possunt. Quid ergo hi omnes tanto Domino collati? Vide cælos, augustum illud divinæ Majestatis palatium. Hos ille momento produxit, producere potest innumeros alios. Numerosa stellas: numerosa Angelos, qui omnes ad nutum hujus Domini sunt. O quantus Dominus, qui his omnibus imperat, omnia conservat! Non est DEus noster, DEus imbellis, quales cæca coluit antiquitas. Est ille DEus, qui innumera rebellium Angelorum millia deturbavit ad inferos: qui Parentes nostros primos Paradiso ejecit: murmurantes Judæos jam terrâ absorberi, jam ignitis serpentibus trucidari, jam hostium furore interfici permisit. Est ille DEus, qui urbes scelestas lapsis Cælo ignibus exussit, orbem universum terribili illo diluvio castigavit: Ille DEus, qui in justitia sua succendit Tartarâ, eoque quovis momento peccatoris animam deturbare potest: qui ar-

mare

mare semper potest omnem creaturam contra
 eos, qui Divinæ Majestati reluctantur. Verbo:
Terribilis DEus, & magnus vebementer, & mira-
bilis potentia ejus. Eccl. 43. Et hunc tu DEum,
 hunc Dominum, hunc benefactorum tuum,
 hunc Patrem tuum, hunc Creatorem & Con-
 servatorem tuum, tu -- tu -- vah! tu vilis
 vermicule, tu creatura, tu degener fili, tu nihi-
 lum, tu hunc offendere? hunc irritare? hujus
 leges violare? *Fecisti mala & potuisti*, exclamat
 obstupefactus Jeremias. *Fecisti & potuisti?*
 an possibile fuit, ut hoc auderes? tu contra
 DEum? Horres, credo, si quid humani in te
 est, ad ea, quæ audivisti. Augebo terrorem:
 attende.

Quis est, qui offenditur? *In DEum tuum præ-*
varicata es. Quis DEus tuus? ille singulari jure
 tuus dicitur, qui te redemit. Sic tuus foret
 Dominus, qui te e captivitate Turcica pretio
 oblato eriperet. Quis ergo ille? Scis ipse: Re-
 demptor tuus Jesus est: hic offenditur à te,
 quem suo sanguine, suâ morte redemit ab in-
 feris. Hic quid dicam? O lacrymas! lacrymas,
 & eas cruentas date Cœlites! Jesus tuus, mi-
 studiose, Salvator tuus, Redemptor tuus offen-
 ditur, à te, cujus amore cœlum deseruit, na-
 tus in Bethlehem, in præsepio reclinatus, fri-
 gore, fame, siti, paupertate, contumeliis, op-
 probriis innumeris affectus est: qui pro te ca-
 tenas, verbera, sputa, flagra, ipinas, crucem,
 mortem (& O quam illam acerbam!) sustinuit:

D s

hic

hic, hic à te offenditur. O Jesu mi! O mi studiose, quò me convertam? Jesus omnem amorem, omne obsequium meritis offenditur! O ubi voces, quibus rei gravitatem exponam? Sed utinam (quid dico?) utinam offenderetur tantum, & non acerbius haberetur! Audi, studiose, quid dicat Apostolus: *Rursum crucifigentes sibimetipsis Filium DEI.* Quid est hoc? O Coelites servate me! ergo peccator, dum peccatum admittit, sic offendit Redemptorem suum, ut eum veluti de novo crucifigat? Sic Apostolus docet: catholicus negare non audet. O Jesu! O peccatum! Jesus de novo crucifigitur! ergo peccator Christum quodammodo crucifigit? ergo tu, studiose, dum peccas, in Christum cum Judæis irruis, catenis eum ligas, sputis oneras, colapho cædis, flagellas de novo, coronas de novo, irrides de novo, condemnas de novo, crucifigis, trucidas de novo: non quasi reipsa trucidari adhuc posset, sed quòd tantam ei inferas injuriam, quantam Judæi Christum ligantes, conspuentes, crucifigentes ei intulerunt. O studiose, quid hoc? sic tu cum Jesu tuo agis? quid amplius dici, quid terribilius cogitari potest? sic agere cum Jesu, quem infinito amore complecti æquissimum est! O malitiam ipsâ diabolicâ majorem! O peccatum quid es! O quàm pauci te agnoscunt!

Meliùs ut agnoscas, ipsam peccati injuriam considera, quam DEo optimo infert. Erras,
si

si cogitas: quid demum mali DEo infertur, si peccem, cum nihil nocere ei valeam? unde ergo peccatum gravem adeo haurit malitiam? Erras, inquam; nam gravissima potest esse injuria, licet corpus non lædat. Jactas v. g. opprobria in regem: non læditur corpus regis: nihil ei nocet. An ideo gravis injuria non est? Sed in quo ipsa peccati injuria posita est? inquires; dicam: in ipso DEI contemptu. Dum peccas, eligis bonum aliquod temporale, lucrum, voluptatem, quam DEus prohibuit, & quidem ita prohibuit, ut si eam eligeres, jacturam faceres gratiæ & amicitiaë DEI. Eligens igitur in peccato voluptatem, amicitiam DEI voluptati postponis; eam minoris facis ac voluptatem: idem agis, ac si diceres: video, quod tu, O DEus, mihi prohibeas hanc voluptatem in otio, in lascivia &c. Audio, quod mineres mihi odium & inimicitiam tuam, si voluptatem illam eligam. Non curo ista: malo voluptatem hanc, quam tuam amicitiam: majoris æstimo gaudium hoc, quam te: legem tuam non curo: ego fruar voluptate hac. Te ipsum quero, an non horrendus est iste Majestatis divinæ contemptus? an non injuria gravissima? bonum summum, DEum infinitum, DEI amicitiam postponere vili, sordidæ, brevissimæ voluptati? Horres, dum audis Christo Barrabam fuisse præpositum, & immanem agnoscis injuriam. Hæc injuria toties à te repetitur, quoties peccatur graviter. Scio, quid dicas:

Non

Non ideò fruor voluptate illâ, non ideò legem violo, ut DEum spernam, aut ejus amicitiam, sed ut genio meo satisfaciam. Cæcum te! hoc ipsum est, quod tantam DEo infert injuriam; in hoc ipso est contemptus divinæ Majestatis. Servus si tibi obedire renueret, nunquid contemni te ab eo diceres? Subditus si Domini sui legem sciens violet, nunquid contemnere dicetur Dominum suum? Nunquid contemnis amicum, cui tergum vertis; aut judicem, quo præsentem peccas? At si dicat servus subditusque, se id non ex contemptu facere, verum ut aliquâ voluptate fruatur; quid tu dices? hoc dices, credo; in hoc ipso contemnit Dominum, quod legem violatis: facta vestra contemptum clamant. Ita certum tibi sit in peccato quovis injuriam DEI terribilem contineri. Hinc Apostolus: *Per Prævaricationem legis DEum inhonoras.*

Injuriam hanc graviorem reddunt circumstantiæ aliquæ, quarum unam alteramue propono. Et primò quidem quæro: ubi peccas? ubi offendis DEum? Responde, quod res est: in conspectu DEI. O malitia! quis subditus adeò effrons est, ut in conspectu regis sui, regi audeat insultare? regis lacerare decreta &c. scis tu DEum esse ubique, præsentem videre omnia, omnia audire, scire omnia: et præsentem hanc DEI Majestatem adeò non times, ut præsentem, videntem, judicem DEo audeas, quod præsentem viro honesto non auderes? Legem

gem violas; & adest Legislator? contemnis
 pœnas; & videt iudex? conculcas sanguinem,
 pretium redemptionis tuæ, & videt Redemptor?
 In ipsam DEI faciem renuncias amicitiaë DEI;
 reluctaris ei in faciem; eo spectante ad dæmo-
 nem te convertis? ubi, quæso, injuriam reperies,
 si hæc non est? Secundo, quando peccas?
 Postquam scilicet te DEUS per Baptismum re-
 cepit in gratiam & filium: postquam toties
 sanctissimo Corpore & Sanguine suo te cibavit
 potavitque; postquam vitam pro te dedit &
 sanguinem: eo ipso tempore DEUM offendis,
 quo te conservat, custodit per Angelos, servat
 ab interitu, inhibet dæmonum rabiem, Cœ-
 lum offert; eo tempore -- O pudor! quid sen-
 tis de filio, qui dum inter ulnas tenetur à
 patre, patris faciem conspuerit? impius est, in-
 quies, mille necibus dignus. Tu, tu ille im-
 pius es: teneris inter ulnas verè paternas divinæ
 Providentiæ: fovet te ista, sustentat & con-
 servat. Et tu quid? dum peccas, divinam quo-
 dammodo faciem conspuis, involas in patrem,
 atque, si fieri posset, trucidare attentas. O in-
 juriam, ad quam vel ipsa Tartara cohorescant!

Unum adhuc quæro, relictis aliis, sed hinc
 velim, totum te colligas. Cur DEUM tuum
 offendis? *Cur me cædis?* quærebat Christus.
 Cur? quam ob causam? quid feci tibi? quid
 per mei offensam quæris? Responde, Studiosè
 mi. Cæteris quæstionibus respondi, non sine
 terrore quidem: sed dum hinc respondere cogi-

to, O! O quantum expavesco! profecto si quid est, quod ingenuum hominem ad lacrymas, ad scelerum detestationem movere possit, hoc ipsum est. Cur ergo DEum offendimus? cur tantâ injuriâ afficimus Patrem nostrum? Dominum nostrum? Redemptorem nostrum? cur? quid peccando lucratur? res sanè ingens sit, necesse est, quia ejus amore DEum nostrum deserimus. Cur? quid hætenus commodi è peccatis tuis hausisti? quid in illis quærivisti? Non respondes? nec ego ausim. Te ergo quæro, Domine DEus, verbis illis: *Propter quid irritaverunt te, Domine?* propter quid? an ut regnum aliquod aut imperium acciperent? sed ne vel sic quidem debebant te offendere. propter quid? Aures nunc arrige; sic enim DEus per Ezechielem respondet: *Violabant Me* (Violabant, irritabant, contemnebant, me DEum suum, me Dominum suum, me Patrem & benefactorem suum violabant:) *propter* (ah permittite dolor, ut loquar!) *violabant me propter* (O Cœli expavescite!) *violabant me propter* (ah dicamne? an non cor dolore rumpetur; rumpatur sanè, causa justissima est; dicat lingua, quod nisi DEus diceret, dicere non auderem) *violabant me propter pugillum hordei & fragmen panis.* Dixi satis: hæret lingua, stupet calamus. Ah! propter fragmen panis! propter vilem voluptatulam! propter vile lucrum! ob momentaneam delectatiunculam DEum offendere! O! O peccatum! O injuria! O Magne, O in-

æsti-

æstimabilis DEus ! hucne ergo humana progredi potest protervia ? desino , desino mirari, quòd ignes æternos peccato destinaveris : mille, mille inferos para , non sufficient injuriæ tantæ.

Reflexiones. Fusior fui, studiose; hanc unam enim materiam altissime infixam animo tuo cupio ; quod si impetravero , salus tua loco beato est : peccatum qui agnoscit, in æternum illud non admittet. Pauca denuo seligamus.

I. Si peccatum est offensa tanti & talis Domini ab homine vilissimo facta , & quidem facta per ipsa DEI beneficia , præsentem DEo , tempore quo homini benefecit , ob rem vilissimam : ergo res sanè terribilis est peccatum : ergo errant homines liberè adeò peccantes , quasi res levis esset, aut contemnenda : ergo quasi à facie colubri fugiendum est peccatum. Itane hæcenus egimus ?

II. Audisti , quòd injuria præcipuè consistat in illo contemptu , qui exercetur , dum vilis creatura, vilis voluptas confertur, imò præponitur DEo. Et nunquid exinde summam peccati gravitatem agnoscis ? Dæmon dum ad peccatum te invitatur, velut in lance una DEum ponit, in altera creaturam, delectatiunculam, voluptatem : te incitat , ut eligas, relicto DEo, voluptatem. Horrenda res, DEum creaturæ conferre ! quid erit etiam postponere ? dum peccas , DEum respicis, creaturam eligis : plus apud te valet creatura, quam DEus. An hoc leve?

leve? Cui assimilasti me? quærit DEUS per
 Isaiam. Ergone DEUS res tam vilis est? Cogita,
 obsecro, offerri tibi ex una parte Hostiam con-
 secratam, ex altera aleam aut folium pictum:
 jubearis eligere, quod voles. An non horres
 sacratissimam Hostiam cum re vilissima con-
 ferri? quid si esset, qui aleam eligeret, & S.
 Hostiam à se abiiceret? quos inferos satis acer-
 bos reperires? Cur igitur non horres pecca-
 tum omne? in omni peccato gravi idem DEUS,
 qui in S. Hostia continetur, vili voluptatula
 posthabetur. Ergo res terribilis est peccare.
 Non auderes S. Hostiam, de qua dixi, reiicere,
 aleam eligere: ergo nec audeas unquam pec-
 care.

III. Audiisti, per peccatum offendi Redemp-
 torem nostrum, & quasi de novo crucifigi:
 Res certe ea, quæ una satis esse deberet ad
 amorem peccati in nostris animis extinguen-
 dum. In Peruana Provincia Christus cruce
 onustus apparuit adolescenti peccatori, &
 dixit: respice, quam crudeliter propter scelera
 tua habitus sim: an ergo necdum satis me vul-
 nerasti? Studiosè, tuæ illæ loquelæ impuræ,
 tuum otium, tuæ irreverentiæ in templo, tuæ
 illa peccata frære sputa, flagella, spinæ, quibus
 Christum conspuisti, flagellasti, coronasti. Vi-
 de pendentem e ligno Salvatorem tuum, &
 cogita, quod te eodem modo alloquatur: an
 non satis me vulnerasti? vide, quam crudeliter
 me habueris: convertere tandem. Horres
 pro-

profectò, si dæmon tibi offerret Crucifixi effigiem conspuendam, aut pedibus calcandam: cur non horres peccatum quodlibet mortale, in quo parem injuriam non ligno, sed DEO vero infligis? Indignaris lusori illi Mogono, qui Crucifixi effigiem gladio petiit: indignaris Judæis, qui indignè adeò Christum tractarunt: & tu si præsens eis fuisses, an, quæso, ad ulteriora flagella Christo inferenda eos animâs-fes? procul ista! cur ergo tu ipse flagellum jam arripis? socy illi impii flagellum sunt; sermones illi turpes spinæ sunt, quibus flagellare denuo & coronare Christum moliris. Tibi ergo indignare, qui graviora audes, ac Judæi. Isti non agnoverunt (suâ quidem culpâ) DEUM suum: agnoscis tu, & audes tamen? *Quis audivit talia horribilia?* quærit Jeremias. Homo sic agere ausit cum DEO pro se passo & mortuo? Jesus pendet in cruce, & homo audeat peccare, eumque cruci rursus affigere? Studiose, poterisne sic posthac cum Jesu tuo agere? verietur hoc, obsecro, ob oculos tuos, & dum occasio peccandi est, respice Crucifixi effigiem, & dic: Jesus meus tanta pro me passus est, & ego eum de novo affligam? Pöterit hæc cogitatio tentationis vim minuerè, & à peccato te avocare.

IV. Si DEUS offenditur propter pugillum hordei, id est, ob rem levissimam, injuria per peccatum DEO illata non potest non esse gravissima. Sic est: atque hoc opto, ut bene ex-

E

pendas.

pendas. Legitur Christus è sacra Hostia Sacerdotem impium sic allocutus: Quid feci tibi? cur tam indignè me tractas? Occurrant tibi, quæso, hæc verba, dum communicas; cogita sic Christum loqui: Fili mi, studiose mi, quid feci tibi? quomodo offendi te? cur tam indignè me tractas? quid feci tibi, quòd non cesses me offendere per otium, per lusus vetitos, sermones turpes, tactus nefarios &c. desine tandem. Quid tuo Salvatore respondebis? Sanè si non ad hominem, sed ad bestiam, ad saxum ita ille loqueretur, commoveri deberet. Quid quæris, quæso, in peccato? bene V. P. de Hieronymo agebat: Nec pro totius mundi salute oportet vel leviter mentiri; quantò minus facere peccatum grave ob leve gaudium? Quid quæso, judicas de illo, qui consecratam Hostiam Judæo vendidit quatuor crucigeris? O scelus! DEum pretio adeò levi vendere! Studiose, & quid tu? propter pugillum hordei & fragmen panis deseris DEum tuum? veniat dæmon, dicat tibi: ecce procurabo tibi hanc & illam voluptatem in domo ista, si Crucifixi effigiem humi abiicias & conculces: agésne, quod petis? ne si vel mundum totum promitteret. Cur ergo propter pugillum hordei? Prohibet dolor rei huic immorari longiùs: tu expende, & propone meliora. Eò enim omnia tendunt, ut agnoscere incipias peccatum: agnitionem sequetur horror & fuga illius.

Affectus.

Affectus. O infinita, O tremenda Majestas divina! ausimne loqui ad Te, cum sim pulvis & cinis? ausimne vilis ego vermiculus levare ad te oculos meos? ille ego vermiculus, qui te tam protervè ausus sum offendere? Ego, ego creatura illa audacissima sum, ego degener ille filius, ego rebellis ille subditus, qui te Creatorem meum, te Patrem charissimum, te Regem meum & Dominum ausus sum offendere. O lacrymæ ubi estis? potuine ego esse tam protervus & impudens, ut contra te, O DEUS, insurgerem, te contemnerem, leges calcarem, vili etiam creaturæ te posthaberem? potuine? ego Te? ego Te offendere? & Te præsentem? & tempore, quo in me eras maxime beneficus? & per ea ipsa instrumenta, quæ tua erant beneficia? potui, ah potui! negare non possum. Peccavi! inique egi! Beneficiis tuis abusus sum: sanitatem, talenta, vires, pedes, manus, totum me ad tui offensionem impendi! & quam ob causam? pudet meminisse! non promittit mihi dæmon regna mundi omnia, ut olim Christo: vilem voluptatem promittit; momentaneam delectationem exhibuit; & ei obsecutus sum, & Te DEUM offendi! O malitiam! O audaciam meam! O infelicem diem, quo hoc ausus fui! O infelicem horam, quâ tantam Majestatem offendi! non agnovi, Domine, non agnovi tantam esse in peccato malitiam. Nunc agnosco, nunc deprecor, nunc sanctiora promitto. Clementissime DEUS, tua infinita Bonitas huc

me traxit; en habes rebellem, impium, temerarium: puni, Domine, sed non in furore tuo: puni, sed etiam da veniam: abyssus miseriae meae invocat abyssum tuae misericordiae. Miserere mei DEUS!

Proposita. Posthac nullum peccatum, O mi DEUS, nullum peccatum deliberatè admittam. Hoc unum est propositum meum, quod S. Theresiae: Amor mi, nullum posthac peccatum! Non offendam Te, Domine! beneficiis non ultra abutar ad tui offensam: & ut hoc constantius agam, saepe recordabor eorum, quae jam didici; praecipue dum Crucifixi effigiem intuebor, alloquar me verbis S. Bernardi: DEUS meus pendet in patibulo, & ego voluptati operam dabo? iterumne Jesum meum crucifigam? Tantine faciam voluptatem hanc, ut Jesum meum ei postponam?

Petitio. Tu Clementissime Jesu, pro me crucifixe -- O quò me converti? ausimne, O Jesu, me ad te convertere, cuius Passionem toties renovavi? nisi Salvator meus esses, non auderem. Per vulnera tua & mortem tuam te rogo, conforta me in propositis istis, ut te posthac non ultra offendam: da, versetur semper ob oculos meos haec tessera: DEUS offensus ab homine ob rem nullius momenti. *Recita in fine: Anima Christi &c.*

Pars

Pars II.

Malitia Peccati è suppliciiis deducta.

Doctrina. Ex suppliciiis, quibus Justitia Divina peccatores mulctavit, gravitatem peccati datur agnoscere. *Si volumus intelligere, quàm graves sint hominum culpa, respiciamus ad pœnas,* ait Emissenus. Aliquas recenseamus.

Supplicium primum, quod DEUS de peccantibus sumpsit, tale est, ut solum hoc ad peccati horrorem imprimendum sufficere possit. Quale illud? dicam binis vocibus: Angeli damnati: aut si verba Scripturæ velis, accipe: *DEUS Angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in Tartarum tradidit cruciandos.* 2. Pet. 2. O Peccatum! O vindicta terribilis! Creaverat DEUS Angelos innumeros, ut laudarent DEUM, & sic salvi fierent. Tertia eorum pars, duce Lucifero, Angelorum omnium principe, noluit se subiicere DEO suo. Peccatum itaque unum admisit, & quidem cogitatione tantum. Jam audi, & expavesce: Eo momento, quo peccatum admiserunt Angeli, eo momento fertur à justo Judice sententia; ad Tartarum deturbantur omnes. DEUS peccantibus Angelis non pepercit. O quàm terribile supplicium! Attende, obsecro, sequentia. 1. Qui sunt illi, qui peccant? Angeli sunt, creaturæ nobilissimæ, pulcherrimæ. Omnium hominum excel-

lencia & pulchritudo unius etiam Angeli dignitatem non adæquant: hinc vocantur Filii DEI ob similitudinem aliquam. Cùm ergo tam nobiles creaturæ sint, cogitare posses, DEUM illis esse parvum, aut certe mitius puniturum; sicut Nobiles mitius plectuntur, quàm plebei. Ast non pepercit: non punivit mitius. *DEUS peccantibus Angelis non pepercit.* 2. Quot erant, qui peccabant, Angeli? Tot erant, ut numerum arenæ in littore maris superare aut certè æquare censeantur. In seditione publica fertur sententia non in omnes, sed in ducem & primarios: videtur igitur satis esse divinæ Justitiæ, si Luciferum & primates aliquot puniat. Non ita: *DEUS peccantibus Angelis non pepercit*: nulli pepercit: ad inferos dejecit omnes. 3. Quale erat peccatum ipsum? erat cogitatione sola factum; & erat unicum; &, quod maximè notandum, erat primum. Qui primâ vice peccat, punitur mitius; at si secundâ, quartâ, centesimâ vice peccat, meritò plectitur acerbius. Fortè igitur & DEUS concesserit primò peccantibus veniam? non concessit: *DEUS peccantibus Angelis non pepercit*; licet cogitatione tantum, licet primâ tantum vice peccaverint, non pepercit. 4. Quando peccabant? eo tempore, quo nullum adhuc pœnæ exemplum præcesserat, nulla monitio, nullæ minæ. Causæ igitur multæ erant, cur DEUS eis parcere posset. Punitur meritò, qui monitus est, qui aliorum pœnas vidit: cui verò ista defuerunt, punitur lenius.

lenius. Non ita DEUS: *Peccantibus Angelis non pepercit.* O Justitia! O Peccatum! deturbantur ad interos, qui moniti antè non fuerunt, fortè nec, quid infernus esset, sciebant; quippe qui creatus nondum fuerat. 5. Sed quando deturbantur? subito: statim: eo momento, quo peccabant. An ergo nec momentulum datum est eis, ut pœnitentiam, si vellent, agere possent? non datum est. O quàm illi deplorassent fortè superbiam suam! quàm se coram DEO humiliassent! quàm perpetuò laudassent DEI bonitatem, si vel momentulum temporis accepissent! At non pepercit: momentulum non concessit. Fatere jam, an consideratis us, quæ dixi, unquam terribilius divinæ vindictæ exemplar audiveris? Angeli tam nobiles, momento uno peccantes, & primâ vice, & solâ cogitatione peccantes, nullo exemplo territi, nullo ad agendam pœnitentiam concessio tempore puniuntur, deturbantur ad Tartara, nunquam inde emerfuri. O horror! O peccatum! O malitia peccati!

Supplicium alterum de primis Parentibus nostris sumpsit Justitia divina. Peccaverant isti, comedentes de fructu vetito. O quàm brevis & misera erat illa voluptas! Pœna è vestigio aderat: eiiciuntur Paradiso, dotibus maximis spoliantur, egestati, morbis, laboribus & miseriis subiiciuntur. Nec satis: posterius omnes nascituri eadem mulctantur infelicitate. An leve hoc credis? Collige unum in cumulum,

quidquid hæcenus ab hominibus toleratum est, aut posthac tolerabitur: collige omnes miseras, inopiam, morbos, ignorantias, inimicitias, famem, tempestates, pestem, lites, bella, vastitates: nosocomia inspicere & cœmeteria: expende etiam cruciatus animi, tædia, ignominias &c. Hæc omnia collecta aspice, & certum tene, ex uno turbido peccati fonte profluxisse; unius esse peccati supplicium. Peccatum feralis illa janua fuit, per quam omnis iste malorum exercitus irruit in mundum. Adam si non peccasset, ista abfuissent omnia. O peccatum quid es!

Supplicia alia de peccatoribus sumpta, innumera sunt. Alii à terra hiante absorpti: alii à bestiis trucidati, peste sublati, aquis submersi, igne cœlitus lapso hausti sunt, & quo non genere mulctati etiam in hac vita? Abundant historiæ omnes exemplis ejusmodi tragicis. Veniamus ad supplicium destinatum à DEO omnibus, qui in peccato moriuntur. Et quodnam illud? Infernus est. Infernus supplicium peccati unius est. An fabulam cano? Veritas est: res certa est. Expende tecum, quid sit Infernus, quæ & quanta illius tormenta, tum capies, quanta sit unius peccati mortalis gravitas. Sed de hoc infra.

Ad aliud descendamus supplicium. Restat terribile prorsus, & cui par non datur invenire. Exhibet illud Mons Calvariæ in Jesu Crucifixo. Susceperat DEI Filius, infinito erga nos amore impulsus, in se peccata nostra, ut
pro

pro eis satisfaceret. Verum est; poterat vel unico suspirio peccata omnia delere, quia persona infinite digna erat; sed ut agnoscerent homines, quam gravia sint peccata nostra, elegit horrenda pati. Pater cœlestis videns in filio suo peccata nostra, ei non pepercit, sed horrendis eum pœnis affici permisit. Hoc autem scias, tantam esse Christi dignitatem, ut vel unus colaphus ei impactus multò atrocius nobis exemplum videri debeat, majoréque nos horrore percellere, quam æterna Angelorum & hominum omnium damnatio. Quem ergo horroris sensum concipere debemus, dum cruci affixum, in cruce mortuum intuemur? Hunc tibi ob oculos pone: considera omnibus patientem sensibus, membris omnibus dilaniatum, ab omni hominum genere divexatum. O quam acerba, quam horrenda tulit! Cogita, quid sit, capi ceu latronem & vinciri, trahi per urbis compita, trudi pedibus, conspui, flagellari, coronari spinis, cruci demum affigi, derelictum ab omnibus in cruce mori. Quis toleratarum à Christo pœnarum abyssum exhauriet? Cur verò ista? cur tam acerba tulit Salvator? Isaia 53. voces Patris æterni sunt: *Propter scelus populi mei percussit eum.* Apostolus ait: *Quem proposuit DEUS ad ostensionem justitiæ suæ;* hoc est, ut ostenderet, quantas pœnas peccatum mereretur. Et leve quid credis peccata hominum?

E s

Re-

Reflexiones. I. Si Angeli, Parentes primi, homines innumeri tam acerbè puniti sunt ob peccatum: ergo verum est, quod habetur 2. Mach. 4. *In leges divinas impiè agere, impunè non cedit.* Ergo & tu, si peccas, habes cur certò supplicium timeas.

II. DEUS gravissimè ubique & semper peccatum mulctavit: ergo res terribilis, ergo enormis malitia in peccato delitescit: ergo aliud DEI, aliud hominum de peccato iudicium est. Quale tu verò iudicium attendes? an DEI, an hominum?

III. Angeli ob peccatum una tantum cogitatione admissum ad inferos deturbati sunt: an non manibus etiam palpas, peccatum grave rem esse prorsus terribilem, infinitumque esse odium, quo DEUS id prosequitur? Fallunt te, studiose, qui dicunt: furare hoc: veni nobiscum in locum illum: negligere studia, sacra, preces: frui voluptate hac lascivâ &c. res leve est. Mendaces sunt Filii hominum in peccato ponderando. Fallit te etiam dæmon, dum tibi suggerit: quid demum est otium illud, ille sermo liberior, ille tactus voluptuosus? leve quid est. Diverso modo DEUS & iudicat, & loquitur. Punit iste peccatum, licet unicum, æternis suppliciis, & quidem in creaturis sibi dilectissimis. Finge esse Regem, qui cæteris quin mitissimus, primates triginta aut plures e publico patibulo suspendi præciperet. Spectaculum hoc tragicum O quantum terrorem omnibus

nibus incuteret! an non vox omnium una foret: res atrox sit, & terribilis necesse est ea, ob quam primates hi puniti sunt morte tam probrosa. Ecce studiose, DEUS Clementissimus innumeros Angelos æternis addixit suppliciis; an non concludis: ergo res plane terribilis est peccatum? O peccatum quid es? quam parum agnosceris? ridendo, jocando, ludendo peccatur. Antequam ab exemplo Angelorum discedam, restat unum adhuc, quod expendas. Cur, obsecro, DEUS Angelos adeo nobiles tam acerbè punivit? Causam ex S. Petro accipe: *DEUS Peccantibus Angelis non pepercit - . exemplum eorum, qui impiè acturi sunt, ponens.* Intelligis hoc? quemadmodum Magistratus sæcularis plectit fures, ut terreantur alii; sic DEUS punivit Angelos, ut terrerentur homines, nec peccarent: quasi diceret DEUS: vide, O homo, quantopere peccatum abominer. Peccaverunt semel Angeli, & punivi eos illo ipso momento. Tu cape exemplum, & scias me eodem tecum modo esse acturum; scias te pari ratione ad inferos deturbandum, si peccaveris. Ecce, studiose, propter me, propter te & homines omnes DEUS tam acerbè punivit peccatum, ne ullus sibi impunitatem polliceretur. Eadem Tartara, ad quæ peccantes Angeli sunt detrusi, & me, & te, & quemvis alium manent, si luctuoso adeo exemplo territi, à peccato non desistamus. Quid ad hæc? an adhuc peccandi voluptas in te reidet ulla? Fures erant, qui urbem

berm

bem aliquam accesserant, ibi furaturi: vide-
 bant è patibulo suspensos aliquot Nobiles illius
 civitatis, & mox unus alios ita compellabat:
 O focii mei, si Dominus urbis hujus non par-
 cit Nobilibus, sed eos tam probrosè plectit,
 plectet etiam nos, si in furto deprehenderit:
 nolo ego proposito insistere: nolo furari. Stu-
 diose, vides intra Tartara tot divinæ vindictæ
 exempla in nobilissimis Spiritibus: fac, quæso,
 conclusionem hanc: Si DEUS his non pepercit,
 certè nec mihi parcat: nolo igitur peccare; no-
 lo DEUM offendere. Sic conclude: vivit
 enim adhuc justus ille DEUS, qui peccantibus
 Angelis non pepercit. Vivit, & væ tibi, si te in
 peccato deprehendat!

IV. Terribile hoc Angelorum supplicium
 adhuc aliam tibi cogitationem saluberrimam
 suggerit. Quæro ex te: an nunquam peccato
 aliquo gravi DEUM offendisti? timeo, ne con-
 scientia tua plurimum te accuset. Quæro ulte-
 rius: an ergo infernum meritus es, ut Angeli
 rebelles? Quid dubitas? meritus es. Cur ergo
 cum ùs in inferno non ardes? hîc responde,
 quod voles: ego, quòd non ardeam, divinæ in-
 me Bonitati infinitæ tribuo. Discutiamus rem.
 Multa sunt, quæ Angelorum peccatum levius
 faciant, ac tuum. Erant Angeli creaturæ no-
 bilissimæ: tu creatura vilis: ergo temeritas tua
 multò major. Angeli solâ cogitatione peccâ-
 runt, & quidem vice primâ & unâ: Tu an non
 opere, verbo, cogitatione, omissione, & quo
 non

non modo peccasti? & quot eheu vicibus? an non super numerum arenæ multiplicata sunt peccata tua? Angeli nullum peccatoris puniti exemplum viderant, nunquam moniti, nullas DEI minas sciverant: Tu an non scis innumera peccatorum à justo Iudice punitorum exempla? quoties per conciones, Confessarios, Parentes monitus es? quoties æterna tormenta intentata? peccasti tamen, monitus, sæpe, graviter, sine pudore peccasti. An non fateri cogis tuam in peccando malitiam multò majorem esse Angelicâ? Jam verò puniuntur Angeli, tibi parcitur. Necdumne infinitam in te bonitatem agnoscis? Justè profectò à DEO puniti sunt Angeli ob peccatum illud unicum, & quidem eo ipso momento; ergo & te justè ad inferos eodem, quo peccasti momento, deturbare poterat. An dubitas? ergo pro eo, quòd jam ista legas & consideres, si DEus secundum merita tua egisset, sederes inter inferos, sessurus æternum & passurus. Ita est. Et quid egit DEus? peccasti vice primâ: non punivit, sed spatium pœnitentiæ dedit. O misericordia! O clementia! *Nisi quia Dominus adjuvisset me, paulò minus habitasset in inferno anima mea*, dicere poteris cum Davide. Quid tu egisti tantâ DEI bonitate servatus, contra ac meritis fueras, aut sperare poteris, servatus? neque enim sperare vel petere poteris, ut DEus majorem tui haberet rationem, quàm Angelorum; hos puniret, te servaret. Quid egisti? O ingrati-

nem

nem inauditam! pro eo, quòd debebas hanc DEI in te bonitatem laudare, pœnitentiam agere, totam vitam ad DEI voluntatem exigere, ausus es (O probrum!) ausus es eum de novo offendere! Itane ingratissime? hæc tanto beneficio rependitur gratia? jam profectò non est, quòd veniam speres, post peccatum alterum: abi ad inferos jam bis tibi debitos. Hoc sanè tum temporis fieri debebat; nam & inter homines, si quis alterâ vice de crimine quodam accusatur, spes veniæ nulla ei relinquitur. Verùm O denuo infinitam DEI clementiam! pepercit tibi etiam factò hoc peccato; tempus indulgè; veniam etiam per Sacramentum Pœnitentiæ dedit. Jam ergo satis tibi fuerit bis peccasse, bis tantam DEI bonitatem fuisse expertum: fuerit hoc tibi stimulo, ne ultra peccares; fuerit etiam, credo, terminus divinæ Clementiæ, ne ultra ignosceret. Non fuit. O rursus inauditam tuam proterviam! O incomprehensibilem DEI clementiam! Progredi ausus es ad peccatum tertium: tertio pepercit DEUS. Progressus es ad quartum: quarto pepercit DEUS. Progressus es ad decimum, vigesimum, utinam non centesimum! pepercit semper ad hanc usque diem misericors DEUS! O tolerantiam, cui nulla similis in patre erga filium potest reperiri! O prodigia bonitatis, quæ cœlestes rapiunt in admirationem; inferos rabie & invidiâ cogunt dirumpi: vident enim hi, te ob peccatum unum peritæ; te verò vivere adhuc
qui

qui multò gravioribus pluribusque, eundem DEum sceleribus offendisti: turoris ergo materiam ex hac DEI in te bonitate hauriunt. Quam tu tandem hauries? an denuo peccandi? denuo DEum in te adeò benignum offendendi? absit hoc à te. Obstupesce primùm, cur tantam tibi gratiam fecerit DEus, negaverit verò aliis: fatere palam, quòd licet omnia mala vitæ hujus in DEI obsequium perferres, nihil tamen præstares, quo plus non mereatur tanta bonitas. Ergo quæ occurrent molesta & gravia, lætus tolera amore DEI hujus in te Optimi: detestare monstrosam ingratitude tuam: seriò & dignè æstima exhibitam tibi gratiam, ut impossibile accidat DEum hunc culpâ etiam levissimâ deinceps offendere: Te ipsum quære, quid amore DEI tui amandissimi præstare possis? an non meretur bonitas ista, ut fugias consuetudinem illam --- finem facias pigritiæ illi & otio? peccatum illud confitearis?

V. Mala mundi omnia, morbi, pestes, miseriæ, mors ipsa, fructus peccati unius sunt, quod à Parentibus primis factum est: ergo peccatum gravius aliquid est his omnibus: ergo si vel eligenda essent mala omnia mundi, aut faciendum peccatum, potius mala omnia amplectenda essent, quam peccandum; quia ex duobus malis minus eligendum est. Fuit hoc aureum illud Casimiri propositum: Malo mori, quam fœdari! an etiam tuum est? Recordare, quoties ad evitandam levem fortè confusionem

aut

aut pœnam, DEum offenderis mentiendo, jurando &c. quid ageres jam, si aut morbus aliquis tolerandus esset, aut faciendum peccatum? si aut mors, aut peccatum eligendum? an jam tandem mille potius morbos cum morte eligeres? ita sanè agendum. Statue, nullius mali metu DEum offendere: magis peccatum metue, quàm adversa omnia: si quem ægrum aut miserum vides, ex hoc ipso concipe horrorem peccati, cogitando: & hujus mali origo peccatum est: centies renova propositum: malo mori!

VI. Peccati mortalis pœna Infernusest: ardent in inferno multi, qui non nisi semel graviter peccaverunt. DEus Justus judex non punit justo gravius; ergo peccatum mortale unum infernalium meretur supplicia; ergo nihil leve est, uti humana fingit malitia. Hoc utinam toties repetitum firmiter tandem tuo imprimeres animo! Peccatum unicum æterna inferorum supplicia meretur: imò, quòd dictu horrendum est, si DEus damnato ob peccatum unum, omnem omnium pœnarum infernalium acerbitatem immitteret, omnes hæ pœnæ peccati unius malitiam necdum adæquarent. O peccatum quid es? omnia inferorum supplicia tuam non adæquant gravitatem, & ego quàm parvi te feci hæctenus! Ex hoc aliud adhuc conclude: si inferni pœnæ peccatum non adæquant; ergo peccatum malum ipso inferno majus est; ergo ipse infernus minùs timendus est quàm peccatum; ergo potius eligendi sunt inferi, quàm pec-

peccatum. Agnovit hoc S. Anselmus, qui palam asseruit, se potius Inferni tormenta toleraturum esse, quam peccatum faceret. Si infernus potius subeundus est, quam peccandum; ergo iniquissimum est, ex metu mali alicujus temporalis, aut laboris odiô peccatum grave admittere. Res certa est: eam firmiter tibi impone.

VII. Ex Christi patientis meditatione quid colligis? sanè ex hac peccati gravitatem maxime datur cognoscere. Fateor, infernus terribile Divinæ justitiæ theatrum est; sed Mons Calvaria multò terribilius. Cognosco ex damnatorum pœnis peccati gravitatem, sed clarius ex Christi Passione. Jesus DEI Filius tanta patitur ob peccatum! peccatum captivavit Christum: peccatum conspuit: peccatum flagellavit, crucifixit, peremit. O ubi vox? ubi sensus? Peccatum quid es? verè dixit Thomas de villa nova: *Quid magis incutere homini potest horrorem peccati, quam videre Filium DEI pro peccatis in patibulo crucis morientem?* Non mihi posthac recenseat quisquam mundum aquis mergum, urbes igne ablumptas, laceratos à bestiis homines, Angelos ad orcum detrusos: unum meum Jesum dum in cruce video, peccati malitiam agnosco apertius. Profectò si peccatum non esset, nisi malum imaginarium, aut jocus tantum, aut res levis, tanta pro eo non pateretur DEI Filius. Satis profectò hoc erit ad horrorem peccati concipiendum, aliudque de eo for-

mandum iudicium. S. Theresia viso vulnerato per peccata nostra Jesu, semianimi voce exclamabat: Nunquam peccabo, mi Jesu, nunquam peccabo amplius! An non idem à te expectem? Referunt Annuæ S. J. Christum Juveni cuidam, suam procrastinanti emendationem apparuisse, hisque eum vocibus compellasse: Fili mi, respice, quàm crudeliter habitus sum propter scelera tua; & desine tandem me offendere. Eadem sunt tui ad te voces Salvatoris: hæ an non vel faxeam cordis duritiem possint inflectere? Fili mi, studiose mi, quem ut filium amantissimum tractavi; respice, quàm barbarè propter scelera tua habitus sum: ah desine tandem me offendere: desine tandem: abundè jam peccasti: abundè dolores meos renovasti. Tua illa pigritia, tui illi sermones, tua illa consuetudo, tuum illud consortium renovavit dolores meos. Fili mi, an necdum satis? desine tandem, fuge consortium, extirpa consuetudinem: fili respice, & desine.

Affectus. Desine, desine, ô Jesu mi, desine his ad me verbis uti: desine Salvator amandissime: confusio me exanimat, si ita pergis. Quis ego sum, ut velut supplex hoc à me petas? Ah Jesu desine! jam pridem meæ me poenitet malitiæ: jam pridem monstruosam meam proterviam abominor. Non agnovi, ô Jesu, tantam inesse peccato unico malitiam; jam verò dum supplicia adeò horrenda peccatoribus infligi video, aliud profus de peccato iudicare cogor.

Video

Video Angelos, ob peccatum unicum æternis addictos ignibus: video innumera mala ex uno Parentum peccato promanantia: credo, inferos ipsos morientibus in uno etiam peccato destinatos: video, te in cruce tanta pro peccatis tolerantem: & non agnoscam adhuc peccati malitiam? non eam abominer? Ah cogor Domine, vel invitus, & exhorresco. Unum momentum! unum momentum æternis luere suppliciis! Peccatum unius momenti, unâ admissum cogitatione, æternis luere suppliciis, res nimis formidanda est; peccandi voluptatem omnem adimit. Quis me, quæso, excæcaverat, ut hæc non antè intelligerem? O utinam jam parem temeritati & cæcitati meæ dolorem conciperem! Jesu quid egi? peccavi & super capillos capitis mei multiplicavi peccata mea! Habes fatentem reum. Sed quid postulas à me? vis me ad inferos deicere? meritis sum, ô Jesu! reluctari non volo. Quò verò deveniet pretium Sanguinis tui? Ah non meam mortem desideras, sed ut respiciam Vulnera tua, & desinam peccare. Respicio illa, ô Jesu, & expavescio, quia per peccata mea tibi inflictæ sunt; quia autem & amor inflixit eadem tibi Vulnera, per hæc ipsa, ut mihi ignoscas, rogo. Vis ut desinam peccare? O Jesu non possum, non possum peccare, si vellem etiam. Tu mori in cruce pro me, & ego peccare? tu tanta perferre pro me, & ego peccare? impossibile mihi est, ô Jesu: si Cœlos etiam peccanti promitteres,

te Jesum dum aspicio, peccare non possum. Amor mi, nullum posthac peccatum! Vicisti, O Jesu, & expugnasti cor meum crudele & seceum: vicit amor tuus, & bonitas. Bonitas, ô quæ illa & quanta! peccavi, non semel tantum, ut Angeli, sed centies & milles peccavi: & gravius peccavi: & tu qui peccantibus Angelis non pepercisti, pepercisti mihi, mihi tempus, mihi veniam obtulisti. O Jesu! ô bonitas! ardent mille inter inferos, qui minùs peccârunt, ac ego. Tua, ô Jesu, bonitas me servavit. Infinitas tibi ago gratias: detestor ex corde, & abominor omnia peccata mea. Amor mi, nullum posthac peccatum! Tua bonitas, serò nimis à me cognita, vitam aliam postulat.

Proposita. Ergo nunc incipiam: nunquam peccabo, mi Jesu! nunquam peccabo. Malo in ardentem rogam insilire cum Edmundo, quam peccare. Malo vel ipsos subire inferos cum Anselmo, quam peccare. Et ut serium esse ostendam, hodie incipiam peccatum hoc N. N. quo toties DEum optimum offendi, generose fugere & detestari, nunquam illud amplius admissurus. Et ut me in hoc proposito firmem, cogitabo sæpius terribilia, quæ audiui, peccatorum supplicia; maxime Jesum, ad ostensionem divinæ justitiæ mihi in cruce propositum, intuebor, & repetam: Amor mi, nullum posthac peccatum!

Petitio. Jesu Christe, pro me crucifixe, per passionem & mortem tuam miserere mei, & imprime

prime mihi horrorem peccati, impressum conserva & auge, ne à propositis jam factis unquam deflectam. *Recita, si vis, Litanias de SS. Passione Christi.*

Pars III.

Malitia Peccati ex Effectibus cognita.

Doctrina. Innumera sunt peccati mortalis damna, effectus lugubres innumeri: de paucis loquamur.

Effectus primus est: Anima per peccatum omni decore & pulchritudine spoliatur. Anima, spiritus nobilis ad DEI imaginem creatus, mirâ simul pulchritudine exornatus fuit. Bernardinus ait: *Si tot formarentur Cæli, quot sunt aquarum guttulæ, quot arenulæ maris, omnis eorum pulchritudo simul sumpta non posset æquari pulchritudini unius animæ. Mensura pulchritudinem DEI, si pulchritudinem Animæ vis cognoscere. DEI enim imago Anima est. O Anima par Cælo spiritus! Et hæc de naturali animæ decore: ubi verò accedit gratia in baptisate accepta, quis pulchritudinem explicet? Gratia DEI momento unico è diabolo Angelum faceret, si ei daretur à DEO: quid ergo faciet ex Anima jam antè pulchra? vidit B. Catharina Sen. Animam in gratia DEI, & in stuporem rapta dixit Confessario: O Pater, si tibi concessum esset Animæ decorem intueri, propter amorem ejus & salutem te prædam dares cuius tribulationi;*

mille mortes eligeres. Tanta est ejus Majestas, ut omnis regum pompa non nisi crepundia sint huic collata: adorâssem ego ceu DEum, nisi aliter me fides instruxisset. Ita illa. O Anima pars prima hominis, imago Numinis pulcherrima! Quid verò peccatum in Animam audet? Hoc audet: omnem ei decorem, pulchritudinem omnem rapit, teterrimamque & ipsi diabolo similem efficit; adeò ut decor omnis repente in execrandam turpitudinem abeat. *Abominabilem fecisti decorem tuum*: Anima antè simillima Angelis, nunc dæmoni: antè DEI & Angelorum gaudium, nunc eorum abominatio: antè domus DEI, pulchrúmque Triados palatium, jam sedes dæmonis: antè DEI, jam stygis imago, adeò ut turpitude major & fœditas excogitari non possit. Cogita cadavera aspectu fœdissima; dæmones ipsos tibi imaginare; fœdior turpiórque & abominabilior Anima peccatrix est. *Abominabilem fecisti decorem tuum*. Hinc S. Bern. *Tolerabilius fœtet hominibus eanis putridus, quàm Anima peccatrix DEO*. Et Taulerus: *si permetteret DEus, aliquem videre peccata sua, sicut ipse videt, præ dolore mox rumpendum esset cor ejus*. Res certa est: cur enim tanta est dæmonis deformitas, nisi propter peccati unius turpitudinem? ergo Anima quò crebriùs peccat, eò turpior ipso dæmone efficitur. Videre est subinde Juvenem, primævo ætatis flore, nativâ dignitate, vestium pompâ omnium in se oculos rapientem. O si liceret subinde

subinde intueri Animam in tam eleganti corpore non unius peccati ream! quam fœdum, quam visu horridum occurreret spectaculum! Studiose, vel unicus hic peccati effectus an non ejus tibi horrorem incutiat? horres, quid quid faciem tuam aut vestes deformare potest: fugis in conspectu hominum apparere sordidus: cur non in conspectu DEI? cur non labem Animæ fœdissimam horres? cur factam non eluis?

Effectus secundus est: Anima peccantis ex divinæ adoptionis gradu infra bestiarum vilitatem detruditur. Anima DEO adeò in amore fuit, ut eam filix loco assumere dignatus fuerit. Verè enim homo Filius DEI adoptivus est, & dicitur, eandemque cum vero DEI Filio hæreditatem, cœleste scilicet regnum obtinere potest. Dignitas prorsus ingens. Hinc S. Leo: *Agnosce, O homo, dignitatem tuam.* Magna foret dignitas, si rusticus quidam in filium à Rege assumeretur, & regni hæres declararetur. In casu hoc homo ab homine assumeretur; in nostro verò à DEO vilis homunculus eligitur in filium DEI, in hæredem Cœli. Quanta dignitas! hac unâ reges omnes & Cæsares vilissimi etiam rustici Anima superat. At ecce! dum peccat, è dignitate hac maxima ad eam deiicitur vilitatem, ut putri vermiculo, fœdissimoque cadavere fiat contemptibilior. Hinc dicere potest illud Thren. 5. *Vae nobis, quia peccavimus: vide Domine, & considera, quoniam facta*

sum vilis. Pone tibi ob oculos infelices damnatorum animas. Potésne non exhorrescere ad tam terribiles eorum ejulatus? Has verò DEUS sine ulla commiseratione tot sæculis videt & audit. Miraris hoc fortè tanquam divinae bonitati contrarium? cave; nam Animæ illæ non tanto amplius apud DEUM pretio sunt, quanto apud te vilissima bestiola. Cernis fortè viperam lethali ictam vulnere torqueri angore mortis: cernis muscam aranei unguibus implicatam irritis evadendi conatibus huc illuc corpus jactare, miseroque stridore fatum suum lamentari. Quid tu? an tristi earum casu ad commiserationem flecteris? imò voluptatis loco habes, & ludicri spectaculi; neque tamen ideo crudelis es, quia agitur de vita bruti vilissimi, commiseratione indignissimi. Ita videt DEUS ejulantes in Orco Animas à se creatas; videt horrendis pressas suppliciis; nec tamen compatitur, nec miseretur; quia Animæ illæ peccando infra bestiarum vilitatem se abjecerunt, omnique fecerunt commiseratione indignas. Animæ antea DEO dilectæ, adoptatæ in filias, hæredes Cœli designatæ, nobilissimæ DEI imagines, Angelorum sociæ; Animæ per peccatum adeò viles, adeò abjectæ? O peccatum an leve quid esse potes? Studiose, scio, non pateris famam tuam aut honorem violari ægerrimè fers te contemni ab aliis: cur Animæ dignitatem & honorem non majore studio curas? cur peccando & eam & te adeò vilem & contemptibilem ipse reddis?

Effectus

Effectus tertius est: Anima per peccatum fit hostis & inimica DEI. Hostis DEI! inimica DEI! exosa DEO! quid terribilius dici potest? Accepit Anima in Baptismo donum aliquod cœleste, quod Gratiam divinam dicimus: donum adeò nobile, ut omnes totius orbis thesauri pretium unius gradûs Gratiæ hujus adæquare non possint. Per donum hoc redditur Anima placens DEO, amica DEI, digna tantæ Majestatis amore; quem amorem nullæ opes, nulla potentia, vis nulla aut Majestas conciliare potest sine gratia. Hæc gratia divinæ nos naturæ participes facit & filios DEI; facit amicos DEI. Quanta, quæso, res est, esse amicum DEI? amicum Regis esse, imò etiam Superioris alicujus amorem obtinere, quanti æstimatur! quantum pro eo obtinendo agitur! quantum pro conservando! Et quid est demum omnis hominum favor, omnis gratia & amor? quid prodesse nobis potest? Amicitia judicis alicujus, in cujus manu nostra fortassis causa aut vita versatur, quanti ducitur! quam sollicitè quæritur! quam studiosè declinatur omne, quod ei displicere potest? magni enim momenti res esse censetur, esse amicum talis judicis. Studiosè, amicum esse DEI quid est? quanti æstimandum? amicum DEI, tanti Domini, in cujus manibus salus nostra & vita versatur? amicum DEI esse, DEO gratum esse, à DEO diligigi quid est? Sancti Martyres, quanta passi sunt, ut DEI amici essent? Sancti alii, quanta

egerunt, ut DEI amici essent! Ergo magnum aliquid esse censebant in DEI amicitia repositum. Bene censebant: DEI amicus qui est, æternum felix est. Sed ecce! peccat Anima vel semel: & eheu! ô jacturam! amittit gratiam, amittit amicitiam DEI, amittit DEum: gratiam? amicitiam? DEum? O jacturam ne cruentis quidem lacrymis dignè deplorandam! Dum peccasti, mi studiose, amisisti gratiam DEI, amicitiam DEI, DEum ipsum! Audis hæc, nec lacrymæ cadunt ab oculis? nec in suspiria solveris? ah non agnoscis, quid sit tantam facere jacturam. Vis scire, quanta sit? dicam: tanta est, quantum bonum gratia DEI & DEus ipse est. Jam æstima, si potes. Gratiam hominis perdere, qui nocere multum, aut prodesse posse creditur, ô quanti æstimatur! quot lacrymis defletur? Et quid tandem homo; quid gratia ejus est? Perdere pecunias, honorem, famam ô quanti æstimatur! quot lacrymis defletur! Et quid tandem pecunia? vile lutum. Quid honor? quid fama? Una jactura gratiæ divinæ, una una hæc est, quæ cruentis & assiduis lacrymis digna est. DEum perdere! Habitat in Anima DEus: hinc Paulus: *Templum DEI estis vos.* O felix, in quo tantus habitat Dominus! hæc habitatio repleti. Peccas? & auditur illi- cò quasi vox illa, quæ in Templo Solymæo audita fuit: Migremus hinc! migremus hinc! Sic DEus, sic dona divina quasi clamant: Mi- gremus

gremus hinc! *Vos reliquistis me, & ego relinquam vos*, dicit DEus. Recedit ergo à te DEus: te deserit, quia dum peccas, dæmon cor tuum possidere incipit, quocum DEus habitare non potest. Deserit ergo te DEus tuus. Quid hoc verò est: à DEO deseri? S. Basilius ait: *Nulla atrocior pœna est, quàm à DEO deseri.* Nulla. Medicus si ægrum deserit, quid aget miser? Te si DEus deserit, si à te recedit, quid ages? *Va*, ait DEus, *va eis, cùm recessero ab eis.* à DEO deseri! à DEO odio haberi! DEO exosum esse, ô pena omnium maxima! *Mille gehennis intolerabilius est, esse exosum DEO*, ait S. Chryf. Mille gehennis. Et tamen, dum peccas, adeò amicitia omnis divina rescinditur, ut Anima divino favore exclusa, ab aspectu rejecta, ad ipsius dæmonis mancipatum detrudatur. O misera! ô luctuosa mutatio! Alvarus Bassanus, quam nescio ab causam, Regis sui offensam incurrit: Rex his eum verbis compellabat: *næ tu, Alvare, minùs te æquum pro mea in te benevolentia ostendisti.* His auditis adeò turbatus est miser, ut paulò post infelix sui penè impos obiret. Tantum in eo valuit imminuti favoris Regii indicium. Non eum Rex vocabat perduellem, non gratiâ ejecit, non aulâ jussit facessere; & tamen! ô humana gratia, ô inimicitia humana, quanti æstimaris! Tu econtra, ô divina amicitia, ô odium divinum, quàm parùm agnosceris! Quid tu sentis, studiosè peccator, si cogitas; Peccavi; DEI
gra-

gratiâ excidi; hostis DEI sum, hostis DEI, inimicus DEI; & illius DEI, qui hoc me momento damnare potest, si velit: illius DEI hostis sum: quæ, obsecro, tetrior cogitatio occurrere potest? Is, cui conscientia has voces obiicit: hostis DEI es: quomodo ridere, quomodo joculari potest? quomodo amare peccatum potest, qui cogitat, DEI gratiam peccando perdi, incurri verò odium?

Effectus quartus est: Anima per peccatum exiit jure ad Cœlum. Cœlum hæreditas est Animæ in DEI gratia permanentis: hæreditas hæc debetur animæ, sicut filio debetur hæreditas paterna; nec ista aut vi hostium, aut alio infortunio aut dolo ei eripi potest. Unus hostis est, qui Animæ, sed volenti, eripere jus ad hæreditatem hanc possit. Quis ille? Peccatum est. Hoc quando ab homine admittitur, jus omne Cœli, quo antè gaudebat, ei eripitur, *Nolite errare, neque fornicarii, neque fures &c. regnum DEI possidebunt*, ait Scriptura. Solus innocens manibus & mundo corde; nemo coinquinatus adire potest hæreditatem cœlicam. Et hoc firmâ adeò lege sancitum est, ut si ipsa Beatissima Virgo post vitam sanctissimè exactam, peccatum mortale perpetrasset, omni ad hæreditatem illam jure fuisset spoliata. De Troilo quodam refertur, quòd viderit in somno palatium aliquod ingens in Cœlo, auro gemmisque ad stuporem fulgidum: erat superne affixa epigraphe: *Habitatio æterna Troili.* Hanc meri-

meritus fuerat per eleemosynam, quam dederat S. Joanni Eleemosynario in pauperes erogandam. Cùm paulò post pecuniam illam repertiisset, facti scilicet pœnitens, vidit nocte Angelum, qui vultu irato aspiciens epigraphen illam, mox abripuit & aliam hanc substituit: *Habitatio æterna S. Joannis Episcopi; qui nimirum eleemosynam ex suo substituerat. Studiosè, quod huic ostensum est in somno, hoc tecum non unâ vice factum est. Struxeras tibi domum in Cœlo per opera bona, per pietatem in templo, per innocuas & devotas preces, per fugam consortii pravi, per industriam in studiis &c. jam affixa erat epigraphè: Habitatio Studiosi N. N. ô felicem te! sed quàm subito infelicem! admisisti peccatum illud mortale; rapta est epigraphè; aditus habitationis illius tibi præclusus est. An modicam hanc jacturam censes? ô si agnosceres! Cœlum perdidisti! hæreditatem amplissimam perdidisti! divitias innarrabiles, gaudia perpetua perdidisti! Et leve hoc putas? Ah non agnoscis jam, jacturam istam. Erit, cùm agnosces & ingemisces: ô quale regnum, ô qualem felicitatem perdidisti! Perdidisti toties, quoties peccasti. An jacturam deplorasti? an reparare laborasti? ô cæcitas! Est qui v. g. ex lusu alearum discedit inferior, magnâ pecuniæ vi amissâ: est qui spe honoris alicujus aut præmii obtinendi excidit. ô quo vultu jacturam hanc excipit! fastidit cibos, nauseat hominum consortia & alloquia; noctes ducit*

ducit

ducit insomnes ; solvitur in gemitus ; funditur in fletus. Accidit , ut in peccatum grave idem ipse incidat , & sic Cœlum perdat. Quid tum ? an eadem doloris signa in eo conspicias ? an jacturam deflet ? an tu id egisti ? alia egisti omnia. Tantam calamitatem , jacturam tam luctuosam , sine ulla doloris significatione , quin & ridens excepisti ; ac si salva essent omnia. Atque utinam non de te verè etiam illud dici possit : *Latantur, cum malè fecerint, & exultant in rebus pessimis.* Ubi fides tua , mi Studiose , ubi ratio tua ? tantamne à te factam esse jacturam credis , & ridere potes ? & quiescere potes ? non hoc tibi ad concipiendum letale peccati odium sufficit ? Credo sanè , sufficere.

Hoc tamen ut augeam , unum adhuc observatu hîc dignum est. Anima peccans spoliatur jure ad Cœlum : perdit Cœlum. Cur ? quid pro hoc in vicem quasi recipis ? Hîc responde , quod voles ; ego meam in hac re insaniam aspiciens exclamare cogor : ô me infelicem ! ô stolidum ! Cœlum perdidi , ut levi aliquâ voluptatulâ fruerer , quam mihi in peccato dæmon objecit : pro tantilla voluptate , tantam ego felicitatem perdidi ! ô me cæcum ! me insanum ! pro nihilo me spoliavi felicitate tanta ! vanitate seductus sum ! Si paternam hæreditatem amittere debuisssem facto peccato , peccatum revera non perpetrâsssem ; & cum scirem , à me perdi hæreditatem æternam , peccare non exhorruï ? ô ubi mens ? ubi ratio mea ? ut genio meo

meo indulgerem ; ut libertate fruerer , Cœlum perdididi ! Stultum vocavi Esau , quòd pro pulmento modico benedictionem paternam vendiderit. An non major mea fuit stultitia , dum pro modico , pro momentaneo gaudiolo æternam perdididi felicitatem ? Decepisti me , ô peccatum ! decepit me exterior species tua : posthac non decipiet ; non usque adeò insipiens mercator ero , ut pro momentaneo gaudiolo æterna vendere velim gaudia. Vale peccatum ! effectus iste te nimis mihi exosum reddit & abominabile.

Effectus quintus est : Anima per peccatum grave meretur infernum & seipsam condemnat. In hoc sistamus : facilius forsan terrebit , quia sensus nostros , nostrum corpus & animam magis attinet. Scito igitur : eo momento , quo peccas : non modò omni ad Cœlum jure spoliaris , sed etiam Inferni reatum contrahis , dignus evadis inferni suppliciiis ; tibi ipsi sententiam æternæ damnationis dictas ; præsentissimo pereundi discrimini te exponis. O quam funesta sunt , quæ dixi ! Dum peccas , te ipsum condemnas. Docet hoc Chryf. in hæc verba : *Scito & vide , quòd quoties peccasti , condemnasti te ipsum.* Exposuerat tibi DEUS Cœlum , diabolus voluptatem. Tu peccando dicebas , non voce , sed opere : scio , ô DEUS , quòd infinitum bonum sis ; scio , quòd me creaveris ex nihilo ; quòd Dominus meus , quòd Pater meus , quòd conservator sis ; à te tamen recedo , te desero ,

sero ,

fero, ut hac voluptate fruam. Abdico titulum filii; nolo te habere Patrem; nolo esse electus. Scio, te passum esse pro me, & acerbâ morte mortuum: nihil curo. Scio, quòd promittas mihi Cœlum, si tibi serviam; si verò hoc renuam, omne mihi jus Cœli adimas; nihil curo. Et tu ô S. Spiritus, cede è corde meo; cede cum gratia tua; nolo amicitiam; nolo favorem tuum. Et tu B. Virgo, posthac non eris Mater mea. Et vos Angeli, vos ô Sancti, non eritis Socii mei. Ametis DEum, an non, nihil curo; ego non amo. Scio, minatur DEus deletionem è libro vitæ, minatur inferos; nihil curo: deleat me: damnet me. Abrenuntio tibi, DEus! sciant Cœlum & terra, quia dæmonem sequor; dæmoni serviam; licet sciam, reum me fieri inferni; licet sciam, mori me in peccato posse, tamen pecco. Voluptas, quam dæmon exhibet, gratior mihi est gratiâ tuâ, favore tuo tuo Cœlo. Hoc si aliter obtinere non possum, nisi calcatâ lege tuâ, calcato Salvatoris sanguine, calcato Cœlo; fixum est; calcabo legem, calcabo sanguinem, repudiabo Cœlum, ut voluptate hac fruam: Pecco: nil me minæ, nil promissâ movent: Pecco. Non horres ad voces istas? tuæ sunt; à te toties reipsâ prolata sunt, quoties peccâsti graviter. Tum temporis enim palam fassus es, malle te dæmonis esse quàm DEI, Cœlum à te repudiari, ut infernum habeas. *Quis audivit talia horribilia?* Tu ipsum condemnare, tibi ipsi damnationis dicere sen-

sententiam audeas? dubitas de rei veritate? Te
 quæro: fur, dum hinc inde res alienas rapit,
 sciens omnem in furto deprehensum e patibulo
 suspendi, an non sibi ipsi quodammodo sen-
 tentiam dicit, dum sponte hujus se supplicii reum
 facit? ita sane. Ergo & tu dum peccas, sciens
 pœnam inferni destinata[m] esse peccatoribus,
 reum te facis inferni, sententiamque damna-
 tionis in te ipsum profers, & statuis; hoc solum
 discrimen video: fur sperat furtum suum cela-
 tum iri, aut judicem variis modis cogitat elu-
 dere, pœnasque evadere; tu verò, si Christianus
 es, credere certò debes; nec peccata tua posse
 celari, nec judicem eludi, nec pœnas evadi, si
 in peccato moriaris. Scio, quid dicas: evadi
 possunt pœnæ, si Pœnitentiam agam: peccabo,
 nec damnabor tamen, quia confitebor, & pec-
 cata deplorabo. Hoc ipsum forte respondes ad
 superiores effectus, cogitans: et quid demum
 est? facilia sunt peccati remedia; animæ decor
 facile reparatur; divina amicitia facile restaura-
 tur; Cœlum facile denuo obtinetur. Studiosè,
 an verè ita sentis? an facilia credis peccati reme-
 dia? ô quàm aliud sentiebat Sanctus ille, qui asse-
 rebat: *Facilius inveni, qui innocentiam servaret, quam*
qui ritè pœnitentiam egerit. Verum est: instituit
 Christus Pœnitentiæ Sacramentum; est Confes-
 sio certa peccatorum tabula. Sed an scis, hanc à
 te ritè peragenda[m] esse? an scis, dolorem tuum
 fore talem, qualis requiritur? quis hoc tibi pol-
 licebitur? Imò quis, obsecro, tempus tibi pro-
 misit,

G

misit,

milit, quo confiteri post peccatum valeas? an
 non eo ipso, quo peccas momento, mori potes?
 an tu primus esses, cui hoc contingeret? non
 scis, quid Angelis factum sit? quid pluribus stu-
 diosis? ubi tunc Pœnitentia? ubi confessio?
 ubi divinæ amicitiae reparatio? Sed si vel hoc
 abesset, an quia facile reparari potest amicitia
 DEI, eam hac de causa negligere oportet? an
 ob rem nullius momenti abiicere? an, quia DEI
 misericordia hæc remedia instituit, tu eam ip-
 sam offendere debes & irritare? an quia in vi-
 cinia est medicus, te ipsum vulneras? ô infan-
 tia! ô præsumptio nequissima! quam multos
 decepisti, perdidisti! credisne, mi juvenis, ar-
 dere in inferno vel unicum, qui, dum pecca-
 bat, non cogitaret, futuro tempore pœniten-
 tiam agere? nullus est, credo. Omnes, omnes
 tempus sibi promittebant. Interea justus DEUS,
 qui non irridetur, quo minimè tempore expe-
 ctabatur, aderat, morte subitanæ miseris rap-
 puit, ad tartara deturbavit. ô spes nequissi-
 ma peccatorum! ô spes fallax! Verùm mitto ista:
 unum dico, quod negare non potes. Dum
 peccas, eo te in statu collocas, ut damnari pos-
 sis, & æternum perire; cùm quovis momento
 mori possis; si autem in peccato moriaris, cer-
 ta tibi est damnatio. Hoc credis? & non tre-
 mis? non horres? non peccatum abominaris?
 non infensissimo odio execraris? Res certè ter-
 ribilis: pecco: expono me discrimini præsen-
 tissimo æternæ damnationis.

Reflexiones. Audiisti multa de natura, supplicis & effectibus Peccati. Quid ex omnibus his concludere potes, nisi hoc: ergo peccatum mortale est res prorsus horribilis, malitiamque continet suo modo infinitam: ergo peccatum non est res risu digna: ergo errant, qui peccatum tam facile admittunt: ergo mala potius omnia subeunda sunt, quam faciendum peccatum. Bene est. Hoc unum spectavi haectenus, fugam scilicet & horrorem peccati. Fugimus serpentem; horremus bufonem, nauseamus etiam videre araneam, quia vel visu turpia sunt, vel nobis noxia. Cur peccatum non horremus, omni bufone foedius, omni serpente pestiferum magis? Ergo quasi à facie colubri fuge peccatum Eccli. 21. Attende, quia citò præterit, quod delectat; permanet sine fine, quod cruciat, S. Chryf. Eleazarum illum Heroem Machabæum imitare, qui respondit citò, malle se præmitti in infernum, ac peccare. Imitare Sodallem illum Panormitanum, qui, ut testantur Annæ S. I. rogatus à duobus sodalibus, ut litteras impias ad locum designatum ferret; peccatum est, aiebat, non licet. Expedientibus vero illis mucronem & necem minantibus: occidite, dicebat; occidite me: hoc fortè potestis; ut peccem, non efficietis. Imitare demum mille alios, qui cum Machabæis palam asserebant: parati sumus magis mori, quam patrias DEI leges prævaricari. Sed jam ad particularia veniamus.

1. Si Anima per peccatum privatur omni decore; si è divinæ adoptionis gradu infra bestiarum vilitatem abiicitur; quo horrore ad solum etiam peccati nomen percelli debes? quo odio illud prosequi? Accipe simile: cogita te magno à condiscipulis tuis omnibus honore excipi; in amore esse omnibus & æstimatione summâ. Si quid scires, quod summum tibi apud eos contemptum accerseret, omniumque risui exponeret & ludibrio, an illud sponte faceres? nunquam certè. Si verò hoc ipsum omittere non posses sine molestia aliquâ tuâ; an hoc territus id ipsum fortè admittères? neque sic faceres, credo. Charior tibi esset honor tuus; malles molestiam superare, ne aliis ludibrio fieres. Quid verò est contemptus, quid ludibrium hoc collatum illi, quod peccando incurris? Et peccare potes? summo apud homines aliquando in die iudicii, summo apud demones in inferno, summo apud Angelos, ipsumque DEum contemptui, æternoque te exponis ludibrio. Ergo vel honoris cupidò te absterreat, & timor ludibrii.

2. Quid in te effecit consideratio effectus tristissimi; quo per peccatum diximus amitti gratiam DEI, amicitiam DEI, DEum ipsum. Digna est res hæc, quam sæpe mediteris. Aliud quid est perdere gratiam DEI? plus certè, ac mille regna, mille mundos perdere. Et tamen quid agimus? ubi jactura rei terrenæ prævidetur, omne adhibetur studium, ut caveatur jactura.

jactura si facta est, ô quantum deploratur! Sola,
 sola DEI jactura est, quæ à nobis lacrymas nul-
 las extorquet. Perdiderat B. Virgo duoden-
 nem Jesulum absque culpa sua. O quo labore,
 quo dolore per triduum quæsivit? tu quoties
 perdidisti Jesum tuum, & gratiam ejus? & an
 vel guttulam profudisti, doloris tui testem?
 Michas gentilis idola sibi fecerat; hæc ei clam
 surrepta sunt: insecutus illico viros, per quos
 rapta credidit, fletui & ululatus finem nullum
 ponebat. Quæsitus, quid ploraret? reposuit:
Deos meos tulistis -- & quaritis quid plorem? Ac
 si diceret: An non hæc sufficiens doloris causa
 est, perdidisse deos? his si mihi carendum est,
 omni pariter felicitate carendum mihi esse video.
 Non erubescis, Studiose, hoc audiens? Ethni-
 co Deorum jactura tam acerba est; lacrymas
 ei & planctus exprimit; eum domo excitat; ad
 quærendum impellit. Tu quid? An DEum
 peccando perditum deplorasti? an in Sacra-
 mento Pœnitentiæ inter lacrymas quæsivisti?
 Aut an DEus tuus res fortè minoris momenti
 est, ac DEus gentilium è luto formatus? an
 jactura DEI veri vilior? O pudor! Observa
 hoc præcipuè, si è peccato lucrum aliquod aut
 commodum quæsivisti. *Ecce peccasti, ait August.*
& lucrum fecisti. Quid? lucrum? ut lucrum faceres,
DEum perdidisti. Quid perdidisti? quid acquisivisti?
quod acquisivisti, aurum vocatur (aut voluptas)
quod perdidisti, DEus vocatur. Ecce lucrum præ-
clarum! DEum perdere, ut voluptatulâ fruam,

ut genio indulgeam. O quàm hoc aliquando deflebis, si jam non desleas? deflevit moriens Henricus Octavus Angliæ Rex: Heu me! aiebat, Cœlum, DEum, omnia perdididi! Tu, ne sic serò cogaris deflere, hoc age: magni æstima jacturam hanc, uti revera est maxima: & quia in manu tua est, eam vel declinare, vel facere, declina summo studio; hoc est: fuge peccatum. Eodem spectat, quod de amicitia DEI dictum est. O quanta res est, esse DEI amicum! gaudes, studiose, de favore Parentum, de gratia Magistri aut Professoris tui: laboras, ut eam obtineas, si desit: ut conserves, si adsit: ut repares, si imminuta sit. An non sollicitè etiam declinas ab eo, quo favorem illum minui tibi constat? an non peragis ea, quæ ad ejus conservationem sunt necessaria, licet fortè molesta tibi sint & ardua? & tamen favor hominis est. Minorisne igitur favor & amicitia DEI momenti sunt, ac favor humanus? Meliusne est vivere hostem DEI, quàm hominum? Pudet sic querere. Hoc te rogo: age pro obtinendo & conservando DEI favore illud saltem, quod pro humano agis: fuge peccatum, quod solum te DEI hostem facere potest. Si scires, te omni gratiâ apud Parentes tuos, aut Professores spoliatum iri, si mentireris v. g. aut diem otiosè perderes &c. an faceres mendacium illud? an fruereris otio? si ingenua tibi indoles est, non faceres: charior tibi favor ille foret brevi otio. O Studiose, quo DEI tui æstimatio recidit
certo

certò scis, te per peccatum mortale quodvis excidere gratiâ DEI & favore; & tamen perpetrare illud non horres? jacturam non curas? times esse hostis hominis, & nullo modo DEI? Imò (ô inauditam malitiam!) ut hominis amicitiam conserves, an non sæpe DEum ipsum offendis? ne homo tibi irascatur, ne te leviter puniat, aut increpet, DEum offendis mentiendo, pejerando &c. Hic quid dicam? DEum velle hostem habere, ne hominem habeam hostem, ô quæ audacia! quæ insania! Et quid tandem humana tibi nocere potest inimicitia? quid odium? corpori fortè potest, animæ non potest; DEum autem si hostem habeam, væ corpori! væ animæ tuæ! & in æternum væ! Hic etiam examina te, an non mala multa admiseris ex respectu vano, bona verò omiseris; nam hoc ipsum est Divinam amicitiam humanæ postponere, timere homines, non DEum, hominum favorem quærere, non DEI. Quo quid abominatione dignius?

3. Spoliatur Anima peccans jure ad Cœlum, & quidem pro te nullius momenti spoliatur: ergo peccator stultorum omnium maximus est. Per singula peccata si tantum florenum unum perderes, an non stolidus fores, si peccares? an non peccatum fugeres? credo sanè. Et ecce Cœlum perdis: beatitudinem perdis: nec tamen fugies? an fortè Cœlum floreni unius pretium non adæquat? ô pudor! Quo interim oculo aspicias id, quod Cœlum tibi eripit? Cogita, te

præ condiscipulis tuis omnibus spem habere Præmii sub finem anni palam reportandi; esse præterea in honore apud omnes; nullo unquam verbo aspero, nedum poenâ, à Professore exceptum. Sit alius, qui tibi istam tuam felicitatem invideat, quâ nescio, fraude à præmio te impediatur, gratiâ Professoris privet, omnibus exponat ludibrio, suppliciis etiam gravissimis subiiciat. Quo, quæso, cum eo oculo intueberis? si rectè sentio, vel nomen ejus ferre non posses, nedum aspectum: malè id quidem fieret; teneris enim & hostes diligere. Unus solùm hostis, est, quem licitè odio habes, & abominaris. Huc odium converte; graviora enim tibi damna, ac ullus alius, afferre potest. Hostis ille peccatum est: hoc tibi spem gloriæ æternæ, hoc gratiam DEI rapit, hoc suppliciis te addicit sempiternis. O te omnis impotem rationis, hostem hunc si ames!

4. Si peccator se facit reum gehennæ, sibi que damnationis æternæ sententiam dicit; ergo peccando exponit se periculo æternæ damnationis; ergo si in peccato moriatur, æternum perit. O quàm multa hîc observatu dignissima! Peccans se ponit in eo statu, in quo æternum perire potest. Peccastine, mi studiosè ergo te ipsum in misero adeò statu posuisti, ut si mortuus esses, periisses æternum. O quæ insania! quale tui ipsius odium! Bene hoc tibi imprime. Quamdiu in peccato es, hostis DEI es; reus inferni es, & quovis momento proximus

mus damnationi: laqueum quasi habes collo
circumdatum: jam in scalis veluti ad patibulum
consistis: imminent jamjam dæmones, te ad in-
feros rapturi. Quantum abes ab orco? quan-
tum requiritur, ut damneris? unus DEI nutus
requiritur: tantum abes ab orco, quantum à
morte; aut quantum reus aliquis jam in patibuli
gradibus consistens, abest à suspensione. Quid
concludis? Ergo insanissimus est, qui ob rem
nullius momenti huic se exponit periculo: ergo
multò insanior, qui vel per momentum in
tali statu perseverat. Et hoc posterius jam præ-
fertim tibi impressum opto. Insanissimus est,
qui vel unico temporis momento in statu pec-
cati mortalis perseverat; aut ridere in eo, joca-
ri, gaudere potest. Fuisti, ut timeo, in statu a-
deo misero, mi studiose, vix passu uno remo-
tus ab inferno: & ridere poteras? jocari pote-
ras? Morio quidam fuit, qui sæpe ex Domino
suo causam quærebat tristitiæ, quam vultu sem-
per præseferbat Dominus. Hic causam datu-
rus, mandat Morionem poni in sella quadam
admodum fragili; hanc jubet e funibus aliquot
suspendi, superne verò appendi gladium, qui
capiti immineret; inferne ignem substrui. Tum
sic Morionem compellabat: eja age, Morio,
ride, lætare, exulta! Quomodo possum, repo-
nebat iste, omni momento timeo, ne vel rum-
pantur funes, vel frangatur sella, aut gladius
decidat, & sic miser ferro aut igne peream, &
lætari me jubes? Responsionem hanc sic exce-

pit Dominus: Et hinc meam causam disce tristitia. Vita mea sedes fragilis est; imminet superius vindictae divinae gladius; infra me succensum video ignem infernalem, à quo parum me abesse video; & quomodo ridere, jocari, lætari possim? ô mi studiose, quomodo tu lætari poteras, aut etiamnum potes, si in peccato hæres, sciens: hoc momento si morior, apud inferos sum? Quomodo vel nocte unâ aut die vivere potes hostis DEI? Non poterat hoc capere S. Thomas, quâ ratione peccator unicâ etiam tantum horâ perseverare in peccato possit. Damocles notus ille Dionysii adulator, licet mensæ regiae accumberet, in regio resideret throno, ne bolum tamen è cibus delicatissimis capere voluit, eò quòd pendens è filo tenui ferrum vertici imminebat. Vitæ meæ securus non sum, ajebat, & comedere me jubes aut lætari? In peccato gravi si james, vitæ tuæ securus non es; hoc momento imminet vindicta divina; hoc momento, antequam finem facias legendi folium hoc, esse jam potes inter inferos: & lætari adhuc possis aut ridere? ô te nimis aut incurium aut stolidum! Joannes Alexandrinus cum Niceta quodam in re etiam licita litem moverat: sub vesperum diei illius, poenitentiam ductus, misit ad eum, qui diceret: sol ad occasum est: reconciliemus nos DEO. Studiose, has easdem credo esse voces Angelitui, antequam cubitum eas: mi cliens: sol ad occasum est: reconciliemus nos DEO! es in peri-

periculo damnationis: mori potes: damnari potes: elice contritionem perfectam: perage examen vespertinum: non unus jam inter inferos hujus neglectum plorat: memento periculi! Has Angeli tui voces crede, & eis obtempera; periculum enim salutis terribile est. Cogita esse hominem, qui è tenui & detrito fune pendeat super foveam serpentibus plenam. Quo eum animo fore credis? an ridebit? jocabitur? dormiet? an paullulum mellis forte ex arbore aliqua defluentis anhelabit? imò verò attonitus, tremens non nisi jam funiculum, jam foveam respiceret, sic tacitè gemens: heu quàm facile est, ut rumpatur filum! & quid fiet? miser ego pronò devolvat capite; valido ictu humi totus collidar; inermis & expers auxilii pabulum ero bestiis, quæ jamjam avidas fauces aperiunt. Ita cogitaret, ita gemeret ille: ita & tibi cogitandum. Vita tua filum fragile est: ô quot modis, quàm facilè rumpi potest! & si fiat; quò rues? quis opem feret? hæc credens an de somno, de cibo, de peccato novo cogitare potes? Abiice, quæso, insaniam: DEO te concilia!

5. Fuisti in statu, in quo perire poteras. Quis servavit, ne perires? ne morereris ut alii in peccato? Audi denuo, & hanc tibi veritatem imprime: Infinita DEI bonitas te servavit. O stupendam misericordiam! sed cujus DEI? an ejus, quem amabas? minimè; sed (obstupeſce!) sed DEI à te toties tamque graviter offensi bonitas te servavit. Audite Coeli! DEus à me
offen-

offensus, me servat ab interitu! ô verba, quæ si me non inflectant, si non lacrymas è ferreo etiam corde extorqueant, nulla alia supersunt. DEus à me offensus fecit, ne damnerer! Idem tibi applica. An leve hoc beneficium? an amantissimum hunc DEum iterum ausimus offendere? ah absit diabolica hæc malitia! Pepercit DEus, dum damnare nos poterat; dignus igitur est omni amore & obsequio. B. Virginis hic non obliviscamur. Pepercit DEus peccantibus nobis; quod autem pepercerit, citra dubium ad preces B. Virginis pepercit; nulla enim nisi per hanc obtingit nobis gratia. Dicit illa tibi, quod dixisse fertur Studioso cuidam, ut Annæ S. J. memorant: finem fac tandem, agebat, vitæ liberiori: est periculum æterni exitii, quod jam subiisses, nisi ego avertissem. Sic illa hodie ad te loquitur: petit, ut finem facias vitæ tepidæ; faciesne tandem?

Affectus. O misericors DEus! ô DEus à me toties, tam graviter offensus! quid dicam? quibus verbis tuam in me bonitatem deprædicem? Nisi custodisses me, habitasset inter inferos anima mea; arderem inter inferos sine ulla redemptionis spe in æternum. Si me mori permisisses in illo loco -- illo tempore -- ô Anima mea ubi essemus? inter inferos essemus. Quis fecit, ne simus in loco adeò funesto? DEus fecit! DEus à te offensus fecit! obstupesco, ô DEus, ad hanc tuam clementiam! hæc, hæc cor meum saxo durius emollit. Detestor, Domine, & super

super omnia mala abominor omnes iniquitates meas, quibus te unquam offendi. O DEUS mi, quid egi? quoties animam meam indignissime habui, tuam in ea imaginem deformando? quoties bonis cœlestibus me sponte abdicavi, ut levi fruerer voluptate? quoties æternorum me reum feci suppliciorum, ut genio satisfacerem? stultè egi in his, Domine: detestor insaniam meam; sed magis detestor injuriam tibi in his illatam, maximè, quòd gratiam & amicitiam tuam tam parvi fecerim. Domine, tu scis insipientiam meam, & delicta mea à te non sunt abscondita. O quis dabit dolorem, qui par sit malitiæ meæ! si eum etiam haberem dolorem, qui spiritum mihi intercluderet, præcordia rumpèret, exanimem me humi prosterneret, tantus adhuc non esset, quantus deberet. O utinam omnis omnium verè Pœnitentium dolor meo in corde congregaretur! utinam eo ipso odio, quo tu, ô DEUS, peccatum detestaris, detestari & ego possem! detestabor quantum possum & per Confessionem abolebo.

Proposita. Tuam verò bonitatem, quæ me hætenus servavit, ne perirem, posthac offendere impossibile mihi erit. 1. Ergo Amor mi, nullum posthac peccatum! 2. Occasionem peccandi fugiam, præcipuè illam - - - 3. Renuntio consortio huic, quod ad peccatum me induxit. 4. Nullius hominis amore DEUM meum vel levissime offendam. 5. Nihil boni ex respectu vano omittam. 6. Pro nullo mundi bono DEUM

&

& amicitiam ejus perdam. 7 Semper vesperi faciam Examen, & Contritionem seriam elicere conabor. 8. Si, quod absit, in peccatum grave laberer, ut primum potero, properabo ad Confessionem. 9. Sæpe DEO gratias agam, quòd me non damnaverit. 10. Colam indies B. Virginem, cujus intercessione procul dubio servatus sum, ne perirem; & quia hæc petit, ut finem faciam vitæ liberiori, faciam. 11. Ut semper horream peccatum, sæpe cogitabo: unum peccatum, æterna damnatio!

Petitio. Infinita Tua bonitas, ô DEUS, quæ rebellem servavit, contritum non despiciet, sed gratiam largietur ea implendi, quæ per gratiam tuam statui. Ita per Jesu Christi sanguinem rogo.

Ad DEum. Rex Cœli & terræ, ego vermiculus vilissimus, sed tamen creatura tua, ad thronum Majestatis tuæ adrepo. Faciem levare non audeo, quia confusio eam cooperuit. Vocem meam levo ad te, & hoc unum repeto: Benedictus es Domine, quia fecisti mecum secundum misericordiam tuam magnam nimis. Gratias ago tibi, quòd malitiam peccati mihi manifestaveris, & sanctius vivendi desiderium inspiraveris. Unum peto cum Ecclesia tua: DEUS à quo bona cuncta procedunt, & qui diligentibus te facis cuncta prodesse, da cordibus nostris inviolabilem tuæ Charitatis affectum, ut desideria de tua miseratione concepta nulla possint tentatione turbari.

Ad

Ad B. Virginem & Sanctos. O verè Mater
 Misericordiæ, Maria Virgo! ego peccator te in-
 tercedente servatus ab inferis tibi gratias ago,
 meam erga te pietatem renovo; finem faciam
 liberiori vitæ meæ: ora & deinceps pro me, ne
 in pristina peccata relabar. Idem mihi à DEO
 impetrate, ô Sancti Patroni omnes, vos præci-
 pue, qui mori maluistis, quàm peccare: horro-
 rem peccati implacabilem mihi exorate, ne ultra
 offendam DEum meum. *Litanias Lauretanas*
recita eundem in finem.

Consideratio IV.

De Peccato Veniali.

Recitatâ oratione, cogita te videre Purga-
 torium, ejusque pœnas varias ac terribiles, nec
 non Animas DEO quidem dilectas, acerba ta-
 men patientes. Roga gratiam agnoscendi,
 quantum malum sit illud, quod DEus inter flam-
 mas illas tam horrendis castigat suppliciis.

Pars I.

Natura Peccati Venialis.

Doctrina. Peccati mortalis horror facilius
 persuadetur hominibus, Venialis non item.
 Insita enim est hæc hominum animis opinio
 non facile evellenda, peccatum veniale Leve
 aliquid esse; hinc nec tanto studio vitandum.
 Pesti-

Pesti-

Pestilens doctrina à dæmone hausta. Aliud ex natura & pœnis peccati huius agnoscemus. Labet antea Sanctorum, Deique iudicium de hac re proponere. Age, quid Sancti de peccato Veniali iudicant? 1. Sancti unum etiam Veniale peccatum dignum iudicârunt, quod tota vitâ deflerent: sic Eusebius quadraginta annis voluntariam unam distractionem sub oratione habitam deploravit. S. Aloysius à se adhuc puero admissi peccati umbram quotidianis ferè flagellis & jeuniis expiare laboravit. 2. Sancti adeo horruerunt peccatum etiam Veniale, ut dixerint, se potius omnia inferni tormenta passuros, quàm tale peccatum facturos. Ita sensere S. Edmundus & S. Anselmus. B. Cathar. Senens. agebat: si per unum veniale possem obtinere gloriam tantam, quantam habet B. Virgo, nollem veniale illud perpetrare. V. P. Franciscus de Hieronymo Domino cuidam asserebat: Nec pro totius mundi bono oportet vel leviter mentiri. 3. Communis Patrum doctrina est, Veniale unum peius esse malis mundi omnibus, morte etiam ipsâ, imò & inferno. Hinc B. Dorothei verba sunt: *Longè melius est perire omnia corpora, quàm ladi animam tuam in re etiam minima.* S. Anselmi: *Nec pro aliqua re mundi, nec pro omnibus simul peccatum unum est admittendum.* Gersonis hæc: *Toleranda est potius mors omnis pœnalis, omnia Martyrum supplicia, quàm committenda levissima in DEum offensa.* Hinc notum est illud: præstat millies mori, quàm DEum vel levissime offen-

offendere. Ex quo una omnium Patrum conclusio hæc est : si una ex parte proponeretur omne mundi bonum, atque id per veniale peccatum obtineri posset, non liceret hoc committere. Mirabilior ista illatio : si per veniale unum totum possem servare ab exitio regnum ; si omnia mundi peccata impedire ; si omnes ex inferno damnatos liberare, ne vel tum hoc admittere fas esset. Expende hîc tecum, quantum divinæ gloriæ augmentum foret, si innumerorum damnatorum blasphemiam converterentur in laudem & benedictionem DEI ! & tamen venialis unius peccati tanta malitia est, ut nec ad tantum gloriæ augmentum faciendum illud liceat perpetrare. Idem est, si per veniale unicum posses obstruere inferos, ne ullus hominum eò amplius decideret, sed ut salvi fierent omnes ; non liceret tibi, res certa est, non liceret tibi venialis illius perpetratio : majore DEum injuriâ afficit peccati unius malitia, quam omnium hominum laudes per æternitatem omnem dicendæ eum delectarent. O peccatum veniale, quis tuam satis penetret malitiam ! 4. Si Sanctis in Cœlo daretur optio, ut aut admittant peccatum veniale, aut Cœlo omnes exeant, nunquam ad illud redituri, tantus est in iis venialis peccati horror, ut omnes hoc potius momento Cœlo exesse mallent, ac peccatum ejusmodi peccare. Ecce hoc Sanctorum de veniali peccato judicium est. Veniamus ad judicium DEI. Quale istud est ? idem,

H quod

quod Sanctorum; à DEO enim hauserunt Sancti. Apparuit Christus S. Brigittæ, & inter monita alia hoc dedit: Tu nullum peccatum puta leve, nullum negligendum. S. Catharina Senensem docuit, tantam inesse peccato veniali malitiam, ut nec omnes Sancti per sua Martyria & opera bona, nec ipsa B. Virgo possit pro uno etiam satisfacere: ut enim nos delere jam possimus peccata ejusmodi, & pro eis satisfacere, debebat Christus, persona divina Patri æterno prius satisfacere, & sua offerre merita nobis applicanda; quod nisi factum fuisset, nunquam vel minimum deleri à nobis potuisset. Hinc Christus eidem Virgini addidit: etiam veniali peccato malitiam quodammodo inesse infinitam, quia infinitum bonum offendit. Ecce iudicium DEI & sanctorum. Huic subungere placet etiam iudicium morientium & damnatorum. Iudicium morientium summi æstimandum est; teste enim Scripturâ, Mortuum iudicium bonum est. Quid igitur Morientes de peccato veniali iudicant? ô quàm aliud, nos! ô quàm formidandum eis apparet, quid quid in vita leve crediderant, aut contemnendum! Religiosus erat, qui morti proximus, timore terroreque correptus exclamabat: ô bone Jesu, condona mihi hoc modicum! condona mihi! ad circumstantes deinde conversus agebat: Fratres mei, hac horâ, hoc momento moneo dica etiam peccata reputantur inter magna. Studiosus fuit Henricus ille ab Hayden, rarissimus

simæ pietatis adolescens: huic dæmon leves defectus in morte adeò exprobravit, ut immani terrore perculsus postea diceret: ô Socii mei, salus mea fuit in angusto! Religiosus erat, cui morienti dæmon unam horam, somno otioso datam, objecit, & terribilem horrorem incussit. Hoc ipsum minitabantur aliquando dæmones cuidam sancto cæteroquin Episcopo, qui die festo absque necessitate barbam sibi radi patiebatur: illi enim capillos sollicitè colligere visi sunt, sic Episcopum allocuti: his te aliquando torquebimus: his te torquebimus. Ecce habes simul iudicium morientium & damnatorum. Si enim dæmones crederent peccata venialia tantùm esse contemnenda, non adeò sollicitè ea observarent, & moribundis obiicerent. Clarius tamen patebit iudicium damnatorum ex parte altera, ubi intelliges unum sæpe veniale peccatum esse, quo via ad infernum sternitur. Causam malitiæ tantæ, quam veniali peccato inesse iudicant sancti, morientes, & DEUS ipse, intelliges, si naturam peccati ejuscemodi attendere velis.

Natura peccati venialis est, quòd sit offensa DEI. Veniale quodlibet verè suo sensu est offensa DEI. DEUS Majestas infinita est; ergo quidquid eum offendit, leve non est, sed malitiam aliquo modo continet infinitam. Fateor, non est offensa eo sensu, quòd divinam solvat amicitiam, aut gratiã nos excludat; offensa tamen est, inobedientia est, quidam tantæ

Majestatis contemptus est. Regem in re etiam parva offendere, res magna est, & severe plectitur. Atque ex hoc fit, quod veniale sit gravius omnibus morbis & morte ipsa, quæ non sunt offensa DEI; sequitur esse tantum malum, quod magis deceat averfari, quam mortem, ejus fugam verò magis quærere, ac meam, meorum amicorum totiusque mundi vitam & conservationem: neque enim decet Majestatem infinitam ob ullum bonum creatum offendi. Accipe simile: defendis te per æstatem à muscarum molestiis, dum faciem circumvolitant, aut ei insident. Earum aliquam si deprehendis, licet vulnus tibi nullum inflixerit, confestim occidis; satius enim esse credis, si vile hoc animalculum morte afficiatur, quam ut vel levissimam ab eo patiaris molestiam. Creaturæ omnes quid sunt in conspectu Magni DEI? quid tu? quid homines reliqui omnes? minus reverentius ac muscula aliqua tibi comparata. Si ergo minus malum censes, muscam occidi, quam te aliquantum molestiæ ab ea experiri, quia tu multo perfectiore naturâ es præditus; quanto magis fateri debes, minus malum esse, si creaturæ omnes pereant & exinguantur, quam ut vel levissima DEO molestia, ut ita dicam, aut dispensentia inferatur per peccatum veniale, cum DEI natura infinitis perfectione excedat creaturas omnes. Scilicet si infinitam DEI Majestatem cognosceremus, venialis peccati malignitatem facile caperemus, nec miraremur judicium sancto-

sanctorum Patrum asserentium, neque pro totius mundi conservatione, neque pro damnatorum liberatione faciendum esse veniale unicum. Verum abscondita sunt hæc ab oculis nostris. Ideo bene S. Ignatius ingemuit: Ô DEUS, Ô si te homines nôssent! Si DEUM nôssent, nôssent pariter, quid sit in re etiam levissima DEUM offendere, in re levi DEO non obedire, in re levi refragari. Sunt, qui levem DEI offensam comparant sputis & colaphis, quos Judæi Christo inflixerunt; quibus venerandam ejus faciem conspuerunt; sicut mortale peccatum ipsi occisioni & crucifixioni conferunt. Tecum reputa, an non terribile sit, Divinam conspurcare faciem, colaphis cedere &c. hoc si rem momenti parvi credere potes, potes & peccatum veniale leve dicere.

Reflexiones. Quid ad hæc, Studiosè? an fabulæ sunt? an exaggerationes hyperbolicæ? Veritates sunt: fabulas enim Christus cum Sanctis non docet. Quid concludis? Audiisti Judicium Sanctorum & ipsius DEI. Quid tibi videtur? Christus infinitam aliquam malitiam peccato inesse dicit; nullum dicit esse leve, nullum contemnendum. Sancti Patres nec pro totius mundi salute peccatum veniale admittendum esse docent. Quid tu? quid homines plerique hac de re judicant? quid de mendacio levi? de irreverentia in templo? de inobedientia modica? de iterata Pensi scholastici dictatione? de otio unius aut alterius horæ? de somno pigre

grè protracto? de innumeris aliis quid iudicat mundus? Manifesta sunt iudicia ejus. Leve est, ait, leve est: leve mendacium jocosum aut officiosum; levis illa inobedientia &c. imò eo devenerunt Studiosi nonnulli, ut, si quis sit, qui hæc velut magna, velut sollicitè fugienda proponit, dicere audeant: &, quæso, quantum tandem res est? quid demum est, indies somno ad lucem usque indulgere? prodire foras è domo tempore studiis destinato? conversari cum aliis? vagari per domos & plateas, quæque sunt plura ejusmodi. Quid demum? levia sunt, puerilia sunt, nulla sunt, non digna, quæ tot monitis & minis inculcentur. Ita loquuntur non pauci. O tempora nostra! ô miseram juventutis seductionem! Christe Jesu, quo delapsi sumus! tu nullam DEI offensam docere esse levem; & Studiosi nullam prope docere esse alicujus momenti. Tu de omni verbo otioso doces dandam esse rationem; & Studiosi de diuturnis confabulationibus, de turpioribus etiam jocis nihil te quæsiturum esse credunt. Tu vel unam horulam temporis otiosè exactam moribundo exprobrari permisisti, & eum propterea purgantibus illis flammis addixisti; & Studiosi dies totos & menses, indies certè horas plures otiosè dormiendo, circumvagando studiis non vacando consumunt; nec tamen iudicium tuum timent, nec propterea in confessione se accusant, nec de emendatione summo solliciti, quin & indignantur talia monentibus.

O Jesu

O Jesu, quò delapsa est cæca Juventus? offensas cumulat, & non curat; atque utinam non essent, qui ridere etiam ad ista & joculari audeant! Tu, mi lector studiosè, quid sentis? hoc credo concludis: ergo aut Christus errat, aut juventus cum mundo errat. Christus peccatum quodvis magnâ dicit curâ esse cavendum; dicit, nihil esse leve: mundus cum Juventute sentit contrarium. Utra pars errat? aut DEUS, aut Mundus. Errare an DEUM dices? blasphemum esset vel cogitare. Ergo Mundus errat: ergo juventus errat. Hoc firmiter tibi imprime. Erit, cum socii te invitabunt ad otiosas ambulationes, ad neglectum pietatis in templo, ad studia omissenda &c.] dicent: leve quid est: veni nobiscum: adeamus locum illum: peccatum non est: nihil mali agimus &c. Christus verò in corde tuo dicet: cave; offendis me, si audias socios tuos, peccatum est. Quid tu? aut Christus te decipit, aut socii. Christus veritas æterna decipere non potest; ergo hunc audi, huic obsequere, nihil leve judica, quo DEUS offenditur.

2. Veniale peccatum quodlibet est offensa DEI; ergo nihil leve est. Nam cum tanta sit DEI nostri Majestas, impossibile est aliquid leve esse, quod eam quocunque demum modo offendit. Hinc S. Basilius dicit: *Quis est, qui peccatum unum, cujuscunque modi illud sit, leve audeat appellare?* optarem hîc aureis semper characteribus descriptum versari ob oculos tuos id,

quod modò memoratus Pater asserit : *Nihil ad DEum pertinens leve est.* Quod & V. P. Lancicius S. I. his verbis complectebatur : *Nihil leve, quod summa æstimat Majestas : nihil exiguum, quod summa reprobat Sanctitas.* Nihil leve. *Æstimat Majestas divina preces matutinas ; æstimat heroicam manè sui victoriam in surgendo, industriam in studiis, reverentiam in templo, mortificationes in rebus etiam modicis, fugam otii, examen vespertinum, obedientiam &c.* ergo leve quid non sunt ista, aut risu digna : nihil enim leve, quod summa æstimat Majestas. Nihil pariter leve, quod summa reprobat sanctitas. *Reprobata ista mendacium etiam jocum ; reprobata horam etiam unam otio datam, omissiones precum, irreverentias in templo, teporem in studiis, liberiores loquendi modum &c.* ergo leve quid non sunt ista, aut risu digna. Nihil leve, quod summa reprobat sanctitas. Nihil ad DEum pertinens leve est.

3. Veniale peccatum non est quidem offensiva DEI, quæ quasi mortem Christo afferat, uti Mortale ; sed simile dicitur sputis & colaphis, quibus Judæi Christum affecerunt : infero rursus ; ergo peccatum veniale nihil leve est. Sicut profectò nihil leve dixeris ; nihil pariter leve colaphum divinissimo vultui infligere. Agere enim, existat filius, qui dicat : non occidam patrem meum, conspuere tamen, colaphos ei infligere pro libitu audebo. Quid de filio hoc censes ?

ses? an signum amoris debiti in eo advertis? an leve quid ab eo perpetrari dices? Tibi applica.

4. Si Sancti maluerunt tormenta quævis tolerare, ac vel unum veniale peccatum facere; si censent nec pro totius mundi salute, nec ad evitanda mala omnia, nec ad ipsum infernum declinandum fieri debere peccatum ejusmodi; an non erubescere cogaris, quòd aliud hæcenus & cogitaveris & feceris? Quis numeret peccata venialia à te per unius solum anni spatium admissa? percurrere diem à manè ad vesperum usque: vide, qualis fueris in surgendo, orando, studendo, comedendo, loquendo &c. ô quot peccatorum talium millia reperies! Jam quæro; quam ob causam ea admisisti? quanti res momenti agebatur? quantum malum declinare, quantum procurare bonum laborâsti? an agebatur conversio totius mundi, an salus regni? ne tum quidem licuisset vel leviter peccare. An aliàs fortè incurrisses ingentem morbum aut mortem ipsam? ne vel sic licuisset DEum offendere. Abfuerunt ista omnia: timebas fortè confusionem levem in schola aut coram uno alteròve Studioso; timebas increpationem aliquam, aut vultum asperiores; & ô quot mendacia, quàmque turpia uno velut halitu proferebantur! ad evitandum leve hoc malum fecisti, quod ad evitandos etiam inferos facere non debebas. Agebatur lucrum leve, amicitia alterius diminutio, voluptatula modica jac-

H s

tura:

tura: hoc ne fieret, quot peccata tuo iudicio levia perpetrare ausus es? Spes exigui boni, metus exigui mali ad innumera peccata perpetranda te induxerunt. Jam cogita: pro totius mundi imperio obtinendo, non decet vel levissimè DEum offendere; & tu toties pro re tantilla offendisti? atque utinam non etiam jocando & ridendo id egisses, ubi nulla penitus boni spes, nullus mali metus existebat. Ridendo quot mendacia, aut sermones liberiores prolati sunt; ex joco, ut ajebas. O infelix jocus! ò rem terribilem jocando DEum offendere! Animi exhilarandi causâ, otiano perdebas tempus, ambulando &c. quid hoc erat, nisi jocando DEum offendere? ò rem terribilem!

5. Morientes de veniali peccato quid iudicent, intellexisti: ex eo quid inferis? id, quod toties jam inculcavi: ergo non est leve quid peccare venialiter. Ad solum etiam peccati venialis nomen percelli posthac debes magis, ac si omnem mundi machinam funditus labetaculatam in informem ruinarum acervum subsidere cerneres. Res nimirum prorsus terribilis est: DEum offendere. Horrorem peccati huius optarem eum, quem S. Cath. Genuens. concepit. Ostendit ei DEus peccati venialis turpitudinem; quâ visâ sic cohorrui, ut non tantum se illico morituram, sed penitus annihilandam crederet; sic deinde Christum allocuta est: Jesu, malo mihi ostendas omnia dæmonia, eorumque supplicia; nihili enim facio monstro-
sam

nam eorum turpitudinem præ deformitate unius
offensæ, quam venialem dicimus: non miror
infernum conditum esse pro peccato mortali,
cùm etiam venialia tam deformia sint, & DEO
tam injuriosa. Eundem tibi horrorem opto;
concupies etiam, ut spero, si ea quæ dixi, & ad-
huc dicenda restant, seriò expendas.

Affectus & Proposita sumantur ex parte se-
cunda inferiùs posita.

Pars II.

Supplicia Peccati Venialis.

Doctrina. Supplicia Peccati Venialis varia
sunt. Notissimum omnibus est Purgato-
rium. Ignis ille purgatorius peccati Venialis
supplicium est. O si verborum istorum vim
penetrares! Moritur in peccato veniali, vel
unico tantùm, homo aliquis: ad DEI aspectum
non admittitur: prohibetur Cælo: ad ignem
Purgatorii delegatur. Quid ibi? quibus pœnis
afficitur? Dicam paucis: concors Patrum sen-
tentia est, easdem esse in Inferno & Purgatorio
pœnas, eadem supplicia, ut nullum prorsus sit
discrimen præter hoc, quòd infernus duret æter-
nùm, non sic autem duret Purgatorium. Ad
Purgatorium ergo relegatur anima in unico
etiam veniali moriens. Ergo plura ibi & ma-
jora pro uno veniali patitur tormenta, quàm
si omnia Martyrum supplicia, omnes morbos,
dolo.

dolores in mundo omnes toleraret? ita est. Minimum enim loci illius supplicium omnia mundi tormenta superat. Tecum considera; si quis ob veniale peccatum tantum mense uno dolores dentium aut capitis sustinere deberet, an non diceremus, peccatum illud rem terribilem esse, cum tanti pro eo dolores debeant tolerari? Et quid est dolor dentium non unius modo mensis, sed mille annorum, si cum dolore Purgatorii minimo conferatur? Tantos tamque diuturnos Anima, Venialis unius rea, pati dolores cogitur, & gravitatem non apprehendes? Apprehendes fortasse magis, si patientis personam consideres. Age, quis dolores illos patitur? Anima DEO dilecta, æternum in Coelis DEum visura; hæc tam terribilibus à DEO plectitur suppliciis. Ah quid hoc? Animas in inferno horrendis adeò modis puniri, non miror; hostes enim DEI sunt, inimicæ DEI, æternum divino conspectu arcendæ. Sed puniri amicas DEI, filias DEI, æternum cum sanctis regnaturas, ô quid est! an non exinde colligimus odium maximum, quo leves etiam noxas DEus justus prosequitur? Cogita esse Patrem, qui filium suum in flammis abiiciat: quid dices? aut filius grande admisit facinus, aut pater crudelis est. Ergo & hîc sic loquere: aut DEus crudelis est; aut animæ in igne purgantibus grandes facinus perpetrarunt. Primum cogitare nefas est; alterum veritas est. Scilicet unum etiam Veniale peccatum opinio

ne

ne nostrâ majus est. Et quæ venialia ibi plecti credis? Horreo, dum recordor tot historiarum, è quibus patet, unius etiam crucigeri furtum, unam in oratione distractionem voluntariam, unam in templo irreverentiam multorum annorum suppliciis castigari. O DEUS! ô si homines nôssent, quàm horrenda res sit offensa DEI etiam in re levissima!

Supplicia peccati venialis in hac etiamnum vita plura supersunt, quæ paucis commemoro. Peccata venialia impediunt auxilia, quæ concessurus alioquin fuisset DEUS; consolationem & gustum in divino servitio subtrahunt; licet amicitiam DEI non tollant, familiaritatem tamen, quâ DEUS usus fuisset, ab anima sic peccante arcent; pudorem homini sensim eripiunt, ut peccare non erubescat amplius; sunt occasio tentationum graviorum, quibus DEUS tepidas animas affligi patitur, quæ liberè adeò levia peccata admittunt &c. Non commemoro pœnas temporales, quibus venialiter peccantium temeritas mulctata legitur tum in sacris litteris, tum probatis aliis authoribus.

Unum commemoro, quod terrore prorsus horribili percellere meritò quemcunque debet, atque eò inducere, ut peccata etiam minima, maximè deliberata & voluntaria sedulò caveat. Horreo, fateor, quoties cogito, nec sine metu tibi aperio. Quodnam ergo hoc supplicium? Continetur notis illis scripturæ verbis: *Qui spernit modica, paulatim decidet; decidet à pietate, à statu*

à statu gratiæ in perditionem æternam. Orem
 planè terribilem ! ô fulmen ! ô tonitru , quod
 quem non emollit , ferreus sit , necesse est , imò
 ferro saxoque durior. Qui spernit modica ,
 paulatim decidet ; hoc est , qui deliberatè , sæpe ,
 sine horrore committit Venialia , paulatim de-
 cidet in mortale , è mortali fortè , ut sæpius fac-
 tum , ad damnationem sempiternam. Quid ad
 incutiendum peccati venialis horrorem dici po-
 test efficacius ? peccatum veniale disponit ad
 mortale , adeoque ad infernum. Hic est effec-
 tus ille pestilens , hæc pœna illa terribilis , quæ
 liberè peccantes venialiter punire solet Divina
 justitia. Res certa est apud SS. Patres ; hinc
 peccatum veniale comparant non quidem morti ,
 sed morbo v. g. feбри. Non aufert hæc ex se vi-
 tam corporis , sed infirmat. Primò enim vires
 ad operandum necessarias subducit ; deinde
 ciborum appetitum minuit ; demum ad mortem
 disponit. Hæc ipsa è veniali peccato enasci
 docent. Debilitantur vires hominis ; debilita-
 tur vigor & bene agendi alacritas ; ita ut ani-
 mus hominis in actionibus aliàs etiam sine dif-
 ficultate exercitis ingentem sentiat difficultate-
 tem , & facile inducatur , ut eas vel omittat
 vel frigidissimè peragat : vires enim veniale
 peccatum abstulit. Accedit fastidium rerum
 divinarum & nausea : non sapiunt ultra devo-
 tiones , non placent mortificationes. Demum
 adest inclinatio ad peccatum mortale. Prohibe-
 rum est videre hominem , qui voluntariè
 bere

berè peccat venialiter, nec tamen labatur in mortale. Horum omnium causa ea est, quia toties peccanti venialiter vilescere incipit DEI Majestas; DEUS non tot gratias amplius suppetat; quin & eas paulatim subtrahit; sic cadit homo, sic perit. *Multoties peccando venialiter, ait S. Thom. disponetur homo ad mortale.* Ex quo facilis ad infernum descensus est. Docet hoc quotidiana fermè experientia. Nemo repente pessimus: incipimus à levi, & paulatim ruimus ad gravia. Tuam conscientiam appello. Peccastine graviter, mi Studiose? unde, quæso, inductus es ad mortale primum? si tentationes illas aperuisses; si socium illum declinâsses; an peccâsses? minimè. E levibus descendisti ad grave. Studiosi, qui jam inter inferos sedent, æternum miseri, an statim à peccato mortali inceperunt? hoc ut credam, non inducor. Dæmon ipse non statim ad gravia perpetranda impellit, sed à levibus incipit, quæ dum ab homine liberè videt admitti, fortè etiam contemni, tum enim verò vix advertentem aggreditur, nefanda quæque & horrenda ei obiicit, persuadetque. Sic certè cum Ernesto illo Herbipolensi egit. Non eum mox ad magicas artes, ad horrenda sacrilegia invitavit; sed sic eum induxit, ut Ernestus hîc & nunc abesse inciperet à scholis, & hoc leve credidit; abesse à Sodalitate; iterum leve; negligere pensa scholastica, horam unam alteramve otiosi, plusculum indulgere somno, omittere manè & vesperî preces,

preces, adhærere sociis, eorum audire consilia, cum iis visitare popinas &c. Hæc omnia ei levia videbantur; fortè etiam re ipsa tantum venialia erant; fortè, inquam, nam constanter talia agere, quis à mortali excuset? Interim per levia & levia ista deductus est miser ad execranda flagitia, ad probrosam in sæculo, infelicem in æternitate mortem. O leve! ô leve! sic omnibus in inferno hærentibus actum esse credo, atque ideo ab his acerbissimè deplorari. Legi de quodam, qui post obitum apparens hoc iterum iterumque ingemuit: *Heu quàm gravi errore deceptus sum!* contemnendo scilicet venialia quibus via sternebatur ad Tartara. Has tibi voces & veritatem adeò horrendam imprime.

Ut imprimas fortiùs, placet addere id, quod absque horrore nunquam lego, aut cogito. Theresia Virgo illa sanctissima, rarissimis à DEO donata favoribus, plurimis à Cœlo doctrinis saluberrimis instructa, vice quadam rapta est in ecstasin, deductaque à Custode Angelo ad inferos. Ibi cum varia variorum tormentorum non sine stupore immani spectasset; demum monita est, consideraret locum aliquem, quem digito designabat inter inferos. Consideravit illa, & loci horrore exanimata corruisset, nisi per singularem DEI gratiam fuisset corroborata. Postquam diu satis eum contemplata fuisset sic eam Angelus alloquebatur: Theresia, scito hunc ipsum, quem hic vides locum illum esse, quò deturbata fuisses, per omnem æternitatem ibi

ibi crucianda, nisi leve illud peccatum emendâsses. O quo horrore Sancta Virgo has voces excepit! quo nos eas excipere debemus? Virgini tam sanctæ paratur inter inferos locus a deò terribilis, si à peccato veniali non desistat. Ô horror! peccatum unum veniale fuit, quo Virgo Sancta viam sibi parâssset ad Tartara, nisi illud seriò cavisset; non quasi hoc ipsum peccatum tantæ esset malitiæ, ut pœnam mereretur æternam, sed quia committendo sæpe veniale illud, admisisset & alia, per quæ sensim in divino servitio languere cœpisset, & demum deficere. Ô peccatum leve! Et quale putas fuisse illud, quod S. Theresia admittebat? Audi & magis obstupesce: diuturnior erat confabulatio cum hominibus aliis; confabulatio non impura, aut detractoria, sed vana, otiosa, de rebus inutilibus. O cœlites! tantilla res tam Sanctam Virginem paulatim deduxisset ad Tartara! Ô cœlites! quid agent peccata studiosis familiariora? quid neglectus precum? quid segnitie in studiis? (si tamen hæc veniale est) quid irreverentiæ in templo? quid lusus prohibiti? quid innumera alia? quis non timeat peccata ejusmodi levia? Levia dum voco, ex communi sensu loquor. Reipsa enim sentio: nihil leve, quo Divina Majestas offenditur.

Reflexiones. Hæc, quæ dicta sunt, nisi in te Venialium horrorem excitent, nescio sanè, quid eum valeat excitare. Ex his enim omnibus hoc unum inferri potest: ergo peccatum

Veniale res formidanda est; ergo summo studio cavendum; neque enim sic puniret DEus, si res solummodo levis esset. Cur ergo veniale, cur leve dicitur? Non quasi leve in se esset, sed quòd peccato mortali comparatum, leve censetur; in se ipso enim omnem terrenorum malorum gravitatem excedit. Sic febris in se gravis, malum tamen leve dicitur morti collata. Sed agamus ordine.

1. Si DEus horrendis adeò suppliciis in orbe altero punit peccatum leve; ergo stultissime agit, qui semel etiam tantum deliberatè peccat venialiter; & hoc qui attenderet, certe non peccaret. Si pro uno veniali tantum per tres aut quatuor dies tibi esset jejunandum, aut dolor dentium sustinendus, an tam facile admitteres tot mendacia &c.? profectò caveres. Et, & quid, quæso, est dolor dentium per pauculos dies, quid breve jejunium Purgatorii suppliciis collatum? minùsne ista formidas? an minùs credis? aut cur tibi ipsi usque adeò inimicus es, ut tantas accersere non horreas pœnas?

2. Si peccatum veniale disponit ad mortales, ergo ex hoc maxime capite fugiendum est, etiam in rebus, quæ placere nobis possunt, aut molestæ esse. Non cavemus solam mortem, sed etiam morbos, ne per hos deducamur ad mortem; ita & venialia cave, ne per ista deducaris ad mortale. Ut morbos arceamus à nobis, à multis abstinemus, quæ cæteroquin grata sunt nobis & suavia; agimus econtra multa, quæ alias

alias molesta accidunt. Sic in occasione peccati venialis agendum est. Scit quispiam sanitati suæ nocere v. g. uvas: si sapiens est, si vitæ suæ amans, abstinēt ab uvis. At miro earum desiderio tenetur? nil refert; abstinēt. Sed molestum hoc ei accidit? nil refert; abstinēt: morbum enim timet, & enascituram fortè ex morbo mortem. Scis, sanitati tuæ conducere, si singulis mensibus sumas medicinam aliquam amarā: quid agis? si sapiens & vitæ amans es, sumis statuto tempore medicinam illam. At amarā est? palato non sapit? nauseat stomachus? nil refert; vincis te, sumis; times enim morbum, & secuturam fortè ex morbo mortem. Hæc pro sanitate corporis toleras molesta; abstines a rebus alias jucundissimis, ne in morbum, ne in mortis periculum ruas. Pro Anima quid ages? minusne hæc meretur à te? Ecce morbus periculosus est consuetudo in peccato illo veniali: ecce periculum est, ne ruas in peccatum grave, & ex hoc in stygem. Quid ages? si sapiens, si Animæ amans es, fuge periculum hoc; fuge peccatum illud veniale. Sed si fugerem, ais, deberem abstinere re mihi dulcissimā v. g. consortio alterius, quiete dulci &c. deberem agere, quod mihi molestum est v. g. maturius surgere, preces perfolvere flectens, totos dies studiis dare &c. quæ nimis mihi sunt gravia. Studiosè, recordarisne, quòd de Anima & ejus vita agatur? Pro vita corporis, pro arcendo à te morbo ista omnia ageres, quæ tibi esse diffi-

cilia dicis; fugeres ea omnia, quæ tibi dicis esse grata; cur non pro Anima tua? agitur æterna hujus salus. Cape animum: fuge peccatum illud, licet te privare debeas re, cæteroquin jucundâ; licet aliquam in ejus fuga sentias difficultatem. Hoc nisi agas, time, ne ex morbo hoc oriatur mors ipsa, peccatum scilicet grave.

3. Quid judicas de eo, quod cum S. Theresia accidit? una liberior confabulatio de rebus vanis initium fuisset damnationis æternæ? an expavesce & conclude; ergo multum pendet ex unico etiam veniali peccato, multum, imò plurimum pendet. Salus æterna sæpe ex unico veniali pendet. Nam, quod bene notabis, gratiæ divinæ quasi concatenatæ sunt. v. g. Ex oratione, quam devotè persolves in templo, pendet una DEI gratia, ex hac dein pendet secunda, è secunda pendet tertia, & sic deinceps, ita ut si non detur illa prima, non detur etiam secunda, tertia &c. non datur autem in casu nostro prima, nisi persolvatur devotè oratio. Jam ulterius audi. Theologorum doctrina est, gratiam extremam beatæ mortis, quam vocamus gratiam finalem, sæpe penderè etiam ex simili ordine gratiarum, ex occasione aliqua parva, ita ut si hanc occasionem negligas, non sequatur ille ordo gratiarum, non gratia finalis, non beatitudo tua. Non constat autem nobis, quæ sit illa occasio, quale opus bonum, è quodales gratiæ pendeant; hoc scimus, potest esse quælibet occasio, quodlibet opus bonum. *Par
modo*

modo de peccatis Sancti loquuntur. Ex uno levi peccato sæpè pendet aliud & aliud, & sic deinceps, donec sequatur grave, & post hoc sæpè damnatio; ita ut si commitam illud primum veniale, secuturum tertium, quartum &c. denique mortale & damnatio. Non constat autem nobis, quodnam sit illud veniale, è quo talis peccatorum ordo pendeat; hoc scimus, potest esse quodlibet. In S. Theresia tale peccatum fuisset continuatio confabulationis de rebus otiosis; ex hoc pendebant multa alia venialia, demum mortale & damnatio; ita ut si confabulationem illam non abruptisset, in alia & alia peccata incidisset, demum in mortale, in interitum. Sanè non scio, an ulla sit Fidei nostræ, & SS. Patrum doctrina, quæ hominem salutis amantem majore possit terrore percellere, & ad sollicitè fugienda venialia inflammare. Experspiscere, mi Studiosè, expergiscere, & expavesce! Time! time peccatum quodlibet deliberatum! Time primam illam in templo irreverentiam, & in oratione tædium; aut precum, ad quas obligaris, omissionem! fortè, fortè exinde tua pendet damnatio: non scio id quidem, sed esse potest; & si ita est; actum est de te, si tædium non excutis, irreverentiam non mittis. Expavesce! time negligentem illam præparationem ad tremenda mysteria Pœnitentiæ & Eucharistiæ! time repetere societatem illam perversam, domum illam, lusum vetitum, time illud otium &c. fortè ex his pendet damnatio tua. Non scio

id quidem, sed esse potest; & si ita est; actum est de te, si domum, si lusum repetis, si negligens adeò es in præparatione ad Sanctissima Sacramenta. Ah noli incerto eventui salutem tuam committere. De Studioso illo, quem Richardum vocant, scitur, quòd beatitudo ejus pependerit ex persolutione precum vespertinarum; quas si in honorem B. Virginis persolvere neglexisset, periisset æternùm, uti periit socius ejus. Et tamen quantillum ei videri poterat, semel preces ejusmodi negligere? quantillum? Scilicet, uti vana illa confabulatio S. Theresiæ poterat levis videri. Studiose mi, amo salutem tuam, & quia eam amo, hinc loquor, quod loquor: si tibi diceret quispiam: ecce ex illo quotidiano otio tuo, ex desidia in litteris, ex omissione precum, ex accessione domus illius, ex conversatione cum socio illo pendet damnatio tua: quo animo ferres? quid diceret? & tamen reipsa esse potest; ut ex eorum uno sic dependeat; certè enim non minora sunt, ac confabulatio illa S. Theresiæ. Quid ergo agis? quid concludis? an dices: fortasse non dependet beatitudo mea ex talibus; cur ergo arguar? dicam ego: fortasse sic dependet, cur non argaris? quid si S. Theresia sic dixisset: forte non dependet ex confabulatione hac beatitudo mea; pergam ergo in ea. An non decepta hæreret jam inter inferos, æternùm misera, æternùm infelix? quis scit, fortè ex eo ipso quod tu jam contemnis ut leve, tua pariter beatitudo

titudo dependet. Væ animæ tuæ, si contemnere pergas! ô ut hoc inter inferos deplorabis! quid ages?

4. Ex omnibus hæctenus dictis illud denuo infero: nullum peccatum dicendum est leve. Leve non est, quod DEum summum offendit, & ab eo horrendis adeò pœnis castigatur. Leve non est, quod viam ad interitum parat. Versetur ergo Christi monitum supra relatam, ob oculos: tu nullum peccatum puta leve, nullum contemnendum: versetur quoque ob oculos id, quod B. Virgo Puellæ cuidam, Musa vocabatur, dicebat: si me amas, si mecum regnare vis in Cœlo, mitte nugas illas, illos jocos & lusus. Nota hoc, Studiosè: nugas, jocos, lusus: etiam minuta hæc displicent S. Virgini. Si amas eam, si regnare cum ea velis, obedi monito: fuge etiam illa, quæ levia putas, fuge mendacia, otium, desidiam &c. Certus esto, hunc esse modum procurandæ salutis tuæ, & colendi B. Virginem omnium excellentissimum. Monito huic si obsequi renuis, timeo, ne & tu illud aliquando ingemiscas: heu quàm gravi errore deceptus sum! quàm gravi errore! credideram, hoc & illud leve esse, ludens & jocans effutiebam mendacia, dabam dies & septimanas otio, ambulabam tempore studiis destinando &c. credebam esse leve quid & exiguum. ô quàm gravi errore deceptus sum! erravi! è mendaciis illis, ex otio illo, ex confabulatione, ex circumvagationibus illis mea pendeat damnatio. Erravi!

vi! perii! Ne sic aliquando cogaris gemere, jam
declina à malo etiam minimo: fuge peccati um-
bram levissimam. Labet hîc breviter subnecte-
re media illa, quibus admissa à nobis peccata
venialia expiari in vita hac possunt, ne expi-
anda reservemus flammis purgantibus. Ex horum
tamen facilitare ne arguas peccati levitatem, sed
DEI bonitatem. Cum non ideò facilia DEus
dederit media, quia malum leve est, sed ideò,
quia infinita ejus misericordia est. Remedia illa
sunt Confessio, Dolor de peccatis, cujusvis
Sacramenti devota perceptio, Benedictio Epil-
copi & cujusvis Sacerdotis; aquæ benedictæ,
usus, percussio pectoris dolorosa, usus rei bene-
dictæ, Mortificatio, Benedictio Venerabilis (si
talia comitatur dolor de peccatis) Indulgen-
tiæ &c. &c. His tu mediis utere.

Affectus. O suprema DEI Majestas, quot
causas iterum reperio, me coram infinita tua
clementia humiliter abiiciendi, & veniam fla-
gitandi. Domine DEus, nunquam sic agnovi,
quid sit Te in re etiam levissima offenderè. Non
credidi, tantam inesse peccato veniali malitiam,
ut nec pro totius mundi salute admitti debeat.
Credideram leve aliquid esse, hinc & ludibun-
dus talia sine numero, sine modo perpetrare au-
sus sum. O quantum distat judicium tuum à
meo & totius mundi! quantum erravi sic judi-
cando, & Majestatem tuam innumeris vicibus
offendendo! Nunc agnosco, mi DEus, per gra-
tiam tuam, nullum peccatum dici debere leve,
nul-

nullum debere contemni. Nunc cognosco,
 nihil, quod ad tremendam tuam Majestatem
 pertinet, dici posse leve. Doleo, ô mi DEus,
 quod in errore meo tam diu per meam ipsius
 culpam versatus, te toties offenderim. Eheu
 pro re nullius momenti, metu levissimæ confu-
 sionis, spe voluptatulæ cujusdam infinitam Ma-
 jestatem tuam offendere ausus sum, & innume-
 ris quidem vicibus; non attendi, quanta esset
 Majestas, quæ offenditur; quanta destinaret
 mihi supplicia: risi etiam, dum increpabar ob
 confabulationes otiosas, desidiam in studiis, pi-
 gritiam in surgendo, consuetudinem in men-
 tiendo, ob circumvagations cum aliis, & quæ
 sunt innumera alia: risi, velut res levissima esset,
 nec increpatione digna: ô cæcitatem meam!
 non attendi periculum meum, in quod delibe-
 rata hæc Venialium perpetratio me conjecit.
 O cœlites! è veniali peccato pendere potest
 damnatio mea? & tam liberè peccare potui?
 Jesu Christe, detestor hanc meam & cæcitatem
 & malitiam, non tam quia mihi nociva, quàm
 quia infinitæ tuæ Majestati injuria est; posthac
 majorem hac in re curam geram.

Proposita. Statutum est, ô DEus, majore stu-
 dio in peccatorum Venialium curam incumbam,
 præcipuè eorum, quæ magis deliberatè admit-
 tere solitus sum. Terret me nimium, quod de
 S. Theresia audivi; cujus etiam sæpe recorda-
 bor, cogitans: fortè ex hoc peccato, quod jam
 facere cogito, pendet salus & damnatio mea.

I s

Et

Et licet hoc ignorem, præstat tamen viam tutissimam eligere: hoc primum esto. Alterum, sæpius pariter recordabor veritatis illius æternæ nihil leve, quod summa æstimat Majestas: nihil exiguum, quod summa reprobat Sanctitas. Nunquam decipi rursus me patiar, ut credam, leve quid esse vel unius horæ otium, vel unam negligentem è schola absentiam &c. Tertium. In fuga peccati venialis non me impediet aliqua molestia, quam sustinere debeo, aut privatio voluptatis, quâ frui possem; cum plura agam pro sanitate corporis mei. Hinc licet per assiduitatem in studiis me privare debeam variis delectationibus in otio positis, hanc nihilominus assiduitatem amplectar, voluptatem otii fugiam. Similiter licet suavis sit mihi somnus ultra quàm decet protractus, molesta surrectio tempestiva, suavis conversatio cum sociis, molesta consortii talis vitatio &c. tamen quia in his facile venialiter peccari adverto, vincam me, privabo me voluptate illa, molestiam illam lætus suscipiam, ut sic à peccato etiam levissimum remotior.

Petitio. Tu amantissime DEUS, in cujus Majestatem peccare tanta malitia est, tu dedisti velle, da jam & posse, da & implere; ne posthac momentum sit, quo te deliberatè amplius offendam.

Ad Jesum Crucifixum. Crucifixe Salvator meus ad crucem ceu thronum gratiæ me prosterne veniam rogo tot peccatorum meorum, quibus bonitatem tuam absque pudore offendi: gratiam

tiam insuper flagito, majorem posthac curam gerendi, ne vel levissimè amplius te offendam. Mortuus es propter peccata mea; da mihi horrorem & odium peccati cujuscunque, ut mori potius eligam, quàm peccare. *Anima Christi sanctifica me &c.*

Ad B. Virginem. Et tu B. Virgo, horrorem peccati venialis meo animo imprime, ne filium tuum amantissimum vel minima in re deinceps offendam. Impetra mihi robur cœleste, quo confortatus levissimas etiam legum divinarum transgressiones fugiam. Tu refugium peccatorum es, convertere se volentium Mater. Peccator sum; esto refugium meum: serium mihi est, aliquando converti ad DEum; esto Mater mea! *Ave Maria &c.*

Consideratio V.

De Peccatis Studiosorum.

Recitatâ oratione consuetâ, imaginare tibi Patrem cœlestem, qui speciali curâ Studiosis media ad salutem providet, eosque velut filios sustentat: cogitâ, te audire ex eo voces illas: filios enutrivit & exaltavit, illi autem spreverunt me. Pete gratiam agnoscendi malitiam peccatorum, quæ à Studiosis passim fieri solent, & contemni.

Pars I.

Pars I.

Doctrina. *Delicta quis intelligit?* Quærebat David, docens nullos esse aut paucissimos, qui bene de peccato sciant judicare. *Delicta quis intelligit?* creduntur subinde esse levia, quæ ipsa enormia sunt & abominanda. Hæc de peccatis ignorantia si in ullo hominum genere est, maximè in studiosis est. DEum immortalem! Quale hi iudicium de peccatis suis formant? quid dicunt? quid sentiunt? aut nulla censent esse, aut levia. Hinc passim liberè perpetrant, de emendatione non cogitant, illis assuescunt, in illis pereunt. O utinam non æterno suo damno experti hoc essent innumeri! Hos ego si ab inferis excitare possem, ut mei loco venturam in titulo positam docerent, fortè essent qui saperent: viventem hominem dum nonnulli audiunt, rem ab eo exaggerari credunt, & augeri nimium. Pone itam de me mentem, eam concepisti; rem ut est, tuis oculis exhibebo, iudicium de re tota tibi relinquam. Asseritur igitur, peccata à studiosis fieri solita, falsè creduntur esse tantum venialia & levia. Age quæ sunt studiosorum errata præcipua & magis familiaria? Hæc, nisi fallor: preces negligenter aut distractè & cum fastidio, & metu peccatorum tantum persolvere, conscientiam non examinare, ad Confessionem & S. Communionem obiter se parare, Missam audire sine attentione, templo

templo se clam subducere, conqueri & murmurare, quando diutius hærendum est in templo, varias in eodem irreverentias ridendo, garriendo aliisque modis admittere, quibus non rarò scandalizentur alii; statim post suscepta SS. Myſteria ad priores iniquitates reverti, DEI rarissimè meminisse; Parentibus non obedire, eos contristari & irritare, asperè etiam alloqui aut contemnere; idem dic de Magistris & Professoribus, quos Parentum locò studiosis concessit DEus; hos traducere, falsa de illis spargere, illis detrahere, mille in eos jactare convitia, varia eis mala imprecari, protervè resistere, contemnere eorum jussa. Huc pertinet, non seriò se applicare studiis, multum temporis otio consumere, circumvagari tempore studiis destinato; dormire ultra horas à necessitate & ratione statutas; sumptus parentum malè impendere; vacare variis lusibus vetitis; adire domos aut suspectas, aut malas; accedere cauponas, deditum esse potui, adhærere sociis, qui à pietate & studiis avocant, aut jam ad graviora impellunt; insultare domesticis, eos convitari & scandalizare; petulcire in schola, ineptiis variis molestiam aliis creare & tædium; audire & loqui sermones liberiores, aut aperte incastos, jocos illiberales spargere, exempla minùs pudica narrare, aliorum famam minuere, nec de reſtitutione cogitare; aliis clam aliqua surripere, variis modis alios affligere, temerè judicare, aspernari, falsò accusare; pensa scholastica passim

sim

sim dictare aliis, aut dictata accipere, alios decipere, non attendere in schola ad res eas, quæ aut in ordine ad pietatem, aut doctrinam tenentur dicere, de emendatione erratorum non esse sollicitum, divina peragere tepidè, de vita futura per electionem statûs bene institutam non esse sollicitum; obvium quemcunque statum, qui sensui arridet, aut à Parentibus suadetur, arripere. Mitto plurima alia, quæ tibi occurrent faciliùs; duo peccatorum genera tantum nomino, quibus frequentissime à studiosis peccatur; unum contra Castitatem; alterum contra Charitatem est. Contra Castitatem peccatur cogitatione, verbo, opere, oculis, lingua, auribus, manibus, lectione &c. Contra Charitatem inter alia est Reticentia culpæ alienæ, quando quis tacet ea, quæ in altero notata tenebatur indicare Superiori, aut in schola aut domi.

Familiariora sunt hæc studiosorum errata. De his quid censes? an ita levia sunt, ut peccati venialis gravitatem non excedant? ô utinam! ego quid sentiam aperio. 1. Existimo aliqua esse inter recentia, quæ semel iterumque facta imperfectio quidem sunt, non tamen peccatum, etiam veniale; quò forte reduci potest una alterave dictatio pensî ordinarii; cogitationum liberæ evagatio eo tempore, quo in schola attendendum esset, & pauca alia. 2. Plurima ex iis, prout ordinariè fiunt, judico esse venialia leviora aut graviora pro circumstantiarum varietate. Hu

spec-

spectant, mentiri ex joco, aut etiam seriò in re levi & sine damno alterius, unam alteramve horam otiano perdere; distractum aliquamdiu esse sub precibus, convitari alios, litigare cum illis &c. 3. Video alia ex his peccatis esse admodum periculosa, facileque fieri posse, ut sint mortalia ob varias circumstantias. v. g. nullam de erratorum emendatione, de futura vitâ curam suscipere; tepidè omnia sacra peragere, & ad ea se non fervidè parare, præcipue ad S. Confessionem & Communionem, serere lites & jurgia, accedere domos suspectas, versari cum sociis suspectis, plures septimanas otiosè traducere, Parentibus & Superioribus debitam reverentiam non exhibere &c. Hæc certè periculosa sunt. 4. Sunt demum, quæ à mortali excusari non possunt v. g. negligere sacrum die festo aut Dominico; seducere alium aut scandalizare in re gravi, docere alium impia, lasciva & nefanda, adherere sociis, quos aperte scio, aut prudenter timeo esse malos, Parentibus & superioribus seriò malum aliquod grave imprecari; jurare falso deliberatè, licet in re levi; graviter alterius famæ detrahere; ignorare, quæ ad salutem necessaria sunt, actus virtutum Fidei, Spei, Charitatis tempore debito non exercere, otiosè plures menses perdere cum jactura sumptuum, temporis &c. Dolorem serium Confessionem non præmittere, licet tantum venialia confitearis; peccatum grave, aut dubium in Confessione reticere ex pudore; in peccato gravi communicare; agere;

gere;

agere, loqui, cogitare contra Castitatem, aut legere, videre, tangere ea, quæ non licent, & ubi aut ratio aut conscientia reluctatur: in qua materia rarò venialiter peccari, certum est, frequentissimè verò mortaliter: quando autem id fiat, si dubitas, ex Confessario quære. Huc aliqui pertinere volunt negligentiam in electione statûs, dum non salus animæ, sed nescio quæ vanitas spectatur; item reticentiam peccati gravis in altero notati, quod in aliorum etiam & sæpe totius scholæ damnum vergere potest, nisi iis, quibus debet, aperiatur.

Ex facta hac distinctione intelligis, non omnia studiosorum peccata esse levia. Et quis ista credit? quis credit, otium & pigritiam rem esse adeò periculosam, ut diutiùs continuata à peccato gravi non valeant excusari? & tamen rem mihi certa videtur. Quid enim agit deditum otio juvenis? sumptus parentum solos si perderet, an non res gravis foret? grave censes furtum imperialis unius; & furtum dilapidationem que tot imperialium gravem non censebis? furaris certè sumptus illos parentibus, furaris fratribus & sororibus; & sumptus sæpe non sim sudore parentum & sanguine comparatos. Taceo gravem parentum tristitiam inde enascentem, quòd malè adeò collocatos sumptus videant; taceo justam eorum iram; taceo, quòd eos cum fratribus & sororibus decipias, qui fortè auxilium à te meritò expectabant, aut certè in eo, quòd aptum fore credebant, ut tuo dein labore, tua

que

que doctrinâ te posses sustentare: taceo jacturam temporis adeò pretiosi & diuturni: quæ cui, quæso, levis apparet? Ecce quò tendant confabulationes quotidianæ tempore studiis destinato, stantiunculæ in plateis, ambulationes otiosæ; horæ somno perditæ &c. ad peccatum mortale profectò, licet in singulis non peccetur graviter. Quod de otio dixi, dici potest de continua in divinis tepiditate, dum omnia tantum ex metu, sine fervore, devotione, attentione peraguntur: quid, quæso, facilius, quàm ut v.g. die festo Sacrum totum, aut pars ejus præcipua sic inter distractiones effluat, ut præcepto de audienda Missa non satisfacias; aut ut Confessio sic tepidè & tantum ex timore facta, dolore vero careat? & utrobique peccabis mortaliter. Huc referunt alii Reticentiam alienæ culpæ. Cernis in altero scelus turpe, rem scandalosam: taces. Pergit ille eandem rem facere sæpius, docet eam alios; multiplicantur peccata, tota sæpe schola inficitur: quis reus tot peccatorum? tu; si aperuisses, cui debuisses, aut potuisses, peccata fuissent impedita, animæ plures servatæ. Simile dici potest de conventiculis aliorum & suspectis consortiis. In reticentia hac an non timendum sit peccatum gravius, tu videris. Ex his abundè patet veritas dicti mei: non omnia passim Studiosorum peccata levia sunt. Latent eheu sæpe in juvenis conscientia peccata fœda & gravia, nec in Confessione exponuntur; aut quia negligens examen præcessit;

K

aut

aut quia ex ignorantia culpabili creduntur levia.
Ne, quæso, hic tibi blandiaris repetendo tuum
Leve, Leve est. Rem bene examina, Confessa-
rium consule, damnationem à te averte.

Reflexio. Si ita est, ut dixi; ergo errant Stu-
diosi plurimi, qui negligentius se ad Confessio-
nem parant, vel in defectuum emendationem
non incumbunt, putantes levia tantum esse ex-
rata sua. Fortasse enim, quæ levia credunt, et tu e-
eorum genere sunt, quæ periculosa dixi & du-
bia, quæ ob circumstantias varias in mortale
beunt. Scias enim, omne veniale peccatum
varias circumstantias fieri posse mortale. Si
veniale esse potest ordinaria in templo irreve-
rentia; sed si ex hac scirem graviter scandalizan-
dos esse præsentis v. g. acatholicos, mortale fo-
ret. Sic unius aut alterius septimanæ otium
veniale esse potest, uti & accessio domus suspectæ
aut prohibitæ: sed si ex hoc scirem Parentes
viter esse ad iram concitandos, mortale foret.
Ergo aliâ ratione agendum est; major cura
mendationis suscipienda est; non vivendum
ne omni metu salutis, quasi Studiosis beatitudi-
certa esset; bene vesperi examinanda est
scientia; attendendum in scholis ad concionem
& explicationem catechismi, unde gravitate
peccati haurire possis; consulendus Confessarius
vel alius rei peritus. Aliàs timeo, ne cum multi-
jam liberè peccantibus, quia tantum levia
credunt, pereas miserè, & serò gemas: heu quæ
gravi errore deceptus sum! *Affectus & proposita*
in fine dabuntur. Paris

Pars II.

Multa sunt, quæ Studiosorum peccata
aggravant.

Doctrina. Peccata Studiosorum variis ex cau-
sis graviora reddi, certum est: has, quia plu-
rimæ sunt, brevibus tantum verbis indicabo;
tu eas expende. 1. Tempus pretiosissimum per-
ditur. 2. Familiæ dedecus accersitur aut tristi-
tia. 3. Habent Studiosi omnia, ne peccent; mo-
nitiones, conciones, Confessiones &c. 4. Stu-
diosus non potest ignorare viam ad Cœlum,
quam tot alii rudes nesciunt. 5. Habet distrac-
tiones pauciores; omnia enim vel pietatem, vel
studia ad DEum dirigenda spectant. 6. Ab his
annis pendet, quod colloceris in eo statu, in
quo DEus prævidet te salvatum iri. 7. Pro to-
ta vita paratur in juventute vel benedictio vel
maledictio. 8. Studiosus peccatis assuescens
statim se tradit dæmoni, eique se velut victi-
mam immolat; primitias ætatis, quas DEus sibi
offerri mandavit, dæmoni consecrat. Atque
hoc unum ex se esse sufficiens posset ad agno-
scendam gravitatem peccati à Studiofo admissi.
Nihil est, quod DEus ferventiùs desideret, quàm
ut sibi à principio vitæ serviatur; ut anni primi
DEO consecrentur; ut adolescentia bene exi-
gat. *Primitias DEO*, ait. *Ne tardes offerre*
primitias tuas, hoc est ætatem primam. Hanc
amat præ cæteris, hanc desiderat, hanc of-
ferentibus

ferentibus mille benedictiones pollicetur. Terribiles e contra pœnas intentat illis, qui ætate primam mundo & voluptatibus consecrare cupiunt, in ætate verò virili DEO primùm servituti facere initium. Et revera uti nihil communius, ita indignius nihil cogitari potest. At ætatem primam dæmoni, futuram ætatem incipiam DEO. Quid hoc aliud est, quàm dæmoni aurum, DEO scoriam; dæmoni flores DEO putredinem; dæmoni fructus primos optimos, DEO putridos & effœtos; dæmoni quod bonum, DEO quod contemptum, debile, infirmum est, offerre. Meritò DEus: *Maledictus, ait, qui habens in grege suo masculum debile faciens immolat debile Domino; quia rex magnus ego sum.* Hoc est: Maledictus, qui potest mihi servire in ætate prima, non facit hoc, sed differt in ætatem futuram debilem. Maledictus! ò Studiosè, quantum hoc DEO displicet quantum peccata tua aggravat! Jam dæmoni servire in ætate florida, securam DEO doli re velle, quid est aliud, nisi fructus antea projectos, mensæ divinæ apponere velle? ludere & joculari cum DEO? Sed pergamus ad alia, quibus Studiosorum peccata aggravantur. Fit ergo hoc 9. Quia DEus majore curâ innocentiam Studiosorum conservare laborat; cum peccata juventutis magis divinæ voluntati sint contraria, graviores etiam malitiam continent. 10. Assuescens in juventute peccatis, tam sibi met minus. 11. Sumptus parentum

gentes

gentes malè perdit, quos hi melius in opera pietatis vel sustentationem suam impendissent.

12. In alios si factæ tuissent impensæ tantæ, melius his usi fuissent. Singula hæc ea sunt, quibus negligens Studiosorum vita & peccandi licentia aggravatur.

Nec satis: aggravant eandem. 1. Parentes ipsi, qui, ut dixi, contristantur graviter, aut decipiuntur. 2. Magistri & Professores, quorum labores & monita eluduntur. 3. Socii, quibus es occasio negligentia. 4. Illi, qui si has occasiones, hos parentes habuissent, multos aliquando ad DEI agnitionem adduxissent. 5. Illi, quorum salutem DEUS pendere voluit à pietate & doctrina tua. 6. Angelus Custos, cujus speciales circa te labores suo facis carere fructu. 7. Superiores & amici, quorum monita contemnis. 8. Confessarii, quorum consilia spernaris. 9. Inspirationes innumeræ, quibus non obedis. 10. Libri, quibus abuteris. 11. Patroni in Cælo, quorum auxiliis & precibus obsistis. 12. Periculum, in quod te conicis, mâ aliquando obeundi officia tum sæcularia, tum sacra. 13. Auxilia DEI, quæ aliis data magno tibi emolumento fuissent. 14. Exempla bonorum, quæ imitari refugis. 15. Scandala, quæ alii è vita tua capiunt. 16. Gaudium, quod DEUS è vita tua pia haberet, tu autem ei perfidè negas. 17. Donum Innocentia præstantissimum, quam innumeris peccatis, inquinare non horres.

Neque hîc satis. Recenseo adhuc quædam
 Fortè hoc est medium Prædestinationis, quæ
 hac ratione vivendo negligis; hoc est, for
 DEus non vult te aliter salvare, nisi per
 gens studium; nisi in eo statu, in quo per doct
 nam & zelum aliorum etiam salutem operari
 sis: quod si ita sit, ô quantum timenda sunt
 cata tua quotidiana! 2. Multi ex inferno
 mabunt contra te, qui occasionem similem
 habuerunt, sed in ruditate & ignorantia
 perierunt, certò salvandi, si tot instructio
 habuissent, quot tu. 3. Fortè, quia jam pe
 tis & non litteris vacas, damnum ex te pat
 Respublica. Si enim ad publica officia ad
 beris, tuâ inscitiâ multa perdes & corrump
 4. Dæmoni singularem facis lætitiâ; quia
 inscitiâ tuam multas expectat animas
 tuam saltem; Sanctos econtra privas soci
 multarum animarum. 5. DEus Aristoteli
 ceroni, & aliis dedit scientiam, non pro
 ipsos; quis scit, an non propter te unum
 lam adeptus multis prodesse aliis? 6. Pro
 te DEus sociorum labori non æquè bene
 cum sæpe propter unius scelus totam
 congregationem. O quantorum damno
 reus es! 7. Sancti orant pro te; orant
 multi viventes: tu omnes eorum preces
 spolias. 8. Pulvinar suave (sic enim Pat
 tium vocant) paras diabolo in corde tuo
 scilicet suaviter ille quiescat; dum interea
 tuus stat foràs, frustra pulsans per inspi

nes, & ingressum postulans. 9. O quot homines tuâ forsan operâ, tuo exemplo fuissent convertendi! clamabunt hi vindictam de te. Finem non faciam, si omnia recensere velim, quibus peccata Studiosorum præ aliorum hominum peccatis aggravantur. Quòquò me verto, terribiles occurrunt circumstantiæ, quibus malitia augeatur. Unquamne cogitasti ista, mi Studiose? aut quo animo hæc excipis? Noli decipi; non adeò levia sunt Studiosorum errata, ut fingunt.

Reflexio. Si tam multa sunt, quæ Studiosorum peccata aggravant, scilicet tempus, ætas, datæ gratiæ, Superiores, damna aliorum &c. ô quàm graviter errant, quàm periculose falluntur liberè adeò peccantes, de emendatione non solliciti Juvenes! graviter errant! periculose falluntur! tu si sapias, hunc errorem corrige; studio ingenti in peccatorum tuorum emendationem incumbe; magno semper dolore ea detestare & confitere; illud identidem cogita: nihil leve est, quod ago. Hoc documentum toties inculcatum, sæpius adhuc inculcandum tuo firmiter imprime animo: absterreberis ita à multis, quæ jam sine horrore ullo & metu peragis. Noli oblivisci: DEUS magnus ille & Cœli & terræ Rex, est & Studiosorum DEUS, & severissimus Judex: rationem ille terribilem à Studio quoocunque petet. Time ergo, & ad salutem tuam time.

Pars III.

Peccata Studiosorum graviora sunt peccatis
aliorum hominum.

Doctrina. Rides forsan, quæ modò legisti;
sed si ratio in te, si fides est; faciam adju-
vante DEI gratiâ, ut risus in horrorem salu-
brem abeat. Dico igitur: peccata Studiosorum
graviora sunt, cæteris paribus, ac peccata alio-
rum hominum. Res digna, quæ consideretur
sunt enim plures, qui vitam suam cum vita
aliorum comparantes, multò se devotiores
multò de beatitudine securiores esse credunt
hinc absque metu pergunt in peccatulis suis
ut ipsi vocant. Accidit his, quod incolis Hiero-
solymæ, de quibus Jerem. c. 2. dicit: *Justi-
ficavit animam suam aversatrix Jerusalem compa-
racione pravaricatricis Judæ.* Hoc est: incolæ
Hierosolymæ, licet aversarentur & offendere-
rent DEUM, tamen putabant se justos, quando
se comparabant cum aliis. At verò sicut horum
peccata majora erant & turpiora in conspectu
DEI; sic fit, ut studiosi putent se justos, pro
Cœli securos præ aliis, cum tamen in pluribus
gravioribusque detenti sceleribus, spem beati-
tudinis longè minorem habeant: ita ut verè dicitur
possit, quod de Hierosolymitanis dicebat DEUS
Ezech. 16. *Vivo ego, quia non fecit Sodomam
medium peccatorum tuorum.* Vicit Jerusalem
impia sceleribus suis Sodomam: vincunt Studiosi
plures

plures impietate & scelerum gravitate alios.
Sed ad rem.

Studiosorum peccata graviora sunt peccatis aliorum hominum, cæteris paribus; hoc est: sunt duo, alius Studiosus, alius non item, sed civis, rusticus &c. committunt peccatum idem: in casu hoc peccatum Studiosi multò gravius esse affirmo peccato alterius. Magnum videtur, quod dixi, sed audi me. Quid judicas? Est Catholicus, est Judæus; committunt peccatum idem, v. g. furtum. In quonam gravius est? in Catholico revera. Sic S. Thom. *Peccatum non est minus in fideli sive catholico, sed multò majus. Multò majus.* Rationes videbimus, & simul rem nostram evincemus. Peccata Israëlitarum graviora olim fuisse, ac aliorum populorum, res ex Scripturis certa est. Cur verò? rationes quæ afferuntur, eadem sunt, quibus probant Patres peccata fidelium majora etiamnum esse peccatis acatholicorum; & his ipsis ego utar ad ostendendam gravitatem peccatorum à Studiosis admissorum. Audi eas:

1. Israëlità peccantes erant foedifragi: promiserant DEO sæpissimè obsequia sua, & quasi foedus cum eo iniverant; consecraverant se DEO præ populis aliis per circumcisionem; sed obliti foederis sui abierunt post Deos alienos. *Irritum fecerunt pactum meum*, ait DEUS. Hinc gravius peccabant, ac gentiles; sicut miles jurans Domino suo fidem, gravius peccat, si ab eo discedit, ac peccet servus, qui sine facta Domi-

no promissione huic aliquamdiu serviens, dein fugam capit. Hæc eadem ratio est, cur peccata Catholicorum graviora sint, ac aliorum: hi enim DEO per Baptismum, per Sacramentorum susceptionem specialiter consecrantur: hi sua DEO obsequia sæpe promittunt, pactum veluti aliquod cum eo ineunt, quod nec Judæi, nec Acatholici faciunt. Studiosè mi, ex hoc ipso deduco, te peccare gravius, ac Catholicos alios, extra Religiosa septa viventes (hos enim semper excipio) de sæcularibus, quos vocant, loquor. Quis enim eorum est, qui specialiore modo consecretur DEO per frequentem Sacramentorum susceptionem? quis sæpius suam DEO fidem obstringit? quis plura quasi foedera cum DEO inire cernitur? Ecce quoties confessus es, de novo te DEO obstrinxisti; confessus es autem multò frequentius, ac alii. Ecce quoties renovasti formulam illam: S. Mariæ Mater DEI &c. toties de novo B. Virgini &c. DEO te obtulisti; fecisti autem hoc sæpius, ac alii. Cùm ergo magis ac alii DEO sis obstrictus, pluries foedus cum eo iniveris, peccata tua, quibus datam DEO fidem violas, graviora sint, necesse est, aliorum hominum sceleribus.

2. Israëlita peccabant *Scientes* contra DEUM; habebant enim hi veram DEI notitiam; non ita gentiles: viderant plura signa & prodigia; viderant potentiam DEI sui & severitatem; sciebant DEUM sibi præsentem: agnoscebant clarius peccati malitiam; audierant enim tonitrua

minas DEI &c. verbo: scientes, volentes, au-
 dacter peccabant; & hinc peccabant gravius:
 uti servus, qui percutit regem à se agnitum,
 gravius delinquit, quàm is, qui percutit regem
 veste peregrinâ indutum, & ideo non agni-
 tum. Eadem ratio convincit, Catholicos pec-
 care gravius, ac heterodoxos; habent enim isti
 majorem præ aliis DEI notitiam; sciunt esse
 DEum justissimum, bonum infinitum, malo-
 rum vindicem; sciunt eum noxâ mortali gravif-
 simè offendi, istâmque ab eo severissimè casti-
 gari: quæ omnia heterodoxis vel incognita,
 vel obscuriora saltem sunt. Mi Studiose ha-
 bes & tu clariorem DEI notitiam, ac Catholici
 alii: audis tu plura divinæ justitiæ exempla, ac
 alii: audis plures minas DEI, ac alii: audis plu-
 ra de gravitate peccati: scis melius, quid DEus
 ab homine exigit, ac alii; & peccas tamen; er-
 go gravius ac Catholici cæteri peccas: pro ma-
 jore enim & perfectiore DEI notitia, major &
 major est peccati gravitas. Studioso verè dici
 potest illud: *Dixisti, non serviam*: hoc est; licet
 scires, quis DEus sit, quòd sit judex, creator,
 DEus tuus; licet te ideo creatum scires, ut ei
 servias; licet peccanti pœnas imminere æternas
 scires, dixisti tamen: non serviam; nolo servire
 DEO. Reputa tecum, an non hoc majorem
 dicat malitiam, ac peccatum aliquod à Catholi-
 co semi instructo & rudi perpetratum.

3. Israelitæ nullam prorsus causam habebant
 DEum suum offendendi; obtendere nihil po-
 terant.

terant. Hinc DEus quærit: *Quid invenerunt in me Patres vestri &c.* hoc est, quam causam habuerunt? qua in re eos offendi? cur me sic tractârunt? Respondet ipse DEus: *Odio habuerunt me gratis*, idest, sine causa: offenderunt me, sed sine causa: contempserunt legem meam, sed sine causa. Verum quidem est, nec gentiles habuere causam offendendi DEum; sed dic mihi: si homines odissent solem, quinam minorem haberent causam? an illi, qui paucos solis favores sentiunt, an qui plures & quotidie? certe postremi. Ita & Israëlita minorem causam habebant DEum offendendi; minùs erant excusabiles, dum peccabant; ergo & graviùs peccabant. Catholici eadem ex ratione graviùs peccant ac heterodoxi; quia minorem causam habent offendendi DEum; cum hic se eis propitium adeò exhibeat, plurimòsque favores exhibeat, quos negat aliis. Et tibi, mi Studiose, innumeros DEus Optimus favores exhibet, quos aliis non largitur. Profectò nullus Sæcularis minorem causam habet DEum offendendi, ac Studiosus. Hic, hic sanè est, qui divini Solis radios, gratiam, calorem experitur assidue per Sacramentorum susceptionem, per inspirationes, conciones &c. dum econtra Sæculares alii rarò Solem hunc vel intuentur, vel singulari modo propitium sentiunt. Ergo & major est peccantium Studiosorum malitia, ac aliorum hominum.

4. Peccata Israëlitarum graviora erant, ob
enormem ingratitude. Et hæc causa om-
nium præcipua fuit. Præstiterat eis DEUS be-
neficia verè innumera, quæ populis aliis non
præstabat. Erant illi populus à DEO electus
præ omnibus terræ nationibus: dedit eis DEUS
Prophetas, per quos dirigerentur: innumera in
eorum gratiam fecit prodigia: eduxit è servi-
tute durissima, & quidem modo adeò mirabili:
promisit eis terram benedictam: adfuit contra
hostes: dedit Manna, cibum illum prodigiosum:
dedit frequentem & facilem errorum veniam,
verbo, velut filios tractavit eos; hinc ipse quæ-
rit: *Quid ultra potui facere?* Tantum gentilibus
DEUS non præstitit; ergo peccantium Israëlita-
rum malitia major erat, ac gentilium. Duo si te
offendant, is certè te majore afficit injuriâ, cui
benefecisti in pluribus; si hic eodem, quo alius
modo contemnere velit. Hinc DEUS plurimis
in locis de solis Israëlitis, non de aliis conque-
ritur, quasi gentilium peccata non sentiret, sen-
tiret sola populi sui scelera. *Audite Cæli, ait,
auribus percipe terra! Filios enutrivisti & exaltavi, illi
autem spreverunt me! Obstupescite Cæli! - - duo ma-
la fecit populus meus &c.* de populo suo loquitur,
de Israëlitis, quos velut filios habuerat in amo-
re & pretio: horum se offendi peccatis conque-
ritur. Nihil enim est, quod acerbius homo
sentiatur, ac ingratitude illius, in quem bene-
ficus extitit. Atque hæc ipsa causa probat,
Christianorum peccata graviora esse peccatis
alio-

aliorum. Christiani enim sunt populus ille ex omnibus terræ nationibus electus, specialiter à DEO amatus, singularibus affectus beneficiis. Dedit DEUS Catholicis inæstimabile donum veræ fidei. O quantum hoc est! quàm multis aliis negatum! *Magnum beneficium, fratres mei, exclamat S. August. magnum beneficium ad fidem salvificam pervenire: majus scilicet, ac tempore universalis diluvii fuisset, naufraganti accessum in arcam Noë permittere.* Dedit Israëlitis Prophetas, Catholicis Sacerdotes, per quos viam veritatis docerentur, Sacramentorum virtute divinâ roborarentur. Promisit Israëlitis terram benedictam, Catholicis regnum cœlorum: illos pavit pane de Cœlis lapso; ô quàm sancto, quàm divino alimento pascit hodie dum Catholicos in SS. Eucharistia! Illis facilem dedit peccatorum veniam; istis Sacramentum reconciliationis instituit. Quid ultra debuit facere? Atque hoc ipsum est, quo Christianorum ingratitude redditur enormior, peccata graviora; quia DEUM in se adeò beneficium tot modis offendere non exhorrescunt. Pari modo Studiosorum ingratitude eorum peccata reddit magis enormia: veriùs ego de Studiosis dixerò illud: *Non fecit taliter omni nationi: non est alia natio tam grandis sub Cœlo, quæ ita habeat DEUM sibi appropinquantem per gratias & beneficia.*

O Studiose, numera, si potes, beneficia DEI, non universalia illa, & quæ cum Catholicis cæteris

ris habes communia, sed tibi singulari Numinis favore collata. Populus electus studiosa juvenus est. Et quanta gratia est, eligi à DEO ex tanta rudium indoctorumque turba, vocari inquam, & eligi ad studia, per quæ idoneum se facere quis potest ad summos Ecclesiæ status, ad salutem animarum procurandam, ad suam facilius salvandam animam. Quanta gratia, collocari in tot tamque continuis bene sancteque vivendi occasionibus! quanta gratia, habere tot directores; qui in studiis, in conscientia, in via ad salutem dirigant, labores, sudores, vitam etiam ipsam in te erudiendo impendant! quanta gratia, videre indies tot piorum hominum exempla, eorum frui consortio! quanta gratia, pasci toties Pane illo Angelico, ex quo vires novas & robur haurire possis in via ad Cœlum! quanta gratia, toties peccatorum obtinere veniam, dum aliis ipsa etiam occasio denegatur! quanta gratia, plurimis curis liberum posse in solam pietatem & doctrinam incumbere! quanta gratia, tot interesse posse concionibus, & Sacris! tot audire monita & consilia, tot catecheses & instructiones &c. Et quibus hæ gratiæ contingunt? Studiosis profectò, aliis non ita uberes & frequentes, & continuæ. Studiosis merito dicat DEUS: *Filios enutrivit & exaltavit*: dum enim homines alios velut famulos suos habet, Studiosos filiorum more tractat, & singulari amore fovet. Non memoro beneficia particularia, quæ tua tibi conscientia suggeret. Hoc
quæro:

quæro: quid ultra facere DEus Studioſo poteſt?
 verum dum hac ex parte DEI in Studioſos bo-
 nitatem video, ex altera peccantium malitiam
 cogito. O mi Studioſe, quanta malitia eſt in
 unico etiam Studioſi cujuſdam peccato! Ob-
 ſtupescite Cœli! *Filios enutrivit, & ſpreverunt me.*
 Filii tam amantiſſime, tam ſuaviter tam paternè nu-
 triti, ſpernunt, contemnunt DEum! ô quam
 acerbè DEus peccatum ingrati adeò filii ſen-
 tiet! Legi, qui liberè diceret, DEO plus ſæpe
 diſplicere unum etiam veniale peccatum à Stu-
 dioſo deliberatè factum, ac mortale aliud à ru-
 di quodam Catholico admiſſum ob ingrati-
 dinem prorfus horrendam. Conſtat tibi uti-
 que, quod de Julio Cæſare ſcribunt. Multa
 acceperat ille à Conſulibus vulnera: tacebat ille
 aut altum modò ingemebat. Ubi verò Brutum
 ſtricto in ſe vidit pugione irruere, vulnus pa-
 rare, lædere; hoc, hoc enim verò linguam ſol-
 miſero, & in has coëgit voces erumpere: &
 fili mi, Brute! Plura dolor negabat. Quasi
 ceret: an ſatis non eſt, me à cæteris vulnerari
 & tu, fili mi Brute, tu me lædere audeſ? Tu
 quem filii amantiſſimi loco habui; quem ce-
 filium meum alui & exaltavi; quem tenerrimè
 amore fovi; & tu, fili mi, hæc audeſ? quòd ca-
 teri hoc audeant, ſentio, & acerbè ſentio; ſed
 quòd tu, fili mi, hoc audeas, longè mihi acerbè
 longè accidit intolerabilius. Unum, quod
 intigis, vulnus, vulnerum cæterorum omni-
 dolorem excedit. Et tu, fili mi? hocne ego

te meritus? &c. Hoc sane dixisset Cæsar, nisi dolor prohibuisset. Et tibi, Studiose, quid Salvator tuus loquitur? Et tu, fili mi, ait, fili mi, mi Studiose, tu me offendis? tu me vulneras? tu legem meam contemnis? tu fili mi? quòd Ethnici me offendant, quòd hæretici, quòd Catholici alii me offendant, grave mihi est; sed à te offendi, à te contemni, ô fili mi, quàm multo gravius! tuam sentio ingratitude! tuam malitiam ægerrimè fero! Fili mi, hæc ego de te merui? hæc per beneficia mea, per gratias meas merui? fili mi, quem toties meo corpore, meo sanguine pavi; fili mi, tu sic mecum? tu me tam liberè, tam protervè offendes? tu vitam non mutabis? Si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique; si me offenderent alii, tacerem: si non tanta tibi præstitissem, tacerem: sed tu fili mi? quòd tu sic me offendas, gravius sentio, sentio acerbius. Sunt hæc profectò voces Salvatoris tui ad te, sicut & illæ, quas in scriptura legis: *Filii Matris meæ pugnaverunt contra me.* Filii Matris meæ: quinam illi præter Studiosos? hi enim se Sodales Mariæ, & filios profitentur, hancque in Matrem sibi eligere consueverunt. De his conqueritur DEUS: *Filii Matris meæ pugnaverunt contra me: non memorat aliorum scelera, quasi ea aut non sentiret, aut ignoraret: peccata Studiosorum memorat; horum refert scelera.* Filii Matris meæ. ô ingratitude! ô ut hanc Salvator amantissimus sentit! Mirabile est, quod de hoc ipso Salvatore nostro

L

legi.

legimus: passus est, ut scimus, horrenda & atrocitas; nunquam verò aut persequentes allocutus, aut de eis conquestus legitur, nisi, quando alapam percussus, aiebat: *Cur me cædis?* Mirabile tacet ad vincula, ad convitia, ad verbera, postea etiam ad flagella, ad spinas, ad crucem; ad alapam unius inflictionem loquitur. An ergo cætera non æquè sentiebat? sic est, non æquè sentiebat cætera, ac alapam istam. Quid ita? Chrysostomus iudicat, hanc inflictam esse a Malcho, cuius auriculam paulò antè sanaverat Christus. Hanc impii huius ingratitude acerbè tulit, ut ad alia in se etiam graviora obmutescens, hinc exoptulare quodam modo voluerit: cur me cædis? Hinc & S. Chrys. exclamavit: *Exhorrescat Cælum ad ingratitude ferri.* Imò exhorrescat ad tuam ingratitude, Studiose, quæ multo major est, ac illa Malchi; de qua Christus magis conqueritur, quàm de aliorum hominum sceleribus. Cur me cædis? Quia feci tibi? an quia in te fui liberalior, tu in me vis esse protervior? cur me cædis? an quia plurima tibi præ aliis præstiti beneficia? *Hæc reddis DEO, popule stulte & insipiens,* aiebat olim Moyses ad Israëlitas; ego ad Studiosos discipulos hæccine reddis DEO tuo? hæc pro tot beneficiis? hæc pro tot gratiis? hæc DEO tam in te benefico? tam clementi? tam propitio? Exhorrescat Cælum! Exhorresce tu potius, Studiose & agnosce tandem, verum esse, quòd magis DEO displiceant peccata Studiosorum, quàm aliorum

rum hominum; cum major sit tua peccantis ingratitude, quam aliorum.

Reflexio. Si peccata Studiosi graviora sunt peccatis aliorum hominum; ergo errant, qui ea velut levia contemnunt & ludibundi admittunt: errant, qui nullo propterea metu percelluntur, securi quasi de salute sua vivunt. Quin imò errant. Agnosceres ô utinam tandem tanti momenti veritatem! utinam sæpe huc animum reflecteres! Absterrendus certe esses ab ea, quam tenes, vivendi ratione. Versentur tibi ob oculos verba Christi: *Popule meus, quid feci? Hæcine reddis DEO? Cur me cædis?* Statue tandem juxta claram, quam DEUS hodie dedit, agnitionem, tuam posthac vitam instituere, DEO servire ferventius.

Pars IV.

Gravitas Peccatorum in Studiosis non minuitur per ætatem, ignorantiam &c.

D*octrina.* Habet Dæmon, quo decipiat Studiosos, atque ea, quæ dicta sunt hæctenus, eludat. Multum, ait, peccatorum talium gravitas minuitur aut plane tollitur; quia fiunt ab Adolescentia, cui aliquid dandum est, & indulgendum; fiunt ab ignorante, & imprudente ætate, non per malitiam; fiunt ita, ut non sequantur effectus periculosi, sicut in peccatis aliorum hominum; cui enim nocent? quid mali afferunt

afferunt Studiosorum peccatula? Ita Dæmon more suo dolose, & ad decipiendos incautos idoneè. Et revera maledictam hanc doctrinam plurimorum Studiosorum animis insitam esse, pro dolor! conspicimus, non facile evellendam. Unde fit, ut quæ antè dicta sunt, aut nihil aut parùm eos commoveant. Audiant ergo hi, quàm falsò Pater mendaciorum conetur persuadere levitatem peccatorum à Studiosis fieri solitorum.

Primò ait Mendax, minui peccatorum talium gravitatem aut planè tolli, quia ab adolescentibus committuntur. Itane? an ergo peccata adolescentum minùs displicent DEO? an ab eo puniuntur minùs? crederem hoc, si nescirem, juvenes etiam horrendis in hac & altera vitæ mulctatos esse suppliciis, ob unicum etiam mortale peccatum. Crederem, si nescirem, DEUM qui DEUS est aliorum hominum, etiam DEUM esse & Judicem Juventutis. Crederem, si nescirem, tantò DEUM offendi magis, quanto plura exhibet beneficia ætati teneræ; nisi scirem, Juventutem specialiter DEO debere dedicari, exigente ita & severissimè mandante DEO; atque ideo, qui mandato huic non obedit, singularem DEO inferre injuriam. An nescimus, quantopere DEUS expetat colà à tenera juventute statim ab initio vitæ? quanti amet innocentia obsequia ætatis primæ? Certè parvulo solos suavissimè amplexus fuisse Salvator nostrè legitur; ut doceret, horum se delectari consortio horum

horum obsequiis devinciri. An nescimus, peti à DEO hostiam immaculatam & sanctam? *Qui obtulerit victimam, immaculatam offerat*, ait Lev. 22. Talis autem victima ætas prima est, DEO & ejus cultui oblata. Et quæso, an leviter tantum DEO displicere credimus, si ætas prima ceu victima offeratur dæmoni, deinde tandem DEO? hocne leve? Filius sit, qui in juventute sua insurgere in Patrem ausit, verbis eum impudentibus, quin & verberibus aggredi; an leve dices, quia juvenis est? imò vel ideo displicet magis, quia vix accepta à Patre vitâ contra Patrem utitur. Collige ex his mendacissimi Sathanae versutiam. Tu firmiter tene, scelerum, de quibus agimus, gravitatem, nequaquam excusari aut minui per ætatem. Hoc ipsum confirmari potest ex illis, quæ Parte 2. dixi.

Secundò fingit, gravitatem sæpe dictam tolli aut minui; quia peccata ejusmodi fiunt ab ætate ignorante, & imprudente, non ex malitia. Mendax Spiritus, quàm denuo dolose agit! Non nego, maturum Studiosis pluribus deesse judicium; aliqua subinde ex ignorantia fieri; horumque gravitatem tantam non esse & scio & fateor. Sed de omnibus passim Studiosorum erratis hoc dici posse, apertum dæmonis mendacium est. Loquimur de Studiosis rationis usum habentibus, qualem circa annum septimum aut octavum haberi à plerisque, docent Authores. Credámne ego, tot Studiosorum mendacia tam proterva, tot in templo irreverentias, tot detractiones

& imprecationes, illa otia, illas domorum prohibitarum visitationes, lusus, intemperantias, sermones illos impuros & audaces, cantilenas obscœnas (graviora contra Castitatem flagitia, utinam rara! non memoro) credamne hæc ex imprudentia fieri? an non tot concionum labor eò in scholis spectat, eò collimat in sodalitatibus, ut vocant, ut similium rerum gravitas explanetur ignorantibus? explanatur etiam, inculcatur sapius, quin & si quid perperam admissum est, plectitur, ut errasse se ignorare non possint. Et cur, quæso, in rebus, quæ genio favent, tantam advertimus in juventute Studioſa prudentiam? An fortè DEUS usum rationis tantum dedit ad res genio servientes, prudenter agnoscendas, quærendasque, non autem ad dignoscenda fugiendaque scelera? impius es, si hoc de DEO sentias. Ignorantiam si in Studioſis esse asserit dæmon, & ex hac peccari, nec satis peccati malitiam apprehendi, profectò tantum abest, ut Studioſorum peccata sic minuantur, ut plurimum eorum gravitas augeatur. Quis enim? an omnis ignorantia peccatum levius aut nullum reddit? nequaquam, sed ea sola, quæ inculpabilis est & invincibilis; qualem inter rusticos & rudes haberi credam, inter Studioſos non credam. Hi etenim quomodo ignorare possunt ea, quæ singulis diebus festis & dominicis tanto labore inculcantur? quomodo ignorare, quæ toties legunt, audiunt, monentur; ob quæ admissa puniuntur? Certè si Studioſi

diōsi ignorare similia possunt, vix hominem in orbe reperies, qui scire valeat; cū pauci sint, aut nulli in sæculo, qui in rebus ad salutem pertinentibus sollicitè magis & frequenter instruantur. Ignorant tamen, inquires. Scio, prò dolor! sed hæc ipsa ignorantia, quia culpabilis est, quia deponi potest (habet enim, Studiose, occasiones discendi necessaria) hæc ipsa, inquam, ignorantia peccatum est, sæpe mortale, rarò in rebus gravibus veniale. Atque ista peccatorum gravitatem non minuit. Potes enim scire; teneris scire. Quæ igitur ignorantia excusatio? Addit dæmon: peccata Studiosorum non ex malitia fieri. Quæ ergo ratione? an ex pietate? hîc certè si malitiam non agnoscimus, nescio, an in ullo rusticorum aut civium inveniamus. Illud crediderim, paucos esse, qui usque adeò protervi sint, ut dicant: hoc aut illud faciam, quia malum est, & quia DEum offendit; hoc enim prorsus diabolicum foret. Verùm non hoc solum est peccare ex malitia, alioquin paucissimi sic peccarent. Ad peccatum ex malitia satis est, fieri ab homine sciente, aut vincibiliter etiam ignorante; fieri voluntarie & deliberate. Timet ipse fatere, mi Studiose, an non hac ratione peccata tua pleraque facta sint?

Tertiò fingit Dæmon, peccatorum ejusmodi gravitatem minui, quia non habent effectus adeò timendos, quales v. g. habent peccata Magistratum, Conjugum, Parentum &c. ubi ex uno sæpe peccato plura alia consequuntur,

damnaque inferuntur plurima. Non ita, ait,
 peccata Studiosorum : cui enim nocet otium,
 circumvagatio, sermo liberior &c. Ita ille. Natus
 Tartaro doctrina mendax! ô utinam non multo-
 rum animis hausta, atque hæctenus conservata
 DEum immortalem! an nullos habent tristes
 admodum, & nunquam satis deplorandos ef-
 fectus peccata Studiosorum? Non hîc loquitur
 de peccatis illis gravissimis contra Castitatem
 verbo vel opere admissis sæpe in aliorum ad-
 huc innocuorum præsentia, qui hac ratione
 venenum vel oculis vel auribus hauriunt, semper
 per retinendum, & in peccata labuntur ipsi, pe-
 ria illis, quæ viderunt, aut etiam in majoribus
 fortè denuo præsentibus aliis, ut totius læpe
 Gymnasii juvenus unius impii verbo aut ex-
 emplo seducta peccare incipiat, peccare perge-
 pergendo pereat : quod ô utinam, utinam ratio
 doceret experientia! Taceo ista, horum enim
 effectus nimium funestos experimur, & lugere
 mus, explicare aut enumerare non possumus.
 Taceo & gravissimum aliud in Studiofa juven-
 tute peccatum, quod est Seductio aliorum
 vocatio à studiis & pietate, & nescio, ad quæ
 sancta invitatio. Rei hujus gravitatem & effe-
 ctus pagina ista non capit. O quos quamque
 horribiles effectus Seductio ista producit! An-
 ma vel unica seducta! Anima à pietate avocata
 ad scelus inducta res tanta est, ut dignas tantum
 scelere pœnas DEus non reperiat, sed sup-
 plicii meritò castiget æternis. Ad peccatum gra-
 ve

ve primum qui alterum inducit, millenorum
sæpe peccatorum, quæ dein consequuntur, ip-
siusque damnationis causa est! Ô res planè terri-
bilis! Cave, eò unquam delabaris, mi Studiose,
ut alium ad scelus etiam minimum inducas; res
enim nimis horrida & DEO exosa est; si verò
hac in re peccasti, rigidam age pœnitentiam, ne
animæ per te seductæ vindictam aliquando ex-
poscant sempiternam. Sed taceo ista, de cæ-
teris Studioforum peccatis æquè ac istis loquor!
Ô quàm deplorandos habent effectus! vis recen-
seam aliquos? paucos dico, neque eos, quos
cum peccatis aliorum hominum habent com-
munes, uti est, jactura innocentia, ne cruentis
quidem lacrymis deploranda; jactura divinæ
gratiæ; consuetudo prava sic contracta &c. pau-
cos alios hac in re singulares affero.

Primus est: Ex frequentibus in juventute pec-
catis & tepore in divinis contrahitur consuetu-
do, non aliqua communis, sed prorsus singula-
ris & discolis Studiofis propria, non curandi
scilicet aliorum monita, non peragendi fervidè
divina, contemnendi etiam minas DEI, nullum
sentiendi horrorem, dum proponuntur terribi-
lissima fidei nostræ mysteria. Quo quid fune-
stius? quid damnationi propinquius? sed cur
hæc consuetudo Studiofis propria est & unde?
dicam. Ex eo est, quia Studiofi toties audiunt
leguntque similia; cùm eis inculcentur in scholis
& cœtibus sacris, repetanturque ferme indies.
Si ergo jam tum Studiofus ista non curet (non

L 5

curat

curat autem, si toties peccat) si per similia ad emendationem non movetur, neque movebitur ætate futura; sed quando ei talia proponuntur, velut jam assuetus talibus, ea non curabit, frigide excipiet, immotus persistet; quod in hominibus aliis locum non habet; hi enim audita Veritate terrificâ moventur facilius. Habes effectum certè timendum satis.

Alter non minus funestus meritò Studioforum salutis suæ amantium animos concutiat; estque ille: amissio Vocationis. Studiosi, qui tepidos adeò sese exhibent in pietate & studiis, qui collatis sibi à DEO donis studiorum tempore abutuntur, qui absque metu & horrore peccare pergunt, Vocatione suâ excidunt, non perveniunt ad statum illum, ad quem à DEO vocati sunt; quia se indignos reddunt gratiâ, quæ eos in electione statûs dirigat & illuminet; aut si etiam statum, ad quem vocati sunt, agnoscant, eò non pervenient; quia in pœnam scelerum, aut agnitio minuitur, aut desiderium etiam ante conceptum tepescit, sæculi vanitas præponderat, Religio jam aspera & toleratu videtur impossibilis, quam antea sibi fortassis eligendam in Domino judicabant: atque ita Vocatione excidunt. Vocatione excidere! ô rem quam veram, tam terribilem! docuit, quod alferui, Gerson notæ scientiæ Vir: *Plerumque fit, ait, justo DEI judicio, ut qui gratiam vel neglexerit, vel repulerit, abutens donis DEI, & talentis summi Patris familias, in primo ætatis vigore, postmodum*

ad eam veniendi nequaquam recursus habeatur. Ita ille: hoc est, illi qui non utuntur gratiâ DEI & talentis in juventute sua, non accipient postea gratiam, Vocationis scilicet, quæ præcipua est. Atque ô si non lugubri nimium experientiâ, æternoque suo damno plures illud didicissent! Novi ego adolescentes non paucos modò, qui sub initium studiorum piè atque innocenter viventes, vocari se sentiebant à DEO ad hunc vel illum statum religiosum. Vocatio hæc per annos plures eorum animo occurrebat, adeò ut de divina Vocatione non ultra dubitari posset. Interea dum ad Philosophica studia perventum est, more nimium consueto deficiebant adolescentes illi à pietate pristina, otio se dabant & conventiculis, confitebantur rariùs, loquebantur, vivebantque liberiùs, genio suo litabant. Eorum aliqui maledictum illud sibi imprefferant: *fiam Religiosus: dandum est aliquid adhuc ætati: fruamur bonis, dum licet.* At ecce dum sic fruuntur bonis miseris miserrimi ipsi; dum vivere incipiunt liberiùs, & in consueta Studiosis peccata sine metu incidunt; evanescit omnis de statu sanctiore cogitatio, perit desiderium Religiosi statûs, placere incipit sæculum, arridet libertas, manetur in sæculo, vivitur in peccatis; quo fine? dabit exitus. Non irridetur DEUS. Non rara sunt hujusmodi exempla, sed singulis propè annis obvia; dum juvenes sancta omnia anhelantes, paulò post libertatis Philosophicæ dulcedine capti, otio se totos dant

dant

dant & inertia, omnem vitæ sanctioris cogitationem abiiciunt, justè puniente DEO, & gratiam eam, qua se indignos reddiderunt, in scelerum pœnam eis subtrahente. Miserrimum est, quòd Juvenes ejusmodi pœnam agnoscere non nisi serò incipiant. Dum enim Religionis amorem evanescere, amorem sæculi adesse sentiunt, mox se ad Sæculum vocatos stultè concludunt, non examinantes vitam, quâ se indignos reddiderunt, ut à DEO ad statum illum perducantur, ad quem verè vocati sunt; non attendentes, ipsum Sæculi amorem non à DEO esse ut signum Vocationis veræ, sed pœnam & effectum scelerum suorum. Habes ergo effectum longè terribilissimum è peccatis Studioforum nasci solitum. An ergo res tanti momenti est, inquit fortassis, Vocatione suâ excidere? Est, est, Studiose mi, est tanti momenti, quanti est Cœlo excidere. Vocatio enim donum DEI speciale est, quo nos interiùs dirigit ad agnoscendum & amplectendum illud vivendi genus, in quo nos certò salvandos esse prævidet DEus. Licet quippe in quovis statu salvari possit quilibet non salvabitur tamen in quovis, sed in uno illo quem DEus prævidit. Quisnam autem sit status ille, cognoscere ex se homo non potest, requiritur auxilium DEI, quo illuminatus homo cum agnoscat; requiritur denuo gratia DEI, quâ adjutus homo agnitum à se statum operum ipso amplectatur. Utramque gratiam DEus nobis denegat, qui eam sæpe & ferventer flagitat.

rat, vitamque vivit Christiano dignam, aut in errores si labitur, mox resurgere conatur, & eos emendare. Hæc gratia tanta est, ut post beneficia omnibus communia majorem DEUS hac in vita favorem exhibere homini non possit, ac si dirigat eum, ut statum suum agnoscat, agnitum amplectatur. Status enim ille ex DEI voluntate electus, certissimum futuræ beatitudinis pignus est. Hac ergo gratiâ Studiosi male viventes excidunt, dum faciunt per scelera sua, aut ne agnoscant statum illum, ad quem a DEO vocati sunt, aut agnitum non amplectantur, sed cæci eligant alium, in quo certò æternum sunt perituri. Excidunt ergo gratiâ Vocationis, hoc est, beatitudine ipsâ; dum enim aliam viam aggrediuntur, quam quâ DEUS eos salvare vult, in mille salutis pericula incidunt, ruunt in interitum. Solus certè hic effectus longè funestissimus horrore Studiosum quemlibet percellere deberet, eundemque ad meliora vel invitum permovere.

Reflexiones. 1. Si nihil est, quo peccata Studiosorum minuantur, multa unde augeantur; ergo Studiosis nulla aliquando erit excusatio coram tribunali Judicis. Sic est, nulla e

Nulla tibi, mi Christiane, ait S. Chryl. (dicam ego: mi Studiose) nulla tibi erit excusatio. Habebunt Ethnici, quo se aliquo modo excusent, scilicet defectum occasionum, instructionum &c. habebunt Judæi, nimirum ignorantiam: habebunt Catholici rudes & plebei, penuriam insti-

insti-

institutionum, molem negotiorum temporali-
 um, pericula & occasiones peccandi & similia.
 Hæc illi obtendent, licet non ideo scelerum
 poenas evasuri. Tu verò, tu Studiosè, quam
 excusationem, quæso, habebis? quid obtendes
 an ætatem tuam primam? sed hæc culpam au-
 get; cum innocentiam tuam, annos floridos &
 optimos dederis per peccata dæmoni, non DEO
 cui tot nominibus obstringebaris. An igno-
 rantiam? voluntaria est, culpabilis est, & nota
 digna suppliciis: habebas enim occasiones, in-
 structores &c. poteras scire, si volebas. Quid
 ergo proferes? versa te in partem omnem, nul-
 la tibi, nulla erit excusatio. Si teste Paulo,
 Philosophi illi prisca inexcusabiles coram DEO
 erant; quia licet agnovissent aliquo modo
 DEUM, eum tamen non honoraverunt; quan-
 to minus tu excusari poteris, qui multò clario-
 rem DEI, peccatorum, virtutumque notitiam
 habuisti, aut habere poteras & debebas? Nulla
 nulla tibi erit excusatio. Quid ergo agendum
 si sapias, ne admittas ea, quæ excusare non poteris.
 Si ingenuus es, scholâ abesse time, nisi habeas
 quo te excuses. Potes quidem hîc speciosè con-
 fingere quidpiam, & excusationis loco afferre
 homini; sed an & DEO? Fuge ergo, quæ ex-
 cusare non poteris. Non poteris excusare quo-
 tidianam tuam inertiam, inobedientiam, irre-
 verentiam in templo, liberiores illos sermones
 &c. ergo ista fuge & detestare.

2. Si inter effectus peccatorum à Studiosis
admitti solitorum est ille tam terribilis, scilicet:
amissio Vocationis, è qua tamen æterna tua
beatitudo dependet, quid agendum? ergo vi-
tanda sunt sedulo peccata Studiosis familiario-
ra; ergo nihil hîc leve judicandum. Sic te con-
cludere jubet salustia. Amasne Animam tuam?
eâmne serio salvare postulas? non dubito. Er-
go & cupis viam scire & locum, ubi salvanda
sit? ergo & huc pervenire desideras? Ne ob-
struas igitur divinæ gratiæ fontem; ne gratiam
tibi alias conferendam ipse impedias. Alium
statum si eligis, quam illum, in quo DEUS te sal-
vatum iri prævidet, actum est de te & salute
tua: illum statum si non agnoscis, actum est de-
nuo. Non agnosces autem, non eliges, nisi
vitam aliam agas, nisi ad DEUM serio conver-
taris. Fateor, dat DEUS subinde gratiam Vo-
cationis etiam indignissimo, & maxima ponen-
ti impedimenta; sed rarus iste est Divinæ mise-
ricordiæ effectus, quem tibi ex mille aliis polli-
ceri non nisi stultissime potes. Noli igitur
rei hujus oblivisci: cogita sæpius in occasione:
forte si hoc agam, excidam Vocatione mea &
peribo! fugiam ergo. Noli etiam eò stultitiæ
& impietatis delabi, ut post agnitam à te Vo-
cationem licere tibi judices vitam justò liberio-
rem; eò quòd postea in statu Religioso eâ carendum
sit. Vivit enim DEUS justus & vindex, qui qui-
dem ex immensa misericordia sua te illuminavit,
ut agnosceres statum, in quo salvari possis secu-
rius.

rius.

rius, sed justo suo iudicio in scelerum tuorum
 poenam tibi gratiam subtrahet, ita tu non per-
 venias ad statum illum, quem antea noveras esse
 amplectendum. Hoc revera accidit plurimis,
 accidere potest & tibi: quod si fiat, æternum
 miser es. Cave, audias pessimas eorum voces,
 qui dicunt: paulò post eris Religiosus; non po-
 teris vivere è voluptate & genio tuo; ergo nunc
 adhuc audendum aliquid est: vivendum libe-
 rius &c. mitte libros & studia; accede cauponas
 lusibus aliquid concede &c. Non audi, obsecro
 has, & peiores voces alias: diabolica sunt dicta-
 mina, quibus jam plurimi juvenes æternam suam
 debent perniciem. Ipse, quæso, considera, an
 non ejusmodi juveni DEUS justè gratiam Voc-
 tionis subtrahat. Quid enim? an DEUS hoc aut
 illo Studioso indiget? minimè: habet innume-
 ros, quos vocare potest ad eundem statum, ad
 quem te vocat: quòd te vocat, singulare bene-
 ficium est: si tu autem pro gratia hac DEUM
 pius offendas, an non justè agit, hanc tibi ad-
 mendo? Amico, cui aurum tuà sponte obtuleras,
 an non hoc ipsum negares, si te proterve offen-
 deret? haberes enim alios, qui id cum gratiarum
 actione acciperent: ita & de DEO loquere
 Deinde quàm, obsecro, intoleranda DEI inju-
 ria est, ideò jam DEUM offendere, quia postea
 ei serviturus es? quæso, si famulus tibi diceret
 serviam tibi anno sequente; jam verò prius ser-
 vium hosti tuo, offendam te, rapiam bona tua
 vulnerabo te, deinde tibi serviam. Anno
 veluc

velut intolerabile scelus famulum hunc à te abigeres? Et tu quid aliud agis, si eo, quo dixi modo vivis: ecce DEUS, fiam Religiosus, serviam tibi fideliter; sed jam serviam mundo & dæmoni; & quia deinde non potero habere occasiones te offendendi, offendam jam: offeram me tibi postea in holocaustum; verum jam me dæmoni offeram: quod restabit, tuum erit &c. hæ tuæ quasi ad DEUM voces sunt: nunquid blasphemæ & inferis dignæ? Cave ergo, liberiùs vivas eo nomine, quòd Religiosum statum fortè cogites: gratiam enim Vocationis certò tibi DEUS subtrahet. Time effectum a deò terribilem. Quòd si hunc jam fortè experiri incipis; si voluntatem, quam ad certum vivendi genus ex motivis sanctissimis conceperas, amisisse te advertis, & econtra affici v. g. ad sæculum; bene conscientiam discute, an solido & sancto nitaris motivo; an verò jam pœnam DEI experiaris, qui gratiam Vocationis tibi subtrahere incipit; quia te eâ indignum fecisti. Tantò jam ferventiùs ad DEUM confuge, vitam emenda, ut novâ te gratiâ donare dignetur Dominus ad electionem hanc ritè faciendam. Agitur de Anima tua!

Pars V.

Peccata Studiosorum terribile manet iudicium,
terribiles pœnæ.

Doctrina. Gravitati scelerum respondet Iudicium & pœna: facile igitur ex dictis intelliges

M

telliges

telliges, quid Studiosis peccantibus aliquando futurum sit. Vox utinam mihi ea suppeteret, quæ exaudiri à Studiosis universis posset! unum hoc ingeminarem: ô Studiosi mei, ô Studiosi mei, terribile vos manet iudicium, terribiles manent pœnæ! Non vanæ sunt minæ: veritas est hanc sic ostendo. Israëlitas multò gravius ex cepit iudicium & pœna, quàm alios; quia graviora erant eorum scelera. Inde sunt terribiles illæ minæ: *Tantummodo vos cognovi ex omnibus nationibus terræ; idcirco visitabo super omnes iniquitates vestras. Effundam super eos indignationem meam; omnem iram furoris mei: non parces oculus meus, & non miserebor. Inducam mala, ita ut inruant amba aures.* Aliæ non minùs tremendæ in Evangelio sunt hæ: *Sodomis in die illa remissus erit: hoc est, Sodomitæ non habebunt tam terribile iudicium, quale vos. Venient ab Oriente & Occidente, & recumbent cum Patribus Abraham, Isaac & Jacob; filii autem regni eiicientur foras. Tyro & Sidoni remissus erit in die iudicii &c.* Aliæ vertisne, quale iudicium Judæis prædixerit Christus? Tyro & Sidoni & Sodomitis remissus erit fore iudicium, quàm Judæis, apud quos prædicaverat Christus. Cur hoc? quia Judæorum peccata graviora erant; beneficia eis communita majora; quia occasiones plures habebant bene vivendi, discendi veritatem, serviendi DEO, ac gentiles, aliique. Ergo *Judicabo vos juxta vias tuas, & ponam contra te abominationes tuas, & non parces oculus meus, & non miserebor.*

ait Dominus. Ex hoc Sancti Patres eruunt: ergo & Catholicos gravius manet iudicium & pœna acerbior. Antoninus ait: *Omnia Israëlitis facta sunt propter nos; populus enim iste fuit figura populi Christiani; unde ista demum evenient Christianis & pejora, si ingrati fuerimus inventi.* S. Bonav. inquit: *Væ Christianis, qui DEum cognoscunt, & non ut DEum honorant: non servientes DEO Christiani plusquam Saraceni & Pagani puniendi sunt.* Clarissimum & terrore plenum est illud S. Pauli: *Voluntarie peccantibus nobis post acceptam notitiam Veritatis, jam non relinquitur pro peccatis hostia, sed terribilis quadam expectatio iudicii.* Nota: terribilis expectatio iudicii; quia scilicet post acceptam notitiam peccamus. Sicut ergo Judæos terribile manebat iudicium, quia post tot beneficia, post haustam notitiam, post tot monita peccabant; ita & Catholicos eadem ex causa gravius maneat iudicium, necesse est; adeò ut Sodomitis, Sidoniis & aliis remissius futurum sit in die iudicii, ac Catholicis. Certum hoc est omnibus. Ex his verò rursus deduco, multò terribilius iudicium expectandum esse Studiosis ac Catholicis cæteris plurimis. O Studiosi, audite hæc, & intelligite, nec tantum ut vanas minas ludite: terribile vos manet iudicium; vobis dictæ sunt minæ illæ: *Tantummodo vos cognovi ex omnibus nationibus terræ; idcirco visitabo omnes iniquitates vestras: Sodomis remissius erit in die iudicii: remissius erit Gentilibus & Catholicis plurimis. Filii regni, quales vos estis, eiicientur foras, in tenebras*

exteriores, ubi erit fletus & stridor dentium. De
 vobis dicam illud Christi: *Væ tibi Corozaim! & tibi
 Bethsaida! quia si in Tyro & Sidone factæ essent
 virtutes, quæ factæ sunt in vobis, in cilicio & cinere
 poenitentiam egissent.* Væ tibi Studiosa juven-
 tus peccatrix! in te enim factæ sunt virtutes plu-
 rimæ; poenitentiam tamen non egisti. Væ tibi
 quia si in Tyro & Sidone, si in regionibus bar-
 baris, si inter cives, rusticos, aliosque sæculares
 factæ fuissent virtutes, quæ in te; si illi habu-
 sent tot sanctè vivendi occasiones, quot tu, in
 cilicio & cinere poenitentiam egissent; servi-
 sent DEO accuratiùs. In vos, inquam, ô Stu-
 diosi, hæ minæ cadunt. Cur? eandem ob cau-
 sam, ob quam supra asserui, peccata vestra gra-
 viora esse peccatis aliorum hominum. Et si Ca-
 tholicos gravius manet iudicium, quàm alios
 quia plura à DEO nacti sunt beneficia, plura
 habuerunt bene vivendi occasiones, necesse est
 & vos ut gravius maneat iudicium quàm im-
 meros alios Catholicos; quia plura ac innumera
 alii à DEO accepistis beneficia; plures sanctè
 vivendi occasiones habuistis. An causam mi-
 tãsti, cur Christus minatus fuerit incolis Corozai-
 zaim? ideo, quia multæ ibi virtutes factæ erant
 hoc est, Christus sæpe ibi prædicaverat, fecerat
 miracula, monuerat ad poenitentiam: quod
 in Tyro & Sidone factum non fuerat; quare
 urbium incolæ si illa media, illas occasiones
 habuissent, in cilicio & cinere poenitentiam egis-
 sent. Ideo ergo gravius Corozaitas manebit iu-
 dicium.

judicium; quia mediis illis usi non fuerant, quæ præ aliis per DEI benignitatem acceperant, quibusque aliis multò melius fuissent usuri. Studiose mi, eadem ex causa & tibi & Studiofis aliis gravius imminere iudicium illico evincam. An non enim fiunt virtutes plurimæ inter Studiosos? an non habentur eis conciones plures, quàm aliis? an non monentur ad pœnitentiam sæpius, quàm alii? an non habent plures occasiones, quàm alii? Et quæso, si DEUS daret tot conciones, tot bene vivendi occasiones Rusticis, si plebeis, si hominibus innumeris, toto die sub negotiorum mole gementibus; an non servirent DEO diligentissimè? an non obedirent ei in omnibus? Ergo tibi, qui has occasiones habes, non tamen nisi ad DEI offensam adhibes, gravius imminet iudicium, quàm Catholicis cæteris. Væ! væ tibi Studiose juvenus peccatrix! voluntariè peccanti post acceptam notitiam veritatis, non relinquitur hostia, sed terribilis quædam expectatio iudicii, teste Spiritu Sancto: habet autem Studiose juvenus notitiam veritatis, & peccat nihilominus; ergo terribilis expectatio iudicii ei relinquitur. Narrat Barzias, a Virgine quadam Sancta visum esse iudicium viri alicujus, cui DEUS triginta dies pro pœnitentia agenda concesserat, hic verò pessimè impenderat. Vidit ergo Virgo illa specialem rationem, quam vir ille reddere debuit ob triginta dies illos: exprobrabantur hi ei, & obiiciebantur: si enim dies hos habuif-

sent alii, pœnitentiam egissent. Studiose, ob dies triginta tam terribile iudicium! ô quale tuum erit ob annos integros non DEO, sed peccatis donatos & libertati! ô quale iudicium! Non fallit scriptura: terribilis expectatio iudicium. *Judicabo te juxta vias tuas, & ponam contra te abominaciones tuas, & non parceret oculus meus & non miserebor.* Verba DEI sunt. O iudicium non modò terribile, quod solùm ostendere proposueram, sed multò terribilius ac aliorum hominum! Iudicium hoc Studiosi augetur adhuc et eo; quia multi erunt, qui hunc accusabunt nemo qui excuset. Non fore excusationem ullam, vidimus antea. Restat, ut accusatores videamus. Quinam illi? præter communes omnibus accusatores, quales sunt Conscientia hominis, Dæmon, Angelus, erunt & alii. Christus ad contumaces Judæos ait: *Surgent Ninivite die iudicii, & condemnabunt generationem istam quia scilicet Ninivitæ ad unam Jonæ Prophetæ concionem conversi egerunt pœnitentiam; Judæi verò ad tot Christi conciones se non converterunt.* Studiose mi, an non manibus et palpas, simile aliquid tibi eventurum ob eandem planè rationem? Ecce præter Ninivites surgent Japones, surgent Indi, surgent Judæi, surgent Hæretici, imò ipsi surgent Catholici, & condemnabunt te; accusabunt, dicent ecce justissime Judex, ecce ille adolescens, tot sanctè vivendi occasiones dedisti, cui concionem unam, uti Ninivitis, sed centenas

& centenas obtulisti, præter inspirationes innumeras, præter agnitionem fidei & mysteriorum eius, præter sollicitam & laboriosam instructionem, præter innumera alia tibi serviendi media; justissime Judex, tu scis, quomodo tempus illud, illas occasiones, conciones, instructiones impenderit; quam tepidè tibi servierit, quot vicibus te offenderit. Nos tales occasiones non habuimus; non fuerunt nobis tot conciones habitæ, aut certè propter negotiorum molem interesse vix potuimus; nobis non ita explanata sunt fidei mysteria, non sic descripta est peccatorum gravitas, non toties inculcata pœnitentia, non tantum tempus concessum; si nos vel centesimam partem mediorum illorum habuissemus, quæ habuit adolescens ille, vixissemus sanctè, peccassemus nunquam, serviissemus tibi devotissimè. Juste Judex, si nos damnas, qui tamen mediis ejusmodi destituti, viximus; ergo graviores damnationem meretur Studiosus ille. Vindica Domine! vindica! En hi sunt accusatores tui, mi Studiose. Accusabit te etiam Parentum tuorum cura; clamabunt & accusabunt te Parentum sumptus, sæpe non sine cruore parati; clamabunt & accusabunt fratres & sorores, quorum hæreditatem fortè otiano prodegisti; clamabunt labores illi perpetui, curæ, sudores Magistrorum & Professorum tuorum, quos pro te tot annis exantlarunt, non sine propriæ vitæ detrimento aut jactura; clamabunt eorum preces pro te fusæ, noctes diésque pro

tuo emolumento impensæ. O accusatores vere terribiles! Neque hîc finis. Joannis 5. dicit Christus Judæis: *Est qui accusat vos Moyses, in quo speratis!* hoc est, ille ipse Moyses legislator vester, cujus vos discipulos profitemini, accusabit vos, vos condemnabit. Sic dicam ego; est, est, Studiole, qui accuset te Jesus, in quo speras; accusabit tuam in servandis propositis inconstantiam, tuam in divinis tepiditatem, in studendo socordiam, in peccando audaciam. Est, est, quæ te accuset Beatissima Virgo, in qua jam protervè nimium speras; hæc accusabit tuam in cultu toties tibi commendato socordiam, precum omissiones, in offendendo DEO proterviam, in promissis implendis negligentiam, in pacto & renovato toties foedere per formulam Sodalitatis perfidiam. Est, est, qui te accuset Angelus custos, in quo speras: accusabit tuam in implendis monitis incuriam, tuam inobedientiam &c. Est, qui te accuset, Patronus Nominis sunt Sancti Studiosorum curæ præpositi, qui tantum tibi pœnitentiæ tempus, tot tibi inspirationes impetrârunt. Sunt, qui te accusent condiscipuli tui, qui meliùs eodem, quo tu fruebaris, tempore usi sunt. Erunt & alii adhuc Studiosorum aliquorum accusatores planè terribiles, quos taceo; quia te, ut spero, non accusabunt, cum seductorem te esse non sperem. Accusatores illi erunt Animæ per consilium aut perversum Studiosi exemplum seductæ. Ope ego te salutem tuam obtestor, cave, ne talem ali-

aliquando habeas accusatorem : potens enim
nimum vox ejus est & accusatio : clamat simul
cum eo & sanguis animæ æternum infelicis , &
sanguis Jesu Christi pro anima illa effusus : cla-
mat : vindica Domine ! vindica ! Væ tibi , si ta-
lem aliquando habiturus sis accusatorem. Ne
habeas , cave , verbo aut exemplo quempiam
seducere audeas.

Spectâsti Judicium terribile , nunc & pœnam
attende. O pœna quàm terribilis ! Væ , ajebat
Bonaventura , *Væ Christianis , qui DEum cogno-
scunt , & non ut DEum honorant : non servientes
DEO Christiani plus quàm Saraceni & Pagani pu-
niendi sunt . Tu dele vocabulum : Christianis ;
& substitue : Studiosis . Væ ! væ Studiosis , qui
DEum agnoscunt , & non ut DEum honorant !
væ ! plus quàm Catholici alii puniendi sunt . Filii
regni , ait Christus , eiicientur foràs . Filii regni
estis , ô Studiosi ! vobis specialiter , ut filiis , me-
dia ad regnum cœleste largitus est Deus . Ex-
pavescite ! Filii regni eiicientur foràs . Sed cur ?
S. Chryl. dicit : *Quantò maiora beneficia homini-
bus sunt constituta , tantò majora peccantibus sup-
plicia sunt parata .* Relege hoc , & tecum repete,
mi Studiose , & vide , an non inferas : ergo Stu-
diosis ingentia , imò majora quàm aliis parata
sunt supplicia ? Docuit hoc Christus in arbore
illa , quam , quia fructus non protulit , excin-
dendam dixit , & in ignem mittendam . Do-
cuit in servo illo , quem , quia sciens voluntatem
Domini non implevit , vapulaturum esse multis*

asseruit. Tu, tu arbor illa es, Studiose, plantata non solum in agro Ecclesiæ, sed & cœtu Mariani: fructus non profers, quos debes: time excisionem & ignes. Tu, tu servus ille; scilicet voluntatem Domini, nec tamen eam imple: time verbera! time supplicia! *Non parceret oculis meis, & non miserebor*, ait DEUS. Habetur etiam vita S. Macarii, Calvariam aliquam cuiusdam Ethnici, ad quam casu Sanctus offenderat, dixisse, Christianos multò majora in orco pati supplicia, ac Ethnicos, ob majora, quæ acceperunt à DEO, beneficia. Certus sum, Studiose, si quis hodie damnatus adolescens ab inferis exurgeret, certus sum, clamaret palam, multò majora inter inferos supplicia destinata esse Studiosis, quàm aliis; eadem ex ratione, quòd majoribus à DEO beneficiis fuerant affecti.

Reflexio. Si terribile adeò iudicium æque supplicium manet Studiosos impios; ergo timendum est tibi, Studiose, timendum timore salutari, dum peccas. Revoca hoc sæpe in memoriam, ne pecces; meliùs utere occasionibus, ne tot habeas tui accusatores: DEO, B. Virgini & sanctis famulare ferventiùs, ne te tua negligentia aliquando arguant. Verbo, fugas peccata, extirpa consuetudines pravas, ne horrendis aliquando suppliciis inter inferos à iudice puniaris. Clausulam impositurus Considerationi huic, unum illud flagito, quod Iudas ab Israëlitis petiit: *Mementote istud & confidamini, & redite pravariatores ad cor.* Memento

to eorum, quæ dixi, & confundere, & erubescere rubore salutari ob ingratitude tuam, quâ hactenus DEum optimum exacerbâsti: redi ad cor, hoc est, serîo te ad DEum tuum converte. Audivisti, quàm falsò peccata tua passim leviantum esse credas; quàm multa sint, quæ illa ipsa aggravent, ita quidem ut magis DEO displiceant, quàm aliorum peccata hominum: audivisti, nihil esse, unde excusationem petere coram DEO valeas; audivisti effectus, qui consequi ad peccata tua possunt; demum & iudicium & pœnas Studiosis impiis parata audivisti. Hæc omnia tecum considerans, quid concludis? hoc certè: agenda est vita alia: ferventissimè in emendationem vitæ incumbendum est, nisi perire & damnari velim: deposito peccatorum contemptu & vilipensione, maximus eorum horror concipiendus est. Bene conclusisti: hoc fac, & vives. Aliud adhuc quod in rem tuam deducere potes, hoc est: sive peccaveris graviter, sive non; est cur timeas, neque, uti apud Studiosos fieri solet, absque omni salutis metu vivas. Si non peccâsti, habes, quòd DEO gratias agas verè immortales: timendum est tamen; cum facilis lapsus sit in ætate lubrica, inter sociorum blandimenta, & dæmonum insidias. Si peccâsti, licet unâ solum vice, habes, quòd veniam à DEO petas indies, doloremque frequenter elicias. *Peccâsti?* ait S. Chryf. *jam desiste, & in contrarium convertere.* Time, ne primum, quòd perpetrare cogitas, scelus, tuo-

tuo-

tuorum impleat mensuram delictorum. Finio
 verbis Apostoli: *Obsecro, ut dignè ambuletis Vo-
 catione, qua vocati estis.* Studiose mi, vive vitam
 Studiose dignam, dignam illo homine, qui
 plurimis se affectum à DEO esse beneficiis in-
 ficiari non potest.

Affectus. Omnipotens, sempiternè DEus, de
 profundis clamo ad te! Domine exaudi vocem
 meam! de profundis iniquitatum mearum cla-
 mo ad te! si iniquitates observaveris, quomodo
 sustinebo? ô Domine, quid agam? Video me in
 profundo iniquitatum demersum, & talium quid-
 em iniquitatum, quales meas esse nunquam
 credidi. Peccavi Domine, & peccata mea non
 agnovi; iram tuam non timui; vindictam non
 expavi; credidi, leviam tantùm esse, quæ ago,
 nec magnis digna suppliciis. O DEus, quam
 alia me hodie docuisti! Expavescò, dum recor-
 dor peccatorum à me commissorum! ô quoties
 graviter te DEum meum offendi, falsò mihi
 persuadens levem solummodo noxam esse! non
 apprehendi Domine, quàm periculosa sint illa
 peccata, in quæ iterum iterumque prolabor:
 non attendi, quàm parum absim à damnatione
 perpetua: non expendi, quàm multa sint, qui-
 bus peccata mea aggraventur, quàm nihil sit,
 quo eorum minuat malitia: non cogitavi,
 quantis me dignum suppliciis redderem; hinc
 peccavi sine rubore, sine metu, nihil de scele-
 rum emendatione sollicitus. O Domine, si ini-
 quitates observaveris, quomodo sustinebo?
 quo-

quomodo sustinebo, si tot contra me accusato-
res videro insurgere? si turpibus adeò flagitiis
me undique vallatum conspexero? Timeo Do-
mine, iudicium tuum! timeo, quæ meritis sum,
supplicia! Mille inferos, fateor mi DEUS, mille
inferos sum pro meritis, quòd primos vitæ meæ
annos non tibi, cui debebam, sed libertati &
peccatis dederim. Sed quid ages cum peccatore
culpam fatente, erroremque suum agnoscente?
num reiicies à facie tua? Domine, nisi infini-
tam tuam esse misericordiam scirem, aliud ex-
pectare nihil possem; cum verò sciam, tibi pro-
prium esse misereri & parcere, animum non
abiicio. Multum peccavi, Domine, sed major
est misericordia tua, quàm iniquitas mea. Er-
go secundum hanc magnam misericordiam
tuam miserere mei, & me respice, qui corde
contrito & humiliato venio ad te clamans & in-
geminans: delicta ætatis meæ primæ & ignoran-
tias meas ne memineris Domine! Offero tibi,
Pater æterne, in satisfactionem scelerum à me
admissorum, Juventutem unigeniti filii tui Sal-
vatoris mei, & omnia ejus merita, omnes vir-
tutes, quas in ea ætate exercuit. Pater æterne,
respice in faciem Christi filii tui, & miserere mei!

Proposita. Ætatem, quæ superest, totam tibi,
mi DEUS, consecrabo; aliam longè vitam insti-
tuam: in hac enim si pergam, timeo saluti meæ.
Incumbam ergo in emendationem errorum
meorum, præcipuè istius NB. N. N. 2. Nun-
quam ita me decipi patiar, ut ullum Studiosi

peccatum velut leve contemnam. 3. Examina-
 nabo bene conscientiam meam ante Confes-
 sionem, ne aliquod peccatum maneat occul-
 tum. 4. Sæpius recordabor eorum, quibus
 peccata Studiosi tantum aggravari audivi. 5.
 Spe sanctioris statûs aliquando eligendi induc-
 tus non vivam liberius, ne vocatione ipsâ exci-
 dam. 6. Sæpius eliciam dolorem de juventute
 tam malè exacta, verbis illis: delicta juventu-
 tis meæ & ignorantias meas ne memineris, Do-
 mine! 7. Studiis me ferventer applicabo, ti-
 mens, ne ignavia hæc mea initium sit damna-
 tionis æternæ. 8. Negotium Vocationis trac-
 tabo eâ curâ, quantâ requirit res tanti mo-
 menti; & vel ideo vitam emendabo, ne gratiam
 Vocationis DEUS subtrahat. Denique vivam
 vitam eam, quam tanta DEI beneficia à me
 exigunt.

Petitio. Pater æterne, per merita dilectissimi
 Filii tui largire mihi indignissimo gratiam, sic
 meam jam vitam instituendi, ne aliquando
 proiciar à facie tua in æternum.

Ad DEUM. Recita *Te DEUM* laudamus in
 gratiarum actionem pro tot beneficiis, quæ
 DEUS tibi Studioso contulit, & ad impetran-
 dam in sancta vita constantiam.

Ad B. Virginem. Renova devotionem tuam
 recitando formulam: *S. Maria Mater DEI*
Virgo &c.

Ad Sanctos. O Sancti, quorum cura Divina
 bonitas juventutem Studiosam committere
 gnata

gnata est, intercedite pro me, ut proposita à me facta fideliter impleam. Et vos orate pro me, qui Juventutem vestram DEO totam consecrâstis, ut tandem vestris insistere vestigiis incipiam, neque ab illis unquam deflectam.

Consideratio VI.

De Morte Hominis.

Recitatâ oratione consuetâ, cogita te videre moribundum aliquem, voce destitutum, fractis oculis, naribus auribusque rigentibus, ore fœdum in modum distracto, fronte macie extensâ, collapsis genis, porrectis brachiis, manibus pedibusque emortuis, pallente vultu & exsucco horridum: cogita præterea, te audire gemitus ejus & suspiria. Pete gratiam agnoscendi, quid sit Mors, quantique res momenti sit, ut ad eam ritè te valeas præparare.

Pars I.

Quid sit Mors, & quanti momenti sit.

Doctrina. Mole parvum, mysterio ingens verbum est, Mori, Mors. quid est mori? Mori est omnia & singula mundi hujus bona deserere; est pro omni æternitate deserere mundum, in quo vixisti; patriam, in qua natus es; urbem, in qua vixisti; domum, quam incoluisti; lectum, in quo quievisti; hortos, in quibus ambulâsti, omnia demum terræ loca. Quid est mori? Mori est dicere perpetuum vale parentibus, fratribus, sororibus, amicis, sociis illis tuis,

tan-

tantopere tibi dilectis, adeò ut nemo hominum te comitaturus sit ad æternitatem. Quid est mori? Mori est deserere omnia bona corporis, fortunæ & naturæ. Considera, quæcunque possides, aut ab aliis possidentur: cerne vestes, quibus stultè adeò superbitur; vide domos ad omnem pompam erectas; vide agros ad oculorum delectationem exultos; vide cistas auro gemmisque turgidas; vide alia in mundo omnia & dic: per mortem hæc omnia deserenda sunt. Quid est mori? Mori est deserere omnes voluptates mundi, delicias, convivias, saltus, lusus, venationes, omnia, quæ vel oculos, vel aures, vel gustum delectare possunt. Quid est mori? Mori est extremas in corpore & anima pati angustias; doloribus undique circumvallari, timoribus concuti. Mori est in arenam cum stygio hoste descendere, pugnam cum eo inire, è qua corona cœlestis, aut infernalis pœna dependet, & quidem descendere prorsus infirmum, debilem, lethali sudore perfusum, & solum quidem & cum hoste vaserrimo, nostrique interitus fientissimo. Quid est mori? Audi, & si priora non times, jam toto corpore contremisce. Mori est è vita ad æternitatem, è tempore ad immortalitatem, è mundo ad Cœlum aut Tartara abire. Ah quid hoc? In regionem longinquam nullo duce, nullo comite abire, ubi perpetuò aut inter dolores, aut inter gaudia vivendum! Mors janua æternitatis, mors transitus ad æternitatem est, mors finis temporis & ini-

initium æternitatis tuæ tibi est. Finis temporis est, & omnium, quæ in tempore fiunt; finis regnandi, finis superbiendi, finis epulandi, finis suo indulgendi genio, finis patiendi pro DEO & Cœlo. Finiuntur in morte dolores Lazari & paupertas; finitur etiam Epulonis luxus & felicitas. Finitur in morte martyrium Stephani, Laurentii, Sebastiani: finitur etiam Alexandri, Herodis, Sardanapali fastus, potentia, gaudium. Æternitatem omnes hi ingrediuntur, sed ô quàm disparem! Mori est æternitatem ingredi. O quanti momenti negotium! per te, ô Mors, ingrediar æternitatem aut felicem aut infelicem: per te aut Cœli aut stygis incolam: ex te, ex momento uno salus mea pendet, pendet damnatio. Momentum unum est, unde pendet æternitas! ô verba! ô tonitrua! Momentum unum est, in quo si felix fuero, ero æternum felix; si fuero miser & infelix, totâ æternitate miser, totâ æternitate permanebo infelix. O mors, unde mea tota pendet æternitas! in momento mortis, ô quantus, ut ita dicam, saltus faciendus est, aut è terris in Cœlum, aut è terris in Orcum! Ad Cœlum si enixus fuero, nihil me erit beatius, omne discrimen evasi, æternum sine metu felix ero. In Orcum si ruero, ô me millies, ô quoties exprimi non potest, miserrimum! perii! conclamata salus est, & æternum conclamata. O Mors, quid es! quanti res momenti es!

Reflexiones. I. Si mori est deserere mundum,

N

&

& omnia, quæ in mundo sunt; ergo nihil ex iis,
 quæ possides, te ad æternitatem comitabitur.
 Ita est, sic evenit aliis ante te. An novisti ex
 nomine aut facie, reges, principes, nobiles,
 divites? quid rex ex imperio suo, quid è thesau-
 ro suo dives secum asportare in orbem alterum
 potuit? nihil sanè. Nudus, inops, & pauper
 migrare coactus est. Si mori est separari ab
 omnibus; ergo nihil in hac vita perpetuò pos-
 sidetur; ergo deserenda est amicitia illa, volup-
 tas illa, illa domus & conversatio; ergo erit
 dies, quo desines otiosi, ludere, vivere, peccare.
 Quid est, quod jam maximè amas? examina te,
 & dic: Anima mea, hoc ipsum desereres: non
 fruèris re hac perpetuò: relinques eam aliis.
 Sic statutum est. Ex hoc verò quid concludis?
 si omnia terrena tibi deserenda sunt; ergo eo-
 rum amore non est offendenda DEI Majestatis
 ergo præstat, ea jam sponte deserere, si DEUS
 exigat te vocando ad statum Religiosum; ergo
 ob misera hæc, & caduca aliquantulo tempore
 possidenda non est deserenda Vocatio; ergo
 insanissimè agit, qui majorem pro brevibus
 hisce, ac pro æternis curam gerit. Quid ju-
 dicas? est Viator, Romam abit, ibi habitaturus;
 transit per urbes varias: ubique sollicitè cu-
 rat extrui nova ædificia: diu noctuque angitur
 quâ ratione ea perficiat, in illis se recreet; et
 etiam omnes sumptus impendit, adeò ut pro ha-
 bitatione Romana nec nummum servet. Nun-
 quid insanit homo iste? insanit certè; quia ratio
 tam

tam gerit curam pro loco, qui mox deserendus est, nullam pro eo, ubi semper habitandum. Tua hæc insania est, mi Studiose; non habes in vita hac habitationem, sed breve diversorium; tendis ad vitam aliam, ibi æternum habiturus: & ecce! tantum sollicitus es pro vita hac, pro commoditatibus, deliciis &c. non pro futura. Nunquid insania est? quid laborasti hactenus pro æternitate? exhibe opera. Corrige insaniam hanc.

2. Si mori est separari & deseri ab hominibus omnibus; ergo etiam à sociis tuis desereris, etiam illis, in quorum gratiam DEI præcepta violasti? ita est. Deserentne illi te? non succurrent? non protegent? quin imò deserent te: succurrere & protegere nec volent, nec poterunt. O præclara amicitia! quis ergo succurrere potest? quis protegere? ex hominibus nemo: DEUS solus potest; hinc David clamabat: *Domine ne discesseris à me; quia tribulatio mihi proxima est, & non est, qui adjuvet me.* Audis? non est, qui adjuvet. An verò succurret DEUS? sicut te colimus, sic tu nos visitas. Succurret DEUS illis, qui DEO servierunt, qui non discesserunt à DEO per peccata; qui non reliquerunt DEUM, ut homini, socio, dæmoni adhærerent: hos proteget; cæteris enim dicet, quod scriptum est terribile illud: *Surgant Dii vestri & opitulentur vobis, Surgant socii, & succurrant tibi; veniat dæmon, cui serviisti, & liberet te.* Studiose, si hac horâ moriendum esset, an DEI

opem tibi polliceri potes? an nunquam à DEO discessisti per violationem propositorum in Confessione factorum? per peccata? an non relicto templo, relictis studiis, maluisti quietem, otium, commoditatem tuam quærere? Si ita est, timeo, ne audias: surgant, & opitulentur. Vis ut non discedat à te in morte DEUS? ne discedas tu ab ipso: ne eum creaturæ cujusdam amore deseras. Socios desere, non DEUM: cogita, hi me juvare non poterunt. Relicto templo, ire ad lusus; relictis studiis, ad otium, idem est ac deserere DEUM creaturæ causâ: cave, hoc facias. Aloysius moriens singulari lætitia solatio amplexus est Crucifixi effigiem; qui scilicet amavit eandem vivens, nec ab ejus amore avelli se passus est.

3. Si Mors est finis temporis & janua æternitatis, si res tanti momenti est; ergo stultissime me agit, qui rarò de ea cogitat, ad eam se non parat; quia si mors est infelix, tota æternitas est infelix. Et quæ fuit tua ad mortem felicem præparatio? hac horâ si audires illud: *Dispositio Domui tuæ, quia morieris*, quam, quæso, æternitatem expectares? quære conscientiam tuam Religiosus fuit, qui omnia à se fieri ajebat, DEUM in morte haberet propitium. Sapienter ille & bene: stultè tu & male, si secus egeris. O cæcitas tua! pro re corporis minima quantum laboras! & pro momento ultimo quid Posthac labores scholasticos, exercitia pietatis & quidquid tibi molestum accidit, omnia eo fac-

lætus perage ad DEI gloriam, ut DEum in morte propitium habeas; ut felix habeas momentum illud, è quo tota pendet æternitas.

Affectus. Jesu Christe, pro me Crucifixe, ô quanta mea fuit cæcitas! nesciebam, quid esset Mori. O quam stultè egi, quòd bona illa misera, quæ certò cogar in morte deserere, etiam cum tui offensa quæssiverim! quàm impiè egi plus quærendo amicitiam hominum, ac tuam ipsius; cùm tamen succurrere illi in extrema mea necessitate non possint, possis verò tu solus & unicus. Meritus sum, ut mihi aliquando dicas: surgant Dii tui, & opitulentur tibi. Hoc si fieret, ô Jesu, quo deveniret Anima mea? actum esset de ea. Hinc ad te jam convertor, unum hoc inclamo: Jesu ne me deseras! Domine, ne discesseris à me! detestor impudentiam meam, quâ te deserto, miseris hominibus adhæsi. Ad te revertor: Domine, ne discesseris à me; quia tribulatio mihi proxima est, & non est, qui adjuvet me. Ne discesseris, quando adeunda est lucta ultima, è qua æterna salus & damnatio pendet: ne discesseris in momento illo, è quo tota pendet æternitas. Imprime animo meo firmam mortis memoriam, ut plus pro momento ultimo laborem.

Proposita. Ex hac hora enim, ô mi Jesu, ad mortem me præparare seriò conabor. I. Quia omnia mihi certò sunt deserenda, non prosequar ista amore inordinato, qui me ad offensam DEI instiget; quin si me ad statum Religiosum

sum vocare dignatus fueris, læto animo omnibus renuntiabo, nec terrenorum amor a Vocatione me impediet. 2. Magis ero sollicitus pro vita futura & habitatione perpetua; plus pro æternitate laborabo per majorem in studiis diligentiam, & observationem exercitiorum pietatis. 3. Socios perversos omni studio fugiam; neque ullius hominis gratiâ à DEO discedam; quia tu solus, mi Jesu, mihi in morte poteris succurrere, non socius, non homo. Ab homine impio, à socio discedam, hunc deseram, non deseram DEum te meum per fugam è templo, quasi nautearem consortium tuum; non deseram per omissionem precum, aut S. Communionis, Confessionis & aliorum exercitiorum Pietatis; non deseram per peccatum mortale ullum. Moriar potius, quam sic te deseram. Quia Mors res tanti momenti est; quia è momento illo terribili dependet salus mea, omni studio me ad illud præparabo; res enim mea mea salus agitur: velut sollicitus miles ante pugnam arma mihi parabo: omnia agam, ut DEum in morte propitium habeam: fugiam socios perversos, ut DEum in morte propitium habeam; fugiam illicitas recreationes, sermones inhonestos, mortificabo linguam meam, & membra alia; constans ero in pietate & studiis, ut DEum in terribili illo momento propitium habeam.

Petitio. Tu Domine Jesu Christe, qui dignus es, ut deus sit, da cordi meo inviolabilem tuæ charitatis affectum, ut deus deus

deria de tua miseratione concepta, nullâ possint tentatione turbari; da gratiam exequendi proposita ista, ut te in morte propitium habeam.

Pars II.

An, quando, ubi, quoties moriendum?

Doctrina. An moriendum sit, habes ex illo Pauli: *Statutum est hominibus semel mori*; quibus etiam verbis partes reliquæ continentur, quas jam proponam. Moriendum ergo est. Sic statuit DEUS lege immutabili. Moriendum est hominibus. Quisquis homo nascitur, ei moriendum est. Non excipiuntur lege hac reges & principes, non nobiles & divites, non fortes & strenui, non senes, non juvenes: excipitur nemo. Moriendum est. Ubi Salomon cum omni sapientia sua? ubi Samson & fortitudo ejus? ubi Absalon & pulchritudo ejus? ubi Assuerus & potentia ejus? ubi tot hominum millia? ubi tot Studiosi? mortui sunt. Vita tantum commodata est homini, non donata. Mors certa est. Nec species & decor, nec vires & robur, nec ætas, nec dotes ullæ aliæ te defendent. Moriendum est. Erit dies, ejus vespere non videbis. Erit nox, cujus finem non videbis. Erit actio aliqua ultima, v. g. Confessio ultima, Communio ultima, quam non sequetur alia. Moriendum est Tibi; quia homo es. Statutum est.

Sed quando? ubi? quomodo? Res incerta est. Incertum est 1. Quomodo moriturus sis;

an morte subitanâ , an tardâ & præcedente diurnâ corporis infirmitate. 2. An morte felici an infelici. Mors felix terminus laborum est, quietis & felicitatis initium. Talem habuit S. Aloysius, S. Casimirus & alii. Mors infelix initium dolorum est. Misella anima, quò ibis? suspirabat moriens quidam juvenis. Qualis te Mors expectat? morieris; an morte felici, an infelici? res incerta est, 3. Incertum est, quando moriturus sis. Aderit mors certa; sed an in ætate virili? an in juventute adhuc? an hoc, an sequente anno, aut mense? ignoramus ista. Illud scimus, dum minimè cogitatur de morte, hæc ipsa adest. *Quâ horâ non putatis, filius hominis veniet.* Hoc scimus, juvenum partem maximam mori, antequam ætatem virilem attingat. Hoc scimus, in pœnam scelerum à juvenibus admissorum sæpe vitam ipsam abbreviari. Anastasius Imperator has audiit in somno voces: ecce in scelerum tuorum pœnam quatuordecim vitæ annos deleo. Hoc certè & adolescentum plurimis evenire credam. Hoc pariter scimus, rapi plerosque improvise. P. Colnagus S. J. Studioso cuidam florido & alacri vaticinatus legitur in has voces: dum maximè felicem te credes, morieris. Contigit, ut pater Studiosus hujus admodum dives fatali morbo corripere tur, iamque jaceret depositus. Sarcophagum jam parabat filius, & hæreditatis amplæ adeunda spe exultabat. Cùm ecce convalescit Pater ægrotare incipit Studiosus noster, paulò post

& moritur. Ita fidem vaticinio fecit. Dum maximè felicem te credes; dum maximè securus, quos nescio annos, quantòsque honores polliceris tibi, morieris. An non vidisti ipse plures, qui in ætate prima à tuo fortassis etiam latere abrepti sunt, dum nil minùs ac mortem cogitabant? Moriendum est, horâ, quâ non putatur.

Moriendum est. Sed ubi? quo in loco? an in schola? an in templo? an in lecto? an in occasione illa? in caupona? in consortio illo? Novit hoc, qui novit omnia, DEUS solus. Hoc scimus, mortuos esse alios repente in schola, domi alios, alios in loco, in quo minimè vellent alios in loco, quem accedere sine scelere non poterant. Cogita Studiosum illum, qui modestiæ oblitus aquas intravit, se cum aliis proterve recreaturus balneando: jam submergendus B. Virginis opem inclamabat; sed ab hac rejectus, eò quòd contra modestiæ leges se denudasset, miserè periit. Cogita illum, qui conclave suum intravit, consueto impuritatis nefandæ scelere se delectaturus; sed dæmonem ibidem reperit, qui arreptum miserum, fasciâ è tibiis soluta, è trabe cubiculi suspendit, guttur infelici elisit. Cogita alium, cui ex caupona de nocte domum redeunti pariter stygius carnifex fauces elisit; animam morte miserrimâ rapuit. Cogita alium, qui primæ cogitationi impuræ cum delectatione in lecto habitæ immortuus, è quiete, quam in lecto quæsit, ad dolores raptus

N s

est

est sempiternos. Cogita illum, qui apparetur Socio suo hæc agebat: eadem horâ, quâ in caupona eramus, accusati coram DEO sumus, & ab hoc Inferis adjudicati. Cogita Studiosos illos tres, qui foliorum pictorum lusu diu se contra ac licuit, delectantes, domo ventorum exortorum furore eversâ, obruti miserè perierunt. Cogita plures alios, de quibus Annua nostræ memorant variis in locis mortuos, quæ, ut dixi, accedere sine scelere non poterant. Ubi tu, & quo in loco morieris?

Moriendum est: quæro rursus, quomodo, aut ubi? quo in statu? an in statu peccati, an in statu gratiæ? Hoc, hoc omnium maximè terrificum est: cætera enim parùm nocent, aut profunt; moriar quocunque loco, aut tempore, modò in gratia moriar, sat bene moriar. Nulum momentum temporis est, quo mori non possim; quo verò moriturus sim, ignoro. Potest fieri eo momento, quo peccare incipio, adeoque mori in peccato possim. Mori potest mi Studiose, in illa impuritate, in illo lusu nefando, in illa consuetudine: verbo, in peccato. Sic mortuos esse innumeros constat. Onan filius Judæ terribili DEI judicio, eo ipso momento obiit, quo rem detestabilem, puritati contrariam, facere cœperat. Balthasar Rex eadem nocte moritur, quam recreationi totam cum die dare impius cogitaverat; eadem nocte impœnitens in peccato obit. Socius Landelini, postea sancti, in ipso momento, quo fur-

turus

turus scalas conscenderat, exanimis corruit.
 Alius in amplexu puellæ, quam insano amore
 concupiverat; alius in ipso domûs nefandæ a-
 ditu; alius in osculo aut tactu impuro animam
 æternum infelicem emisit. Abundant historiæ
 omnes tragicis ejusmodi exemplis. Quo tu in
 statu morieris?

Restat, ut & quoties moriendum sit, videa-
 mus. *Statutum est semel mori.* Res certa est;
 semel tantum morimur. Atque hoc ipsum ter-
 rorem auget. Si mori contingeret sæpius, res
 adeò terribilis non esset mori; quia quod in
 morte prima erratum est, in secunda posset
 corrigi. Sed ubi una tantum Mors est, errori
 corrigendo locus non datur. Morimur semel
 tantum: hac vice si bene morimur, æternum
 bene est nobis; hac vice si malè morimur, æter-
 num malè est nobis. Errorem in Morte admis-
 sum tota æternitas corrigere non potest. Pictor
 quidam, aut artifex alius si in conficiendo o-
 pere suo erravit, corrigere errorem aut in illo
 ipso, aut novo postea opere potest; non ita in
 Morte. Lamachus Centurio militi cuidam e-
 mendationem pollicenti ajebat: in bello non li-
 cet bis errare. Dicam veriùs: in Morte non
 licet bis errare. Semel si malè morieris, perpetuò
 actum est. Nimirum unum momentum est, ex
 quo tota pendet æternitas. O terribilis Veritas!
 O momentum terribile!

Reflexiones. I. Si moriendum tibi certò est;
 ergo ut jam insinuavi, actio aliqua erit ultima.

Quid

Quid concludis? hoc, quod S. Aloysius. Vivite quotidie morituri: hoc est, vivendum est, quovis die, tanquam ille dies ultimus foret vitæ nostræ: quævis actio tam accuratè & piè obeunda est, ac si esset ultima. Hoc age. Confessionem quamlibet & S. Communionem præsertim eâ devotione perage, ac si esset ultima. Fatere, si scires hanc Confessionem, quam proximè perages, certò fore ultimam, an taceres peccatum illud? an tam levem diligentiam adhiberes in examinanda conscientia, aut dolore eliciendo? ergo nec jam hoc audeas. Religiosum illum imitare, qui monitus, ut accuratam Confessionem perageret, eò quòd ob morbi gravitatem videretur fore ultima, reposuit, se pluribus jam annis singulas Confessiones peregisse, ac si statim illis factis esset moriendum. O quo gaudio moritur, qui sic vixit!

2. Incertum est, an morte subitâ an taratâ moriturus sis; incertum pariter, quo tempore, an in ætate sera, an primâ adhuc. Quid concludis? ergo fieri potest, ut moriar subito, in ætate adhuc ista; antequam agam poenitentiam veram, & verè ad DEUM convertar; ergo nihil differendum est, quod pro felici morte mihi necessarium video; cum obrui improvise possim, ante tempus illud, quod mihi temerarius polliceor. Ergo omni tempore sic vivendum est, ac si mors esset in januis, ut loquitur S. Bern. Potes mori in juventute; ergo hanc DEO consecra. Si enim in hac mori contingeret

geret, quàm, quæso, misero loco fores! cum omnem pietatem, & seriam de salute cogitationem tantum in annos futuros differas. O quibus lacrymis tuam hanc pro morte felici incuriam defleres! De juvene quodam Cæsarius refert, qui contra ac sperabat, in ætatis flore abreptus, paulò ante mortem sic Condiscipulos suos alloquebatur: O me miserum! ah quid egi, quòd annos meos floridos vanitati totos & mundo consecraverim? Rapior jam ad æternitatem, dum nihil adhuc pro DEO & anima mea laboravi. Videte hoc, ô socii mei, & in meo periculo vestrum declinate. Pares erunt tui gemitus, credo, si in juventute adhuc mors adventura sit. Ergo jam Pietatem seriò sectare. Non pœnitebit, mihi crede, si in juventute terrore mortis impulsus Pietatem seriò secteris, nec tamen in juventute, sed ætate senili mori contingat. Neminem pœnituit in juventute DEO serviisse, neglexisse verò innumeros pœnituit. Cape ergo documentum hoc tantò majore curâ, quantò magis Dæmon spe vitæ longioris deceptos juvenes à virtutis studio avertere laborat. Ne imiteris eos, qui seriam vitæ emendationem in annos futuros differunt, sic semet consolantes: faciam hoc aliquando: ubi statum meum elegero &c. spes ista & repromissio pessima innumeros perdidit.

3. Morieris, sed nescis an morte felici, an infelici; optas mori felici; ergo vive vitam, quam sequitur mors felix. Res nimum certa est.

est. Mors vitæ respondet : qualis vita, finis
 ita. Ausus est S. Pater quidam dicere, vix
 de centum millibus, quorum mala semper fuit
 vita, moriturum vel unicum bene esse. Vi-
 vens plerumque in peccato, morietur in pec-
 cato. Quam tibi mortem ominaris? vide,
 qualis sit vita. Si pergis in illa consuetudine
 turpi, certò morieris in ea. Vis mori cum
 Aloysio morte felici? vive cum illo vitam
 piam. Extraordinaria & prodigiosa requiritur
 DEI gratia, ut ille moriatur bene, qui vixit male.
 Hanc si tibi polliceri possis, non est, quòd a
 peccato te absterream. Sed vide, quid agas.

4. Morieris, sed non constat, ubi & quo in
 loco? hoc certum est, mori in quovis loco
 potes. Quid inferis? S. Bernardus hoc intulit:
Quomodo ergo vivere audes, ubi mori non audes?
 qua ratione vivere audes in loco illo, in quo
 mori formidas? Cave, vivas ibi, ubi mori
 metuis. Times mori in caupona, in aqua, in
 consortio illo &c. ergo & ne accedas loca ista
 neque in istis morari in peccato audeas. Ade-
 lescens quidam prudenter ajebat: timeo mori
 in sæculo; hinc & vivere in illo deinceps nolo.
 Dixit, & deserto sæculo Religionem petiit.
 sanctiorem ibi vitam victurus. Tu vide, quid
 in hac re sentiendum tibi & concludendum sit.
 Fatere, an cum gaudio & solatio mori te posse
 credis in sæculo? quære conscientiam tuam.
 Si minùs credis, quomodo vivere cogitas in eo?
 cur mundanis vanitatibus inescatus Religionem
 quò

quò te non obscure vocari intellexisti, horres?
 Quomodo vivere audes, ubi mori non audes?

5. Nescis, quo in statu moriturus sis, an in peccato, an in gratia. Quid inferis? Christus ait: *Estote parati; quia quâ horâ non putatis, filius hominis veniet*: id est, quia nescis, an in peccato, an alio in statu moriturus sis, esto paratus. Dixi autè: vitæ mors respondet. In peccato si vivis, morieris in peccato. Accedat jam documentum Christi: *Estoparatus*. Paratio ad Mortem alia proxima, alia remota est. Remota in hoc consistit, nihil ut agas, quod malè tibi cedat, si in eo mori contingeret; ne pecces graviter, aut si per infirmitatem lapsus sis, ne in eo persistas, sed ocyus ad pœnitentiam festines. Proxima est, conscientia rationes ita disponere, ut quietem ei perfectam concilies; quod per generalem de tota vita Confessionem fieri facillimè potest; dein per particulares accuratè & solite factas. Utramque adhibe, ut DEum in morte propitium habeas.

6. Si semel morimur, & ex una hac morte salus æterna aut damnatio dependet, quid aliud denuo inferamus, ac: *Estote parati*? Sollicitudo pro momento mortis requiritur maxima. Miles iturus ad bellum, ante pugnam se parat; in tractandis armis se exercet. Idem tu age. Sit princeps captivus, cui ea ponatur conditio, ut si die statuto sagittam ad destinatum centrum feliciter emiseric, coronam recipiat & sceptrum; si minus feliciter, in vinculis permaneat, aut etiam

MOR-

mortem subeat probrosissimam. Te consolo, quid aget princeps ille, ut sagittam feliciter emit-
tat? an non omne temporis adhuc reliqui mo-
mentum impendet, ut artem addiscat bene &
feliciter sagittam emittendi? ita certe. Insanus
foret, si hoc ad diem ultimam differret, nec
tractare sagittas disceret. Tibi applica, & om-
ne totius vitæ tempus ita impende, ut feliciter
mori possis. Assuesce armis illis, quibus in mor-
te uti desideras. Arma illa Actus virtutum ear-
rum sunt, quas elicere tenetur moribundus,
nempe Fidei, Spei, Charitatis &c. Harum usum
tibi facilem & quotidianum habe: omnia age,
ut DEum in morte habeas propitium.

Affectus. O Juste & misericors DEus, ergo
moriendum est? ergo veniet dies & hora, qua
& ego ire cogar ad æternitatem? ô hora terribi-
lis! ô momentum terribile! Moriendum est. Ac-
cepto legem tuam, Domine: meritis sum; mori-
riar. Sed tempus nescio, locum & statum ne-
scio. O mi DEus, quando? ubi? quomodo
moriar? an in peccato illo, quod tamdiu in con-
fessione tacui, aut necdum emendare laboravi?
Prohibeat hoc à me infortunium Bonitas tua
quæ me servavit hætenus, ne perirem. Sed quæ
agam, ne posthac infeliciter moriar? dicis mihi
Estote parati. Domine, obsequar tibi. Hæte-
nus, fateor, nullam pro tanto negotio curam
adhibui: certò moriturus fuisset infelix, si non
me ad tempus hoc usque servasses. Posthac vero
majorem pro tanto negotio curam adhibebo
omnia agam, ut bene moriar.

Pro-

Proposita. Præcipuè observabo sequentia.

1. Quia omnis actio mea potest esse ultima, omnem agam velut ultimam; maximè S. Confessionem & Communionem tantâ reverentiâ & curâ suscipiam, quantâ susciperem, si certò mihi constaret, me statim ad æternitatem avocandum. Ita etiam, dum diem aut mensem inchoabo, hoc me modo ad fervorem excitabo: fortè hic dies aut mensis est ultimus vitæ meæ; ergo cum omni fervore & devotione exigam.

2. Ne spe vitæ longioris deceptus miserè moriar, hoc tempore DEO serviam, per fugam peccati, & exercitia Pietatis. 3. Quia morte repentinâ mori possum, adeoque in peccato, non peccabo graviter, aut si peccare continget, mox per contritionem vesperi, & dein per Confessionem expiabo conscientiam. 4. Non accedam locum, in quo mori timerem; hinc etiam sæculum libens deseram, si tu, mi DEUS, me evocare digneris; quia in eo mori formido.

5. Rationes conscientiæ per Confessionem generalem quietas faciam. 6. Curabo semper esse in gratia DEI, ut etiam in hac moriar; hinc & Confessionem diu non differam. 7. Assuescam indies actibus Fidei, Spei, Charitatis, ut in morte tantò faciliùs eos elicere valeam.

Petitio. Hæc sunt, ô Jesu, quæ cum gratia tua propono. Tu qui non vis mortem peccatoris, assiste mihi, sic ut vivam, ne infelix moriar. *Anima Christi sanctifica me &c.* Maximè repete illud: *In hora mortis mea voca me!*

○

Pars

Pars III.

Quæ sit Mors Piorum, quæ Impiorum?

Doctrina. Duplex mors est, uti duplex est vita; una Piorum, Impiorum altera. Utramque expendemus. De morte Impiorum Scriptura sic: *Mors peccatorum pessima*. Pessima dicitur tum ratione terroris, quo peccator moriens undique angitur; tum ratione æternæ damnationis, quæ mortem illam sequitur. Terrorem quod attinet, tria sunt, unde eum enasci certum est; præterita scilicet, præsentia & futura. Præterita si secum cogitat peccator moriens, obversatur menti ejus. 1. quidquid in mundo possedit. Ecce, sic secum moriens ille, ecce possedi opes, honores, voluptates; frui sum libertate meâ, adhæsi sociis pro libitu; in omnibus ea tantum quæsi, quæ arridebant genio; jam vale his omnibus dicendum est: vix primis labiis mundi voluptates degustare cœpi, & jam deserere cogor. *Siccine separas amara mors?* 2. Obversatur memoria neglecti temporis & occasionis multiplicis. Tot pretiosi dies & anni, quos pro salute mea mihi largitus est DEUS, ubi sunt? ubi dies vitæ meæ? quò abierunt tot occasiones bene vivendi? quam pauca bona opera feci! quam negligenter DEO servivi! quoties Pietatis exercitia neglexi! O divinæ inspirationes quoties me à vita impia avocâstis! quoties ad pœnitentiam incitâstis!

ô uti-

Ô utinam obtemperâssem vobis! utinam, Ô
 utinam obsecutus fuisssem! Ô utinam tot horas,
 dies & menses melius impendisssem! ast eheu!
 abiit tempus vitæ meæ, & jam *Tempus non erit
 amplius.* O dolor! Ô utinam ex tot annis vitæ
 meæ saltem unum DEO consecrâssem! 3. Ob-
 versantur peccata omnia & singula, quæ toto
 vitæ tempore admisi. O Studiosè mi! quantum
 hic te aspectus conturbabit! videbuntur à te
 omnes cogitationes pravæ, omnia opera im-
 pia & verba, omnia mendacia, omnes joci
 illiberales & impudici; tot omissiones piorum
 operum, tot irreverentiæ in templo, tot sub-
 oratione distractiones, lusus illiciti, Sacramenta
 neglecta aut sacrilegè suscepta, peccata in Con-
 fessione non manifestata; verbo, scelera om-
 nia & singula, quæ tibi dicent: tu fecisti nos:
 opera tua sumus: te comitabimur. Quò plu-
 ra sunt peccata, eò major erit & terror. Fuere,
 quos unum Veniale immuni terrore obruit; ah
 quid mortale, & non unum quidem, aget? quo
 terrore miserum percellet? peccatum enim in il-
 lo articulo temporis longè aliud apparet, ac mo-
 dò: jam rideretur sæpe, sed erit tempus, quo im-
 manitatem suam exeret. Trabs quamdiu in a-
 qua est, quàm gravis & ponderosa sit, non sci-
 tur; scitur, si ad littus educitur: ita peccati gra-
 vitas tum modò agnoscitur, quando ad littus
 æternitatis appellitur. Causa verò terroris hu-
 jus est; quia moriens certus quidem est de pec-
 catorum perpetracione, incertus verò de re-
 mis-

missione. Nescit enim, utrùm amore, an odio dignus sit. Hæc de præteritis.

Præsentia non minorem moribundo terrorem incutiunt. En jaceo hîc (sic secum cogitat) desertus ab omnibus : desertus à gaudiolis illis, quibus ut fruerer, DEum offendi, NB. Vocationem neglexi : desertus à sociis & amicis meis, in quorum gratiam DEI mandata violavi : jaceo inter gravissimos corporis animique dolores, nec hominem habeo, qui opem ferat. Circumdederunt me dolores mortis, qui orationem omnem impediunt, quin & ejus nauseam mihi creant : jaceo eheu ! circumdatus ab hostibus Tartareis, qui assiduè mea mihi peccata obiiciunt, spem veniæ minuunt, ad desperationem incitant. Hîc, mi Studiose, siste, & cogita, quàm terrificam tibi in morte futura sit hostis non unius stygii præsentia. *O anima mea, agebat S. Bern. quis erit ille pavor, cùm dimissis omnibus sola ingrediens regionem penitus incognitam occurrant tibi catervatim teterrima monstra videbis ?* quis erit pavor tuus, Studiose ? quando circumdabunt te inimici tui, & coangustabunt te undique ; quando tempus perditum, neglectas bene vivendi occasiones, peccata tua omnia tibi obiicient ? Studiosus fuit, cui dæmon obicit absentias è coetu Mariano & scholis, Sacramenta neglecta, preces omissas, cauponas frequentatas, pigritiam in studiis & similia, eumque ad desperationem fermè adduxit. Tibi an non eadem & plura poterit obiicere ? & quod terro-

terrore tuo? quo periculo? Sanctus erat Studio-
sus ille, qui mirum ob leves etiam noxas à dæ-
mone territus, deinde fassus est: salus mea fuit
in angusto. Magna, magna est dæmonum vis,
exclamabat S. Elzearius. Fuere profectò plu-
res, quos dæmon in momento illo terribili vicit,
ad desperationem inductos dejecit ad Tartara.
Tibi quid fiet? quid fieri potest?

Accedit terror novus, quem memoria futu-
rorum excitat. Atque hic omnium maximus
est. Migrandum est mihi, cogitat moriens,
in æternitatem; & nescio, quam? an felicem, an
infelicem? migrandum est sine duce, sine socio:
reddenda ratio de tota vita: accipienda est sen-
tentia pro tota æternitate: comparandum est
coram justissimo Judice, quem innumeris vici-
bus offendi. O quam acerba memoria! Misel-
la anima quò ibis? suspirabat ille: quò ibis? Stu-
diose, quò ibis? quæ tua erit æternitas? Mili-
tem cogita, qui sub patibulo ludere jubetur,
aut vitam aut mortem è lusu capturus. Quo
ille terrore, quâ palpitatione manum extendit,
licet cæteròquin audax & impudens? novit e-
nim ex jactu uno salutem suam pendere aut
mortem. Tibi applica. O quo terrore mo-
mentum illud ultimum expectabis, è quo æter-
nam aut miseriam aut felicitatem pendere nòsti?

Habes multiplicem terroris causam in morien-
te impio; hanc uti & alias è sequentibus brevif-
simis historiis colliges magis & perspicies. I.
Cæsarius de Juvene refert, qui moriens sic in-

gemuit: ô mi DEUS! quare neglexi? quare tot
 annos tepori & otio dedi? Ecce angit morien-
 tem memoria neglecti servitii divini in juven-
 tute. Ergo memento Creatoris tui in diebus
 juventutis tuæ. 2. Cornelius refert, Virum ali-
 quem morti proximum sic gemuisse: heu me
 cur tantum pro terrenis, pro uxore & liberis
 nihil pro me ipso laboravi? quid prodest labor
 ille? Ecce angit morientem omnis labor, qui
 Cœlum non spectavit. Ergo unum Cœlum
 unam salutem specta. 3. Juvenis miserè ad im-
 pura flagitia seductus, jamjam moriturus horren-
 dum clamabat: vœ illi, vœ illi, à quo seductus
 sum! Ecce angit morientem, si obsecutus fuerit
 sociis impiis. Ergo fuge consortia eorum, ne
 que te seduci patiaris. 4. Berengarius moriens
 Heu me, agebat, comparandum mihi hac hora
 coram iudice est! peccata mea quod attine-
 spero veniam, quia ex animo egi pœnitentiam
 at quod concernit peccata, quorum causa facta
 per doctrinam & vitam meam impiam, vehementer
 timeo. Ecce angit morientem memoriam
 seductionis factæ verbo aut exemplo; & hæc
 hæc est prorsus horrida, cogitare: seduxi
 nam hanc docendo illicita, impura &c. &c.
 fortè damnata est, aut damnabitur: mihi pro-
 pterea danda est ratio! ô mors quam amara
 talia cogitanti! Ergo cave à seductione in
 etiam levissima. 5. Caroli V. Secretarius de-
 bat, quòd multa chartæ volumina ad obsequium
 regis sui scribendo impleverit, ne vel foliolum
 vera

verò pro seria Confessione. Ecce angit negligentia in examinanda conscientia, in Confessione! hanc igitur emenda. 6. Religioso una hora somno otiose traducta mirum in morte horrorem incussit. Quid otium multorum mensium & annorum in animo Studiosi efficiet? fuge igitur otium, & studiis animum affige. 7. Juvenis jam agoni proximus linguam suam exrens, & digito demonstrans dicebat: ista lingua pessima me damnavit: occurrebant ei sermones, quos sæpe effutiit, liberi, & impuri. Terrebut & te, nisi frænum petulanti linguæ adhibeas. 8. Alius jam jam agonizans post horrendos ejulatus: actum, actum est de me, vociferabatur; Vocanti DEO obsecutus non sum! ah quid egi? jam obversatur mihi illud terribile: Vocavi & renuistis, in interitu vestro ridebo. Ecce angit, DEum vocantem contempsisse. Vocat jam DEus ad emendationem peccati hujus, vocat te e sæculo; tu verò vel dulcedine peccati, vel sæculi illecebris deceptus, frivolis nixus rationibus DEO vocanti non obsequeris. O quis terror, quis horror te morientem percellet? cave! cave! non irridetur DEus! Alia taceo; satis colliges ex his, quam verum sit illud: Mors peccatorum pessima. Veniamus ad mortem Piorum. *Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum ejus*, ait scriptura. Mori cum Sanctis ô res quam dulcis! quam jucunda! quam omni plena solatio! Lege vitas Sanctorum, & vide, quas inter delicias mortui sint. Cogita, quoties

aut Angelus Custos, aut B. Virgo, aut ipse Dominus morienti iusto apparere, eum consolari, ad fiduciam excitare dignatus fuerit. Adest DEus iustus suis, contra tentationes roborat, terrores abigit, spem beatæ æternitatis eorum animo ingerit; & quid mirum, si pleni solatio moriantur? Cogitant: en hoc momento omniber periculo ad DEum meum evolabo, perpetuò felix, perpetuò DEI mei visione fruitor.

Solatur morientem ejusmodi, idem, quod Impium turbat, nempe melior præteritorum, præsentium, & futurorum memoria; quæ tibi singula expendenda relinquo. Particularia quædam afferam, è quibus solatium hauserunt morientes.

1. Anonymus quidam Studiosus Matrem, quam sibi moribundo tristem astare vidit, his verbis consolatus legitur: DEum laudanda ô Mater, cujus beneficio innocentiam conservavi; & hinc lætus morior. Servata innocentia solatio est, uti peccatis inquinata terror est. Serva innocentiam, aut si amissa est, penitentiam age; & solatium tibi polliceor pro hora ultima.

2. Justus Lipsius quæsitus, quid futurum morituro crederet fore solatio, reposuit: hoc quòd Sodalis fuerim Magnæ Virginis, & omnes ejus partes implere laboraverim. Memoria cultûs Mariani non potest non esse solatio in hora ultima. Clientis Mariæ nullus æternus perit. Non deserit Maria clientem in vita, in morte non potest non ei succurrere. Mariam cole, sed cultu sincero & constanti.

3. Berchtoldmannus

offendit, castitatem orationis & mortificationis ope servavit illaenam. O Studiose, hoc demum est verum & genuinum solatium morientis. Haberesne hoc, si jam moriendum esset? an nunquam gravi peccato DEum offendisti? an peccata omnia rite expiasti? an illaesa est castitas tua? an susceptis sponte mortificationibus DEum placare quaeris? Felicem te, si ista agas. Sistamus hic, plura è vitis Sanctorum hauries.

Reflexiones. 1. Si pessima est Mors peccatorum, pretiosa verò & laeta justorum; ergo vivendum est cum justis, ut cum justis morte pretiosa moriamur. Fugienda universim illa, quæ terrent moribundum; eligenda illa, quæ consolantur.

2. Si moribundos adeò affligit triplex illa memoria præteritorum, præsentium & futurorum; ergo & te aliquando affliget, si jam non prævertas. Quid enim, si recordaberis tot horarum somno, lusu, otio perditarum; si inobedientiæ, libertatis, lasciviæ; si aliorum peccatorum, an solatium hauries? Miculæ panis non satis sollicitè collectæ immanem Religioso cuidam incussere terrorem; quantum tibi tot peccata incutient, tot peccata linguarum, oculorum, pedum, manuum, corporis & animæ? quò te tunc, quaeso, convertes? an etiam tum leve videbitur otium? an levis illa in studiis negligentia? an levis tot horarum jactura? an leve consortium illud pravum & c? Timeo ne aliud planè sit judicium tuum id temporis. In morte nimirum aperientur oculi mentis qua-

quando clauduntur oculi corporis. Aliter de peccato, aliter de rebus omnibus jubicabis moriens, ac jam. O quam parva, quam indigna prudentis hominis amore apparebit tibi voluptas illa, quam in peccato illo quæxivisti! quam miseræ apparebunt mundi illecebræ, quæ à Religioso statu te absterruerunt! quam grandis DEI offensa tibi videbitur, quam jam contemnis! rides jam aliquas consuetudines pravas, velut leve quid essent: erit, erit, cum aliud feres judicium; aliud de negligentia, aliud de inobedientia, aliud de irreverentiis in templo, aliud de quovis peccato! Hoc judicium jam sequere, teste enim scripturâ, mortis judicium bonum est: cogita sæpius: si jam moriendum mihi esset, quid me terreret maximè? quid maximè optarem omisisse? quid optarem fecisse? Hoc age, & morieris morte felici; si nimirum opere jam impleas, quod tum temporis optabis egisse; si fugias, quod optabis fugisse.

3. Dæmon in hora mortis erit, qui te maximè anget, & ad desperationem inducere laborabit; ergo imprudentissimè facis, si ei jam obedias; si relicto etiam DEO, ei servias. Agnosce præterea hostis vafritiem. Jam peccata velut levia tibi proponit; aliquando proponet ut gravissima: jam voluptatem propinat; aliquando terrore immani percellet; jam ad servitium suum te invitat; aliquando hoc ipsum tibi exprobrabit. O te insanum, si vel ad momentum ei servias! Exclama, quâ potes voce: abrenun-
cio

cio tibi, Sathana, & adhæreo tibi Christe.
 Cave etiam, admittas ea, quæ tibi moribundo
 nolles à dæmone obiici. Provide etiam tibi
 de sanctis Patronis, qui contra Dæmonis in-
 sidias te aliquando protegant. Tales sunt S.
 Angelus Custos, S. Ioseph, S. Michael, S.
 Barbara, Sancti Patroni menstrui; & ante
 omnes morientium Patrona B. Virgo Maria.
 Horum favorem constanti devotione concilia-
 hos pro momento supremo invoca. 4 Audi-
 sti supra, cavenda esse illa universim, quæ
 mortem reddunt terribilem, eligenda verò illa,
 quæ suavem reddunt. Relege singula superius
 notata, maximè in memoratis exemplis vide,
 quid alios terruerit, alios solatio affecerit; &
 statue tibi primorum fugam, secundorum imi-
 tationem. Fateor, ingrata jam accidunt aliqua,
 quæ morienti solatio sunt: sic v. g. mortifica-
 tione voluntariâ expiare peccata, horas om-
 nes bene impendere, fugere consortia impia,
 jam grave est, sed respiciendus est finis; respi-
 ciendum est solatium, quod in morte res ejus-
 modi nobis afferent. Mori bene qui cupit
 vincere in his rebus se omni momento de-
 bet. Sine quotidiana sui victoria non habe-
 tur mors beata.

Ex omnibus de Morte dictis clarè agnoscitur
 quàm grande negotium, quàmque periculosum
 sit Mori. Igitur cura habenda est maxima, ut
 bene moriamur. Habe hoc documentorum
 omnium compendium. Fac ea, quæ moriens factus
 fuisse

fuisse voles : fuge ea, quæ moriens fugisse voles.
 Tu jam vide, quid fecisse, quid fugisse optares,
 hoc si momento moriendum esset.

Affectus. O Domine vitæ & mortis ! in manu
 tua vita mea & mors est. O quantum expavescō,
 si recorder horæ meæ ultimæ ! Moriendum est !
 deserar ab omnibus : desertus ibo in domum æ-
 ternitatis : impugnabor moriens ab hostibus &
 coangustabor undique. O DEUS meus ! quid
 me miserrimo fiet, si me deseras ? Quâ morte mo-
 riar ? fateor, si vitam meam attendo, aliam mihi
 mortem polliceri non possum, nisi infelicem ;
 vixi enim cum impiis, quid mirum, si & more-
 rer cum illis ? Sed tua Bonitas, ô DEUS, me con-
 solatur, & erigit ; tu spes mea & refugium meum
 in die tribulationis meæ ; in te confido, non ti-
 mebo, quid faciat mihi dæmon. Protestor con-
 tra omnes tentationes in morte occursuras ; jam
 pro momento illo elicio actus virtutum neces-
 sarios : credo in te, ô æterna veritas ! Spero in
 te, ô infinita clementia ! Amo te, ô immensa
 bonitas ! Malo mori, quàm te offendere ! De-
 testor, & abominor omnem offensam Divinæ
 Majestatis tuæ à me admissam ; paratus etiam
 cruore meo redimere tempus, quo tibi DEO
 meo non servivi. In manus tuas, Domine, com-
 mendo Spiritum meum !

Proposita. Vitam meam sic instituem, uti mo-
 riens instituisse optabo ; fugiam ea, quæ terrori
 mihi esse possunt, amplectar verò illa, quæ con-
 solari valent. 1. Tempus, cujus neglecti me-
 mori-

moriam adeò acerbam esse audivi morientibus, bene impendam, vacando aut studiis aut pietati.

2. Occasiones bene vivendi, orandi, studendi, me mortificandi non negligam. 3. Peccatum, quod me unum angere poterit, omni studio declinabo, præcipuè hoc, in quod frequentius labi soleo. 4. Admissa à me peccata sollicitè & rite paratus confitebor omnia; & ad ea expianda singulari studio incumbam in quotidianas mei victorias; licet hæ mihi acerbæ sint futuræ ab initio. 5. Nullum verbo, factove scandalizabo, ne aliena peccata me morientem conturbent. 6. Dæmoni ne in minimo quidem deinceps obediam, sed DEO, qui unus mihi succurrere in hora suprema potest. 7. B. Virginem morientium Patronam, nec non Sanctos alios sæpe invocabo pro felici morte. 8. Sæpe cogitabo: quid optarem egisse, si jam moriendum esset, aut quid fugisse? & illud agam vel fugiam.

Petitio. Tu, Domine Jesu, pro salute meæ mortue, da efficacem gratiam ea, quæ te adjuvante jam feci, proposita implendi; ne hoc ipsum aliquando me terreat, quòd agnoverim viam veritatis, nec tamen secutus fuerim.

Ad SS. Trinitatem. Pater de Cœlis DEUS, miserere mei, & à mala morte libera me! Filius Redemptor mundi DEUS, miserere mei, & à mala morte libera me! A subitanea & improvisa morte, Libera me Domine! A morte infelici in statu peccati, Libera me Domine! Per Passionem & Mortem Jesu Christi Salvatoris mei.

Libera me Domine! Ut me in hora mortis confortes; ut contra insidias dæmonis defendas; ut in manus tuas animam meam suscipias, Te rogo, exaudi me! Miserere mei!

Ad B. Virginem. Sancta Maria Mater DEI ora pro me nunc & in hora mortis meæ! O potentissima morientium Patrona, sub tuum præsidium confugio! Non est auditum, quemquam à te derelictum. Ne deferas, ne derelinquas me in hora illa, è qua pendet æternitas mea! *Ave Maria &c.*

Ad Sanctos. Omnes Sancti, vos præcipuè, quibus sacra est dies illa, quæ mihi viventi ultima erit, assistite mihi in hora mortis meæ! Tu Angele DEI, qui Custos es mei, me tibi commissum pietate superna, in illa hora custodi, rege & governa! S. Archangele Michaël defende me in prælio, ut non peream in tremendo iudicio! *Recita Litanias de omnibus Sanctis.*

Consideratio VII.

De Consequentibus Mortem Hominis.

Recitatâ oratione consuetâ, imaginare tibi hîc quidem Corpus mortui exanime, debile, deforme, ad sepulchrum delatum, humi defossam: ibi verò Animam coram tribunali divino comparentem. Roga gratiam agnoscendi ea, quæ circa Corpus & Animam mortui eveniunt, ut exinde ad majorem Animæ curam movearis.

Pars

Pars I.

Quid circa Corpus mortui agatur.

Doctrina. Mori hominem, est Animam à Corpore separari. Abeunte Animâ homo mori dicitur. Abit ergo Anima; remanet corpus sine motu, sine sensu, sine auditu, visu, gustu, tactu, odoratu; nihil petit, nihil renuit; ut cunque cum eo agas, tacet. Elapsis horis aliquot, jam incipit tabescere; foetore suo fugat homines; ergo loculo includitur, effertur domo, humi defoditur, ne auras inficiat. Ibi obferatum, desertum ab omnibus, ô quàm visu horridam speciem induit! Tetram in saniem diffluit; vermibus hinc inde prorepentibus cedit in pabulum; paulò post præter ossa & pugillum pulveris nihil superest. O vidisses semel corpus tale putrescens! vidisses, quomodo delicatulae illae manus, illi oculi, illa labia, illa genæ a turpissimis vermibus undique deformatae & arrosae fuerint; vidisses prorsus diversam à priore speciem. Vidit S. Borgias Isabellæ defunctæ corpus, quæ antea pulchritudinis prodigium habebatur; vidit & exhorruit, mundique vanitatem exinde agnoscens, exclamabat: Statuo, posthac mortali Domino non servire. Vidit juvenis alius defuncti Patris sui nobilissimi corpus vermibus exesum, & eheu! inquit, bat, his ergo laboramus? his corpus nostrum nutrimus? huc forma corporis recidit? huc pulchri-

pulchritudo delabitur, quæ miseros adeò fascinat? An ullus hominis decor, ulla species digna est amore hominis? nequaquam sanè. Corpus consideravimus; sed ubi amici hominis hujus defuncti, qui latus antea stipabant assidue? quò avolârunt consanguinei? quò famuli? quò sodales? quò condiscipuli? O Studiose! quis mortuum comitatur? nemo. An nec illi, qui individuos se fore socios professi sunt? nec isti. At illi saltem, qui fidem jurârunt, quibus defunctus sæpe etiam relicto DEO adhæsit? nec isti. Fugiunt omnes, omnes avolant, omnes defuncti etiam memoriam deponunt. Nemo mortui corpus, nemo animam comitatur. Vix claudit miser oculos, clausa est & finita omnis humana amicitia, etiam eorum, quorum causâ defunctus fortassis æternùm inter inferos patitur. Mortui aspectum etiam ferre nequeunt, nares obturant, domo abeunt, cadaver auferri curant. An nec amici recordantur defuncti hujus? quamdiu campana lugubrè insonat, recordantur, & amissi desiderium mœstis vocibus, profusis etiam lacrymis testantur: cadavere autem humi clauso, suam quisque domum repetit, ad delicias priores & negotia revertitur, memoriam defuncti omnem deponit, ac si nunquam ante extitisset. Nunquid ita fieri solet? quære ex te ipso, an ita affectus sis erga eos, quos vel ex amicis, vel sodalibus, vel condiscipulis tuis mortuos vidisti? an propterea multùm affligeris? an à lusibus, aut recreatione ideo cessas?

P

mini-

minimè. Sic tu cum aliis agere soles; sic alii agent tecum.

Reflexiones. I. Ergo huc recidit omnis humana gloria? huc pulchritudo humana? huc corporis tantopere dilecti decor? ita est, huc recidit; huc recidet & corpus tuum. Serio expende hoc: aspice manus has tuas, hos crines tantâ vanitate comptos, hos pedes, hos oculos, hanc faciem tuam; aspice corpus tuum, & dic: hoc corpus, hæc facies, hi oculos, hi pedes, hi crines, hæc manus putrescent breviter vermibus cedent in pabulum, nil nisi pulvis erunt. Res certa est. Corpus tuum, quod iam vestitum splendide per compita insigne ad præbet spectaculum; quod adeò sibi de forma sua, de valetudine, de robore gratulatur; quod per dapes exquisitas, per excessum in cibo & potu faginando, omnique gaudierum genere recreando tam sollicitè studes, tuum hoc corpus putrescet, in vermes, in foetorem abibit. Sic factum est Regibus, sic Studiosis, sic summis, sic infimis; nec est inter cineres istorum distinctio, aiebat Aloysius, nisi quòd cineres Magnatum gravius foeteant. Quid concluditur hoc certè; ergo decor omnis in corpore, omnis pulchritudo & potentia vanitas est. Vanitas vanitatum, & omnia vanitas. In idem oculi clauduntur omnia. Quàm breve festum est hæc mundi gloria! ut umbra hominis ejus gaudia! cur ergo vanitati huic tam sollicitè servimus? An non inexculabilis est, & amo-

amore pulchritudinis humanæ peccare audet cogitatione aut opere? quomodo amare potest homo prudens speciem illam, quæ paulò post esca vermium, putredo & abominatio erit, amare, inquam, cum offensa DEI? Tu averte oculos tuos, ne videant vanitatem; aut si forma humana oculos tuos mentemque fascinare quærit, finem respice, temetipsum alloquere: & quæ ista tandem pulchritudo est, quam vermes & bufones arrodent? hujusne ego amore me æternum perdam?

2. Putrescet corpus; ergo insanus est, qui illud adeò delicatè habet; ejus amore declinat, quidquid asperum aut molestum in DEI servitio potest occurrere, nolendo v. g. ferre calorem, frigus & c. dum DEI causa vel obedientia exigit; abominando omne mortificationum genus, ut sunt jejunia, cilicia, flagellationes & c. Insanus est, qui tanto studio curat corpus certò abiturum in cineres; qui nullum ei gaudium etiam illicitum denegat; qui omnia agit, ut corpori bene sit. Insanus est, qui corpus, putridum hunc truncum relicta etiam animâ curat, imò animæ præponit, animam æternæ damnationis periculo exponit, ut corpori voluptatem procuret, ut corpori bene sit, ne corpus mortificetur. Insanus est, qui, ut corpori voluptatem sæpe tantum momentaneam procuret, DEum deserit, animam Diabolo vendit, se inferorum pœnis adjudicat. O amentia! ô vesania! & quàm communis est!

P 2

quid,

quid, quæso, spectant labores humani omnes? quid studia? quid vigiliæ? quid negotia? Ut corpori bene sit, ut habeat vestes, quibus ornentur, ut habeat cibos, quibus recreetur, voluptates, quibus oblectetur. Sed quid Anima? quid pro hac agitur? quâ curâ ei cibos, vestes, aliâque necessaria procuramus? Ah pudet dicere! scilicet truncus ille putridus, illa vermium esca, illa bufonum habitatio, corpus certò in cineres, faniem & fœtorem abiturum, res digna est, quæ majore colatur studio, ac Anima immortalis, pulcherrima, una. Quid tu egisti hactenus? an pari laborasti insaniâ? an non sapere, ut corpori bene esset, ut ei voluptatem aliquam procurares, per illicita consortia, per otia, per gulam, per somnum otiosum, per inertiam, animam neglexisti? DEum offendisti? Aut edisserere, quid egisti pro anima tua? quid pro corpore? Ornabas corpus, lavabas, sanabas, recreabas, lædebas in nullo. Anima quid? an lavabas per pœnitentiam à peccatis? an ornabas per actus virtutum? an pascebas esurientem panem Angelico? an æquè ut corpus curasti? an excusabilem te coram DEO fore credis, si tantum labores pro corpore, cujus putrefactionem impedire non potes; si nihil agas pro anima, quæ æternum victura est?

3. Fugiunt amici omnes, socii, noti & consanguinei; deserunt mortuum, omnem ejus curam deponunt & memoriam; aiunt quasi, quod Pharisei Judæ: tu videris. Tu videris, quod DEO

DEO respondeas, quid agas. Quid ad nos? & præclarum veræ amicitia specimen! ô fidelitatem dignam, quam tanto labore emas & sumptu. An non insanissimus est, Studiosè, qui amicitiam humanam & benevolentiam tanti æstimat, ut ejus conservandæ aut obtinendæ gratiâ DEum offendat? DEI gratiam & amicitiam negligat? Et hoc quoties, quæso, ab insanissimis fieri videmus? quoties à te factum esse recordaris? An nunquam, ne displiceres socio, DEum offendisti otiano, superfugiendo è templis, accedendo loca illicita &c. an nunquam ex respectu vano bonum aliquod omisisti, ne ridereris fortè à sociis tuis? quid hoc aliud erat, nisi negligere amicitiam DEI, ut humanam obtineres? quid erat, nisi quasi dicere: offendatur DEus; perdatur amicitia DEI; amittatur gratia DEI; fiam inimicus DEI; displiceam DEO; modò non displiceam homini; modò non sim inimicus hominis; modò huius gratiam non perdam; majore apud me loco est gratia hominis, quàm DEI: hominem servabo, perdatur DEus. Non exhorrescis ad voces has? Tuæ erant, quoties in hominum gratiam offendere ausus es DEum.

Affectus. Domine DEus, confusio cooperuit faciem meam, dum meam mecum cogito insipientiam. An major à me insania excogitari potuit, quàm ut tantopere de humana amicitia sollicitus, tuam, quæ sola & vera amicitia est, negligerem? ah quid proderunt mihi socii illi

mei, quid proderunt! quid prodesse, si etiam
 vellent, possent? deserent illi me, me relicto
 vivent. Ego desertus & solus quid agam? O
 insania mea! Tu, tu Domine solus, & verus
 amicus es; tu in necessitate non deseris. O
 utinam tuam amicitiam majore studio quæsi-
 sem! pœnitet, ô Jesu, ex corde meæ me insaniam
 detestor stultum meum de tua & humana ami-
 citia iudicium. Detestor item alteram meam
 insaniam, quâ plus pro perituro corpore, quam
 pro immortalis animæ sollicitus fui. Tu, domine,
 qui fecisti mecum secundum magnam mi-
 sericordiam tuam, illustrando, ut veritates ma-
 ximas hodie cognoscerem, hanc adde gratiam
 ut ignoscas culpam suam deprecanti, confite-
 tesque meliora proponentem. Serva, ô DEUS,
 animam meam, ne pereat, corpus quod attingere
 non curo. Posuisti tu legem, Domine, ne
 putrefiat corpus hoc; accepto hanc legem, ma-
 jora meritis supplicia: accepto privatione
 sensuum meorum; quia januæ fuerunt, per
 quas peccata intraverunt in animam meam. Ac-
 cepto putrefactionem in pœnam illecebrarum
 quas prætulisti amanti tuo: accepto solitudine
 corporis in sepulchro ad reparandam injuriam
 quâ te affeci sectando societates & amicitias
 veras. Puni, Domine, corpus hoc; digna fac
 tibus recipiat; servire etenim tibi debebat
 illius; animam solummodo meam, animam
 eam, animam immortalem serva.

Proposita. Huius ego deinceps majori
 quam

quàm corporis curam geram. Volo salvare animam meam; corpus enim à putrefactione servare non possum; cur ergo tantopere ei laboro? volo salvare animam meam. Hinc 1. Nunquam Animæ salutem periculo exponam, ut corpori bene sit, per illicitam voluptatem in potationibus, consortiis turpibus & c. in ullo peccato. 2. Corpus meum sæpe affligere in rebus saltem levibus conabor, voluptates etiam licitas ei subtrahendo, ut animæ bene sit: patiat corpus calorem v. g. & frigus, dum versandum est in schola, in templo; patiat laborem in studiis, licet ei non sapiat; patiat subinde abstinentiam ab aliquo cibo, aut gratiore ejus parte; patiat cilicium & c. ut animæ bene sit. Volet corpus meum ambulare, dum studendum est; negabo ei voluptatem hanc. Volet confabulari, dum orandum est; non permittam. Volet templo se subducere ex tædio vel incommoditatis metu; non fiet. Volet somno indulgere, potui, gulæ; non patiar. Pro Anima laborabo melius; & si corpori hactenus dedi tot annos, par est, ut animæ dem dies paucos fortasse reliquos; si corpori de horas pro somno, par est, ut & Animæ dem horam pro Sacro, pro Examine, pro Confessione & c. 3. In hoc etiam curabo animam; si sordida est per peccatum, lavabo per Confessionem seriam, & quotidianum vesperi examen: cibabo sæpius esurientem Animam pane Eucharistico devotè suscepto, auditione concio-

num,

num, lectione spirituali & c. salvabo Animam.

4. Omnis corporis species in foetorem definet; hinc cavebo, ne aliena pulchritudo mihitentationes excitet; avertam oculos meos, aut cogitabo, quam deformis paulò post futura sit hæc ipsa pulchritudo, adeoque amore indigna. 5. Quia socius me nullus, nullus amicus comitari volet, aut poterit, DEI uniusquam gratiam, qui comitari & juvare me potest. Nunquam ergo ex respectu vano bonum aliquod omittam, multò minùs peccatum aliquod faciam, ad quod me Socius invitat, vel ne irridear ut scrupulosus: non obsequar homini, qui me à studiis aut pietate avocet. Rideant me, & illudant alii, non curo; nocere non poterunt, si tu, ô DEus, me non deseras.

Petitio. Te ergo, quæsumus, Domine, tuis famulis subveni, quos pretioso sanguine redemisti! dedisti gratiam, ut post agnitam cæcitateam meam hæc proposita facerem, da jam gratiam, ut facta impleam, tibi que uni adhaeream in tempore & in æternitate. *Pater Ave.*

Pars II.

Quid circa Animam mortui agatur?

D*octrina.* Rem terribilem aggredimur. Eo momento, quo Anima separatur à corpore Anima sistitur tribunali Divino, ad dandam de tota vita rationem, accipiendamque pro tota æter-

æternitate sententiam. O quàm terribilia paucis vocibus audivisti ! pauca ordine expendamus. 1. In ipso loco, quo homo moritur, in ipso momento, Anima sola, deserta ab omnibus, sistitur tribunali Divino. Angelus Custos exhibens, velut in libro, opera bona omnia ab homine illo, dum viveret, facta: adest dæmon exhibens pariter opera mala omnia, omnes cogitationes & verba contra Dei legem prolata aut habita. O quis terror Animæ solius, desertæ, videntis opera sua, & coram iudice consistentis! 2. Quis ille Judex? an talis, quem vel corrumpere possit Anima, vel flectere precibus, aut decipere? procul ista. Judex est infinite sapiens, cui nihil potest occultari: inflexibilis, quem nihil possit mitigare: omnipotens, cui nihil valeat resistere: Judex multis de causis timendus: Judex ille ipse, quem vivens homo contempsit, offendit, conculcavit; Judex qui sola reorum merita attendit, non potentiam, non opes, non lacrymas: Judex, qui Assueros, Alexandros, aliósque innumeros, licet coram orbe maximos, quia tamen peccatorum reos, velut infimæ fortis quisquilias ad orcum dejecit. Scilicet non hæc apud illum valent decora, quæ nos homines solent excæcare; sola valet virtus, sola pietas. Judex, qui jam Salvator noster est, & Advocatus, paratus ad dandam petentibus veniam; tum temporis verò implacabilis, inexorabilis Judex. Ah quis non timeat eum habere Judicem, cujus jam le-

P 5

ges,

ges, monita & minas contemnit? incidere in manus DEI viventis & Judicis horrendum est!

3. Quid aget Anima coram Judice hoc? rationem de vita tota reddere cogetur. O tonitru! rationem de tota vita, de cogitationibus, de verbis, de operibus, de omissionibus, de beneficiis, de peccatis: rationem tantò gravio- rem, quantò plura à DEO Judice accepit beneficia. O Anima! quot verba uno die loqueris? illa verba, illæ cogitationes non evanescunt: omnia licet tuo judicio parva, annotantur, omnia in hora illa ponuntur ob oculos. *Arguam te, & statuam te contra faciem tuam, dicit DEUS. Amen dico vobis, de omni verbo otioso, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii, dicit Christus. Ergo post exhibita tibi beneficia & recensita quasi singula, dicit DEUS. Redde rationem villicationis tuae. Redde rationem. Ah quid hoc? Nemo credit! nemo credit. exclamabat damnatus, apparens amico suo, nemo credit, quàm rigidam DEUS rationem exigat! Redde rationem, Studiose; Rationem de tot beneficiis creationis, redemptionis, vocationis ad veram fidem. Quid mihi rependisti? an vixisti vitam Christiano dignam? Redde rationem de membris tuis: dedi linguam; quomodo usus es eâ ad laudandum me? cur ad detrahendum, mentiendum, blasphemandum, effutienda turpia eam adhibuisti? & quidem eam linguam, quâ toties sanctissimum Corpus & Sanguinem*

guinem meum suscepisti? dedi oculos, ut aspiceres cœlum, promissam tibi mercedem, ut adhiberes ad gloriam meam: quomodo illis usus es? quid illa curiositas? quid jactus in formam illicitam? quid aspectus inhonestorum & turpium? dedi manus, ut lebares ad me in precibus, ut operareris salutem tuam: quid egisti? cur ad illicita extendisti? dedi pedes, ut illis uteris eundo ad templum, ad scholas, ad loca honesta & licita: cur illis usus es ad cauponas, ad loca illicita, ad consortia suspecta? dedi animam, ut ejus curam haberes summam: cur velut brutum despexisti? cur salutem neglexisti? Redde rationem de tot occasionibus bene vivendi: ecce per anni unius spatium viginti & amplius vicibus debebas accedere Sanctissima Mysteria; poteras sapius. Una susceptio sanctum facere hominem potest; quid iteratæ susceptiones in te effecerunt? quam præparationem, quam gratiarum actionem adhibuisti? quantum temporis impendisti? ecce per anni unius spatium audiisti catecheses quadraginta & plures; colloquia spiritualia ultra quinquaginta; exhortationes in scholis, in cœtibus Marianis multò plures; Sacra audire debebas ultra trecenta. Quomodo his omnibus interfuisti? quo fructu? quâ intentione? Alii, si occasiones istas habuissent, quàm fideliter mihi serviissent! Redde rationem de tempore. *Vocabit tempus adversum me*, ait Scriptura. Ecce dedi annos decem, viginti, aut plures, ut
 mihi

mihî servires, ut pœnitentiam ageres, ut pro cœlo laborares. Quòd necdum damnatus sis ante 6. aut 8. annos, mea in te clementia est: potuisssem te, sicut multos alios in primo mortali peccato permittere mori; & hæreres jam annis 6. aut 8. inter inferos sine ulla redemptionis spe. Quas mihi egisti gratias? quomodo impendisti tempus hoc? an ad agendam pœnitentiam; an ad continuandam audaciam? an studiis & pietati illud dedisti; an verò otio, lufibus, somno, peccatis? Redde rationem de præceptis decalogi, de præceptis Ecclesiæ, quomodo singula observaveris. Redde rationem de operibus etiam piis, quâ intentione, quo fructu persolveris. Redde rationem de omissionibus rerum, ad quas tenebaris.

Quid dices ad hæc, & innumera alia, mi Studiose? hæc tibi, quæ audisti, dicet justus Judex. Quid tu respondebis? quid Anima tua? obmutesces certè, nec habebis, quod proferas. Stabunt autem accusatores tui, & perorabunt contra te. Stabit dæmon, his propemodum verbis, teste S. August. usus: justissime Judex, hîc est Anima, quæ contra vocationem suam tam impiè egit, te contempsit, mihi obedivit; noluit esse tua per gratiam; ergo mea sit per pœnam. Ego pro ea, pro homine hoc, nec alapas accepi, nec flagella sustinui, nec cruorem profudi; mihi tamen servivit, te relicto; ergo mihi eam adjudica. Vide tot peccata, quæ admisit. Damnasti me ob peccatum unum; ergo,

si iustus es, ob plura & graviora peccata damnanda est hæc Anima. Ita Dæmon. Stabit & Angelus, jam Custos, postea accusator tuus: dedisti me, Domine, homini huic, ut ei adesset, eum custodirem: custodivi à tot periculis; monui, terrui, rogavi; nihil profeci: noluit morem gerere monitis meis; me contempsit; minantem risit; rogantem explosit. Stabit & Conscientia tua scelerum tuorum testis rigidissima. Teste S. Chryl. ipsa Christi Passio, ipsa Vulnera, Crux ipsa Christi contra te perorabit. Quid ergo ages miser? quò te convertes?

Locum te excusandi & defendendi Christus non negabit, imò teste Scripturâ dicet: *Narra, si quid habes, ut justificeris.* Hoc est: affer, si habes excusationem aliquam. An occasiones defuerunt? an nescivisti ista? an non sæpe tibi inculcata sunt? an non monita data sunt? quoties te vocavi, monui, invitavi per inspirationes? quoties per exhortationes in scholis? an non subinde compunctus es in exhortatione, in colloquio spirituali, & tecum cogitasti: hæc via bona non est: sic ad Cælum non pertingam? An non, dum audivisti aliquem e discipulis tuis mortuum, territus es, cogitans: ego si morerer, quomodo mecum ageretur? Dum audisti exemplum de damnato, an non occurrebat hæc cogitatio: Nunquid & ego possum damnari? Affer, si quid habes, quò te excuses. Nunquid sciebas rationem dandam esse severissimam? nunquid audiisti, quâ ratione le-

gis

gis meæ prævaricatores puniverim? Narra, si quid habes. Quid habebis, mi Studiose? Magistro aut Professore facile te excusas; quia fallere hunc potes; mendacio hunc circumvenis, & ceu re bene gestâ gloriaris. An & apud DEum sic fore credis? Cave, somnies. DEus non irridetur. Scrutator renum est. Quid ergo ages? S. Bern. verè asserit: *Negare non poteris, non excusare, non appellare, non fugere, non impetrare veniam, non habere refugium.* Observa singula, ultimum præsertim. Non habebis refugium. Ubi enim? an apud Christum? Judex est, non ultra Salvator: clausa est misericordiae janua. An apud B. Virginem? desinit & illa esse Mater clementiæ. An apud Sanctos? non agnoscent te; quia nec eorum monita curasti, nec exempla. *Jerusalem, quis miserebitur tui?* quærit Scriptura. An fortè locii tui? veniant & opitulentur; ita DEus dicet: cur me invocasti? invoca illos, quorum amicitiam quærebas, mea contemptâ, illi ferant opem. Ah quid sum miser tunc dicturus?

Quò usque tandem ista? finiam, sed ut spero non absque horrore tuo. Ubi ista, quæ dixi præcesserint omnia, feretur in te, in animam tuam Sententia pro tota æternitate: si in peccato gravi decedas è mundo, sententia damnationis perpetuæ eo momento in te feretur. recede à me, maledicte, in ignem æternum. Ah Cœlites! ô terror, quò me rapis? ô quo pavore hanc Judicis vocem exciperes, si eam audire con-

contingeret, quod DEus avertat! quid diceres? quò te converteres? tu idipsum considera. Hoc certum est, ubi primùm lata fuerit hæc sententia, arreptus à dæmone, frustra DEum Superòs-que inclamans, deturbaberis ad Tartara sine termino cruciandus. Si verò absque peccato decedas, suavissimam Christi vocem percipies, quâ aut illo adhuc momento, aut post toleratas purgatorii pœnas ad æternam requiem invitaberis. Hic finis, hic terminus est eorum, quæ circa te secundùm Animam tuam agentur post mortem tuam.

Reflexiones. Quales cogitationes ascendunt in animo tuo, mi Studiosè? an non salutari horrore concuteris? Reus capitalis cujusdam supplicii humanam formidat justitiam; & tamen non nisi de brevi supplicio agitur: quantò magis justitiam illius DEI formidandam esse fatebimur, qui ad æterna nos potest deturbare tormenta? Job vir Sanctus absque horrore cogitare non poterat terribile hoc judicium; hinc in omnibus actionibus suis timuit; quia de his reddendam esse rationem agnovit coram Judice severissimo: *Verebar omnia opera mea, sciens, quòd non parceres delinquenti.* Quomodo ergo tu securus & quietus vivere potes? nullum momentum est, quo non comparere possis coram Judice isto, & necdum times? Timor salutaris primum esto documentum. Jam ad reflexiones particulares.

I. Si

1. Si in ipso loco, ubi moreris, locus est iudicii hujus terribilis, ergo si in hoc cubiculo, in quo jam peccas, moriaris, ex hoc rectè descendes ad inferos; quia in hoc iudicatus, sententiam feres exitii sempiterni. Ita est. An non hæc una cogitatio potens abundè sit, ut te à peccato abstrahat? noli peccare in ullo loco graviter: cogita: quis scit, si hoc in loco pecco, moriar, & ex hoc descendam ad inferos.

2. Tu reus stabis coram Iudice tuo, solus, desertus ab omnibus, frustra ab ullo expectans opem. Quid igitur tantopere hominum gratiam quæris, relictâ etiam divinâ? Videte, quod ego sim solus & non alius, ait DEus Deut 32. qui scilicet juvare vos possit. O nunquam satis deplorandam hominum insaniam, qui placere illis quærunt, à quibus se difficillimo tempore defendendos sciunt; non verò illi, à quo solo se juvari posse credunt; qui pluris æstimant, quid dicturi sint homines, quorum iudicium & verbum ludibrium ventorum sunt, quàm quid Iudex, cujus sententia est ponderis infiniti, qui & salvare nos potest & damnare; qui magis metuumus offensam & irrisionem hominis, quàm offensam illius, qui potest & corpus & animam perdere in gehennam! An tu quoque ex horum numero es? an posthac eris? ah sape, & nunquam ita metue hominum dieteria, ut ideò induci te patiaris ad offendendum Iudicem quocunque deo in peccato; non ita quære favorem hominis, ut divinum posthabeas. Amico ad peccatum

te invitanti dic : Magni quidem facio gratiam tuam, sed majoris divinam; si tibi obediam, & agam, quod contra DEum est, in judicio aliquando mihi soli reddenda est ratio, tu me juvare non poteris; ergo non succenseas mihi, si te non audiam: plus debeo DEO, quàm tibi; plus à DEO boni aut mali accidere potest, quàm à te. Sic locutus est Paulus Actorum 4. quærens: *Si justum est in conspectu DEI vos potius audire, quàm DEum, judicate.*

3. Exhibebit post mortem tibi Angelus Custos opera tua bona, dæmon mala. Nunquid optas videre multa bona, ingentem eorum numerum? optas videre peccata omnia per pœnitentiam deleta? ergo jam incumbe in bona opera quotidiana: dele per pœnitentiam peccata: cave, admittas nova, ne dæmon ingentium eorum numero te terreat.

4. Judex erit idem, qui jam Salvator est; idem quem jam offendis; quem irreverenter suscipis, Judex potentissimus & inexorabilis; ergo nihil à te stultius fieri potest, quàm si eum jam offendas. Stultus est, qui illius audet iram lacescere, quem omnium fortunarum suarum arbitrum fore novit. Veneraris eum, quem judicem esse scis in causa aliqua tua; curas eum reddere & servare tibi benevolum: et ecce Jesus Christus judex tuus erit in causa gravissima; in ejus manu salus & damnatio tua erit. Hunc Jesum tuum audes offendere? audes ea facere, quæ ei displicere scis? ô te amentissimum! Nunc
sal-

saltem age ea, quæ hunc tibi judicem conciliare possunt, opera scilicet bona; observa mandata DEI, exercitia pietatis devotè obeas. Jam ad huc Jesus, adhuc Salvator est. Cave, ne eum irreverenter tractes, præcipuè in S. Communionem; memor semper esto hujus: Jesus iste me judicabit pro æternitate.

5. Ratio erit terribilis & accurata; ergo invigila tibi, ut omittas ea, quæ rationem hanc tibi possunt facere terribiliorem; fac, ut rationem illam allevies, emendando nimirum te in illis, de quibus audivisti, strictam ad eò rationem appetendam; quæ verò jam admittuntur, sermo Confessione & frequentibus tui ipsius abnegationibus expiando. Relege superius dicta, & vide, qua in re potissimum emendatio sit necessaria; in eorum emendationem incumbere ad judicium illud te optimè parabis. Studiosus prudens multo tempore se ad examen paratum non expectat ipsum examinis diem: ita & tu age. Quære ex te sapè illud, quod S. Jobus, *Quid faciam, cum surrexerit ad judicandum Dominus, & cum quaesierit, quid respondebo ei? Quid respondebo, cum quaesierit, quomodo impendiderim talenta mea, tempus, sanitatem, sumptus parentum &c?*

6. Excusationem habebis nullam: ergo utentis talentis tuis, tempore &c. dum habes; alioquin perditio tua ex te.

7. Sententia, quæ in te feretur, aut erit terribilis, aut jucundissima: terribilis, si in peccato

cato decedas; jucunda, si in gratia. In manu tua est per DEI gratiam eligere sententiam, quam voles. Fuge peccatum: si verò illud perpetrâsti, mox per contritionem & confessionem deleas.

Affectus. Jesu Christe, pro me Crucifixe, te in effigie tua amplector, jam Salvatorem, postea Judicem meum. O Jesu, ergo coram te comparandum mihi est aliquando? ergo tu eris, qui rationem vitæ à me exiges? tu, qui sententiam pro tota æternitate in me feres? Credo, Domine, tu enim revelâsti ista omnia. Sed quomodo ausim oculos meos levare ad te, quem toties offendi? Ah Jesu, culpâ rubet vultus meus, supplicanti parce DEUS! commissa mea paveo, & ante te erubesco! O quomodo erubescam coram te, quando conspiciam peccata mea omnia, orationes sine reverentia, Missas sine attentione, Sacramenta sine devotione, templa parùm honorata, tempus malè impensum, inspirationes neglectas, sumptus perditos, & mille alia scelera? O mi Jesu, quid dicam, si mihi tot tua beneficia, tot mea peccata exhibebis? quàm horrendum est incidere in manus tuas! ad quem tunc confugiam? quid sum miser tunc dicturus? quem Patronum rogaturus? si de omni verbo otioso rationem petes, ô Jesu, quid fiet de tot illis colloquiis cum aliorum etiam scandalo habitis? quid de tot cogitationibus? de tot operibus nefariis? O Jesu, frustra tum temporis rogabo veniam,

Q²

quia

quia inexorabilis eris. Nunc ergo, nunc, mi Jesu! dum tempus est miserendi, advolvor pedibus tuis, & veniam rogo. Ah non intres in iudicium cum servo tuo! ne in furore tuo punias. Juste Judex ultionis, donum fac remissionis ante diem rationis! meritus sum, fateor, æternæ damnationis sententiam, vel ideò, quia te Judicem meum adeò protervè ausus sum offendere: sed ô Jesu, jam Salvator es; jam tuum proprium est misereri & parcere; jam rogo veniam: esto mihi jam Jesus, & salva me & miserere mei! Ingemisco tanquam reus, culpâ rubet vultus meus, supplicanti parce DEUS! parce Jesu!

Proposita. Posthac alius ero; conabor sic vivere, ne justè timere cogar infelicem sententiam. 1. Quia tum temporis optabo videlicet multa bona opera, mala verò nulla aut rite expiata; peragam jam quotidiana opera mea bene, peccata fugiam, præcipuè hoc, quod me maximè terreret. 2. si occurrit tentatio ad peccatum, cogitabo: Ecce è loco hoc potes recedere descendere ad inferos, si moriaris; & sic me absterrebo. 3. solus debebo comparere coram Judice; hinc tandem me generose vincam; & ejurandum omne suspectum consortium; nec curabo, an placeam lociis, aut displiceam; meò dò placeam DEO Judici: nec obsequar illis, si me à pietate avocabunt, aut ad hoc vel illud scelus incitabunt. 4. Quia Jesus erit Judex meus, omni modo cum mihi conciliare jam qua-

ram per bona opera ; præcipue dum in S. Eucharistia suscipiam , eum rogabo , ut aliquando mihi sit propitius. 5. Ad rationem illam severissimam me parabo jam per accuratam Confessionem ; deinde per omissionem earum rerum , quæ mihi maxime terribilem illam rationem redderent. 6. Quia sententiam infelicem timeo ; hinc vivam jam ita , ut merear accipere felicem pro tota æternitate.

Petitio. Jesu Christe , hæc desideria de tua miseratione concepisti , concepta depono ad pedes tuos mei amore cruci affixos : unum rogo , da gratiam , ea accuratè implendi : perfice in me , quod operari cœpisti per gratiam tuam. *Anima Christi &c.*

Ad Deum Patrem. O Pater æterne , qui omne judicium dedisti filio tuo , ago gratias immensa bonitati tuæ pro concessa veritatum adeo necessariarum agnitione : ago gratias , quòd mori non permiseris me in illo loco , ubi in peccato meo à Judice deprehensus æternæ damnationis sententiam certò sustinere debuissim. Conserva me & deinceps , ô Pater misericordiarum , ut peccata mea ritè expiare , piè vivendo Judicem meum conciliare mihi valeam : ita te rogo per merita Jesu Christi Filii tui Salvatoris mei. *Pater noster &c.*

Ad B. Virginem. O Maria Mater Salvatoris & Judicis mei ! ô qualem filius tuus in me feret aliquando sententiam ? te rogo , pro me pete , ut quiete sempiterna perfruar ! ora pro me apud

Q3

Ju-

Judicem meum, ne damnet me die illo, quo Anima mea egredietur è corpore meo. Impetra efficacem gratiam, ut timore diei illius impulsus vitam sic instituam, quemadmodum tunc instituisse optabo. *Ave Maria.*

Consideratio VIII.

De Judicio Universali.

Recitatâ oratione consuetâ, imaginare tibi judicium illud universale eo modo, quo depingi solet: cogita, te videre Judicem Christum innumeris Angelis circumdatum, à partè dextrâ beatos, à sinistra damnatos &c. Roga gratiam, ut terribile hoc Mysterium sic agnoscendi, ut exinde movearis ad vitam sic instituendam, ne die Judicii ad sinistram, sed ad dexteram Judicis colloceris.

Pars I.

Doctrina. Præter judicium particulare, quod statim fit post mortem hominis, est & aliud universale, quod omnes homines simul complectitur, & in quo sententia etiam fertur in corpora hominum. Instituitur hoc à Christo ideo, ut coram orbe toto hominum virtutes & scelera patefiant, nec non beneficia omnibus collata, & peccata ab eis facta, tum ad confessionem damnatorum, tum ad gloriam beatorum. Erit ergo dies, quo omnes homines congregabuntur in vallem Josaphat, ibi sententiam pro

pro tota æternitate accepturi. Dies ille à scriptura dicitur, *dies iræ, dies calamitatis, dies furoris Domini.* Ante diem illum præcedent signa terribilia, quæ Christus in Evangelio recenset. *Erunt signa in sole, luna & stellis. Sol obscurabitur; luna non dabit lumen suum; stellæ de Cælo cadent.* Armabit DEus omnem creaturam, præcipuè quatuor elementa. Aer, qui antea respirandi potestatem, ventos, pluvias, aves pro cibo, necessitate, aut recreatione dedit, terrebit peccatores immani ventorum furore, fulgurum, tonitruorum, cometarum varietate & vehementiâ. Aqua, quæ multiplici antè modo hominum utilitati serviit, furet, fremet, cruentis etiam fluctibus insurget, agros & urbes inundabit & submerget. Terra insolitis ubique motibus tremet, urbes totas & regiones concussas deglutiet, serpentes, leones, tygrides, portentosa brutorum monstra in urbibus & vicis ad terrorem hominum producet. Ignis præcedet Iudicem: & domos & hortos, & urbes, & quidquid in orbe est, tristi involvet incendio. Dies iræ, dies illa solvet sæculum in favilla. Et hæc initia sunt dolorum.

Tum insonabit tuba illa feralis, de qua Christus: *Mittet Angelos suos cum tuba.* Tuba mirum spargens sonum per sepulchra regionum coget omnes ante thronum. Audietur vox illa: *Surgite mortui, venite ad iudicium.* Hæc est tuba illa, quam tantopere timuit S. Hieronymus, semper eam suis putans auribus insonare. Audient

dient vocem hanc omnes, & divinâ virtute excitati consurgent, ut impleatur, quod credidimus in Articulo: *Carnis resurrectionem*. Quam hoc visu mirabile! Prodibunt omnes è cavernis suis aut sepulchris; & rustici & reges, & inopes & divites, & clerici & sæculares, & Studiosi, & quotquot vixerunt unquam. Nam Animæ horum omnium, vel è Cœlo, vel inferno, vel purgatorio aderunt; ad eadem ipsa, quæ antea habuerunt, corpora redibunt. Hic siste non nihil, Studiose, & hanc non fabulam, sed veritatem expende. Quævis Anima ad idem ipsum corpus, quod in mundo incoluit, redibit: redibit anima damnata, redibit beata: sed ô sorte quàm dispari! quàm dissimili gestu, facie, & affectu! Redibit anima Petri ad corpus suum; redibit & anima Judæ; redibit anima Aloyfii ad corpus suum; redibit & anima infelicis cujusdam damnati Studiosi. O quàm diverso modo Anima damnata dum intuebitur corpus suum, in cuius gratiam ob levem fortè voluptatulan perpetuò torquetur, ô quo horrore complebitur quibus execrationibus in illud invehetur! Ergone, inquiet, in maledictum hunc carcerem includar, æternum in eo crucianda? maledictum corpus! Tu, tu es, quod stolidè adeò amavit tu, tu es, cui, relicto DEO, servivi: tu es, ob quod Cœlum perdidisti: tibi ut bene esset in otio illo, in gula, in lascivia, in peccatis aliis, æternis me dignam feci cruciatibus! Maledictæ voluptates, quas tibi concessi, & quæ tanti jam mihi

mihi steterunt, stabuntque æternum! Tui illi
oculi, tua lingua, tui pedes, tuæ manus æter-
num mihi attulere exitium. Hæc Anima dam-
nata corpori dicet. Corpus verò, teste Carthu-
siano, sic reponet quodammodo: maledicta tu,
ô Anima! tuum erat me regere: eras domina;
non debebas mihi licet volenti, concedere, quod
nocivum fore prævideras. Ah utinam te nun-
quam nôssem! relinque me apud vermes meos,
& ad inferos facesse. Hæc & plura reponet
corpus, ad quod redire cogetur Anima, ut
quemadmodum hæc illud habuit in scelere so-
cium, sic etiam habeat in supplicio. Jam ad
Animam Beati cujusdam respice, v. g. S. Casi-
miri, aut Aloysii: ô quo ista gaudio intuebitur
corpus suum! ô ut ei ex animo gratulabitur! ô
ut læta exclamabit: Veni, veni corpus meum!
amplectemur denuo invicem, & per omnem æ-
ternitatem nemo nos separabit. Gratias tibi
ago, quòd tam fideliter mihi serviveris ad beati-
tudinem acquirendam; gratias, quòd jejunia,
cilicia, labores scholasticos patienter & ad DEI
gloriam tuleris. Gratias ago vobis, ô manus
meæ, quòd nihil tetigeritis illicitum; gratias
vobis ô pedes, quòd ad ædem sacram potius,
quàm alia loca me detuleritis. Labore quidem
vobis stetit, grave vobis accidit, ô membra mea,
dum mortificatio aliqua erat subeunda; dum
fugienda aliqua suspecta amicitia; dum diutius
perseverandum fuit in templo tempore frigido;
dum multum temporis dandum erat studiis;
Qs dum

dum os adhibui ad manifestanda in Confessione peccata, pedes ab otiosis evagationibus compescui, voluptatem sæpe etiam licitam vobis prohibui; grave hoc vobis accidit; sed ecce reposita est corona gloriæ; jam mercedem recipietis amplissimam. O corpus meum, porrige manus, quas à nefandis lusibus, ab illicitis tactibus compescuisti, quas in oratione levasti ad Cœlum; fulgebunt præ stellis & gemmis per æterna sæcula. Porrige oculos, quos modestè continuisti, & avertisti ab illicitis; fulgebunt deinceps ut sidera. Porrige linguam, quâ non abusus es ad pejerandum, ad mentiendum, ad irritandos parentes, ad proferenda impura; quam mortificasti in cibo & potu &c. beata jam est. Beati estis & pedes mei, qui me ab illa domo, ab illo consortio deduxistis: vestra nunc est gloria; gaudete! modicum, quod habuistis laboris, gloriam accersivit æternam. Sic dicit Anima Beati, corpusque suum summo cum gaudio intrabit. Et ecce prodigium novum. Ingreditur Anima beata corpus suum; ingreditur & damnata: sed eheu varia, diversa plane mutatio! Corpus, quod Anima damnata subivit, mox fœdum adeò, abominabile & visu horridum evadit, ut omnibus videntibus horrorem incutiat; præcipuè in illis membris, quæ instrumenta divinæ offensæ fuerunt, evadent longè turpissimum. Econtra corpus beati dicto gloriosius momento redditur, in illis præsertim membris, quibus ad DEI gloriam præcipue
 ulus

usus est, dum viveret. Veritas certa est: instrumenta laboris aut peccati suum habebunt præ membris aliis supplicium, aut præmium. Linguam suam cruciari præ aliis ingemuit Epulo, quia per eam maximè peccaverat. S. Xaverius visus est toto corpore, maximè autem pedibus, splendorem & lucem admirandam diffundens: pedibus enim præcipuè usus fuerat in peragrandis tot regionibus & provinciis, non ad sudorem modò, sed & sanguinem.

Factâ hac mortuorum resurrectione, properabunt omnes ad vallem Josaphat; nova lugendi aut gaudendi materies occurret in via, ut ita loquar. Videbunt omnes, tum loca, in quibus peccaverunt, tum ea in quibus DEO servierunt. En ibi maledicta illa domus olim erat, ingemiscet damnatus, ibi maledicta illa occasio erat, ibi maledicta illa caupona, ubi peccando damnationem mihi accersivi; ibi schola, ibi templum, ubi impudenter DEum offendi. En ibi templum erat, dicet beatus, ubi DEO servivi sollicitè, in quo SS. Sacramenta devotè suscepi: ibi erat societas, quam nisi fugissem, periissem: gratias illis, qui me vel invitum abstraxerunt. Interea congregabuntur omnes in valle Josaphat; latere enim nemo poterit, nemo effugere. Convenient Reges & subditi, parentes & filii, Magistri & discipuli. *Tunc exhibunt Angeli, ait Christus, & separabunt malos de medio Iustorum.* O quanta horroris materia separatio futura! Christus ait:

Erunt

Erunt duo in lecto uno; unus assumetur, & alter relinquetur. Ah erunt duo! bene considera: erunt duo in lecto uno, in una domo, in una schola. Unus eorum statuetur ad dextram, alter ad sinistram; unus inter beatos, inter damnatos alter. Hic Abel frater à fratre Caino, Petrus à Juda, à sorore soror, vir ab uxore, à subdito princeps, condiscipulus à condiscipulo, discipulus à Magistro separatur. O acerba, ô terribilis separatio! Pater ad sidera, filius ad Tartara! condiscipulus unus ad dextram, alter ad sinistram! ô quis luctus erit & planctus Studiosi alicujus, si videat condiscipulos suos plures ad dextram, se verò inter damnandos ad sinistram; cum sciat: ecce cum his vixi; cum his scholam eandem frequentavi eandem etiam domum incolui: ah! & ego æternum infelix! vah ut fremet, ut ringetur? ut furet damnatus quispiam Studiosus contra eum, à quo fortè ad peccatum seductus est, & sic ejus culpâ periit? Tu, tu es, maledicte, inquiet, tu es, qui si me non avocâsses à pietate, à studiis, starem inter electos ad dexteram: tu, tu vah! ô quis dolor!

Terrorem terror excipit, isque planè ingens. Factâ hac Justorum à peccatoribus separatione, Parebit signum Filii Hominis in Cælo. S. Michaeli ingenti Angelorum turmâ stipatus apparebit in nubibus, ferens sacram illam Crucem, è qua Salvator noster pendere dignatus est. O quis terror damnatis! quod solatium Beatis! de-
mum

mum videbunt filium hominis venientem in nubibus cum potestate magna & maiestate. Cum maiestate tanta, quantam nec concipere mens humana potest. Ad primum Maiestatis tam terrificæ intuitum ô! ô quomodo ejulabunt infelices, dicentes montibus: cadite super nos, & collibus: operite nos! terrore prorsus inexplicabili percellentur damnati. Et quid mirum? Sciunt, eundem hunc esse Judicem, quem tam impiè, tam protervè offenderunt. Fratres Josephi audientes Proregem illum, coram quò stabant, esse Josephum fratrem suum, toto corpore contremuerunt; quia suæ in eum iniquitatis recordabantur. Peccator videns DEum à se antea offensum jam venire ut Judicem, ô quo terrore percelleretur miser! Videbunt, in quem transfixerunt: videbunt, quem contempserunt; cuius minas & monita referunt. *Scietis, quia ego Dominus*, ait DEus. Accedit ipsa Maiestas Judicis hujus, altera terroris causa. Dum legem in monte Sinai ferebat Dominus, inter fulgura & tonitrua descendit, adeò ut vicini etiam colles contremiscerent. Ah quid fiet, quando veniet indutus vestimentis ultionum, non ut Legislator, sed legis contemptæ vindex acerrimus? Solus ejus intuitus sufficere ad homines exanimandos posset. Prostrati sunt in horto milites Christum capivum ducturi, prostrati, inquam, ad voces has: *Ego sum*; quia has proferens ostendisse eisdem creditur vultum illum, quem aliquando ostendet reprobis. O Studiose, quo vultu Judicem suum intuebitur juvenis?

Re-

Reflexiones. Si quæ præcedunt diem iudicii, a deò formidabilia sunt, non miror fuisse Sanctos, qui ad solam iudicii memoriam contremiscerent. Hoc miror, esse hominem, qui non pariter corpore & animo contremiscat. Tu, ne absque timore sis, sequentes conclusiones excipe.

I. Resurges & tu aliquando ad vocem tubæ; resurget & corpus tuum; recipies has manus tuas, hos oculos tuos, hos pedes. An verò cum gaudio? an cum luctu? an inter maledictiones? an inter jubila? Pro qualitate vivendi, erit & qualitas resurgendi. Prout vixeris, sic resurges. Si jam in peccato moriaris, resurges aliquando: sed quid dices, hæc corporis tui membra aspiciens? En hi sunt oculi, dices, quibus abusus sum ad res illicitas aspiciendas: ô utinam avertissem! hæc sunt manus, quibus res illicitas attigi: ô utinam nunquam id fecissem! hi sunt maledicti pedes, qui me ad illa loca detulerunt, ad domum illam pessimam, ad consortium illud: ah utinam ad templum detulissent! hæc est lingua illa maledicta, quâ tam indecoros sermones effutire ausus sum, & mille modis abuti: ah utinam melius eam impendissem! Sic certò ingemisces, sed serò nimis. Ergo nunc utere membris ad finem tuum; utere pedibus ad templum, scholam & loca licita; utere linguâ ad laudem DEI; utere manibus ad preces devotè persolvendas & laborem facrum; flecte genua in oratione, linguam contine à sermone illicito, comprime oculos, ne aspiciant, quod non licet; atque ita de membris aliis

aliis loquere, & gaudebis aliquando; & lucebunt hæc membra tua præ stellis firmamenti. Hæc tecum cogitans excita te, & erige in molestia aut tædio, quod forsan occurrit: v. g. grave accidit studere tempore debito, diu interesse templo, hære domi, abstinere ab otiosis circumvagationibus & sermonibus &c. dic jam membris tuis: tolerate ista, ô charissima membra mea! patere ô lingua mea! tolerate ô pedes &c. erit, cum mercedem recipietis amplissimam! erit cum lucebitis velut stellæ in perpetuas æternitates!

2. Properabis & tu ad vallem Josaphat. Videbis loca omnia, ubi nunc versaris, ubi DEum aut offendis, aut debito modo honoras. Quæ, obsecro, loca tibi præplacebunt? an gaudebis te fuisse in caupona illa, in domo illa, in loco illo &c. an delectaberis adhuc lætitiâ ibidem haustâ? an placebunt petulantia in schola aut templo exercitæ? an gloriaberis, te ibi & ibi Magistro tuo aut Confessario egregie imposuisse? ah quàm vereor alia! ô quàm optabis majore diligentia accessisse scholas, modestius versatum in templo, hanc illamque domum fugisse &c. Ergo nunc age, quod tunc egisse optabis; sic vive in quovis loco, ne ejus recordans dolore aliquo afficiaris. Cave locum illum, ubi toties DEum offendisti.

3. Eris & tu in valle Josaphat. Sed ubi? ô Cœlites! an ad dexteram inter oves? an ad sinistram inter hircos? ah Cœlites! aderis tu; ade-

ro ego; aderunt omnes condiscipuli tui in valle Josaphat: an omnes nos ad dexteram? an omnes? dubito sanè & vehementer dubito. Multi vocati! pauci electi! an ergo unus, an plures inter reprobos stabunt? ah horror! an separaberis à me tu, qui hæc legis? an ego à te? an tu inter beatos? ego, ah infelicem me! ego an inter reprobos stabo? aut an tu infelix inter reprobos? ego inter beatos? ego à te separatus in æternum? ô vulnus! ô dolor! an separaberis à fratre tuo? an à sorore? an à parentibus? an à condiscipulis tuis? ignoro quidem ista. Hoc scio, si a deo fore infelix, ut stare inter damnatos cogereris, videresque alios condiscipulos tuos à parte dextra stantes, acerrimo te dolore correptum exclamaturum esse: ô infelicem me! egone separatus in æternum? ah hi sunt, quibuscum easdem bene vivendi occasiones habui! ibi ille est, quocum vixi in eadem domo, in eodem lecto! ah egone separer æternum? utinam vixissem ut ille! utinam templa accessissem cum illo! tempus utinam pietati & studiis dedissem cum illo! Ita dices, sed in cassum. Jam age; vive cum piis, ut stes cum piis ad dexteram; imitare condiscipulorum tuorum modestiam, pietatem, diligentiam; morere verò improbos detestare. Cogita sæpius: si hoc imitor, stabo cum illis, & cum illis in die judicii æternitatem ingrediar aut felicem; si imiter improbos aut infelicem, si impios imiter: versetur hæc terrificam separatio sæpe ob oculos.

4. Si (quod superi avertant) fores aliquando inter illos, qui stant ad sinistram, & videres socium illum, qui te abduxit à pietate, aut studiis, & sic causa æterni interitûs fuit, quid, quæso, diceres? quid ageres? an adhuc ejus tibi placeret consortium? an de ejus gauderes familiaritate, ut jam? non crediderim. Ergo jam age, ejus fuge consortium, invitationes generose reiice, alias væ animæ tuæ!

5. Si primus advenientis Judicis aspectus tam terribilis futurus sit impiis, quid agendum jam censes? an non terroris causa removenda est, peccatum scilicet? ergo factum jam antè propositum confirma: non offendam hunc Judicem meum, sed eum mihi conabor reddere propitium. Dum Crucifixi effigiem intueris, aut in SS. Eucharistia Judicem tuum suscipis, roga gratiam illam, quam rogat Ecclesia in vigilia Nativitatis Domini per hæc verba: DEUS qui nos redemptionis nostræ annuâ expectatione lætificas, præsta, ut Unigenitum tuum, quem Redemptorem læti suscipimus, venientem quoque Judicem securi videamus Dominum nostrum Jesum Christum.

Affectus. Jesu Christe, pro me Crucifixe, erisne ergo tu Judex meus? ergo te venientem in nube potestate magna intuebor? quibus oculis, ô Jesu? ô quomodo levare poterò ad te faciem meam, cogitans, quàm turpibus peccatis te offenderim? O Jesu tunc non audebo; jam audeo, quia adhuc Salvator meus es; jam

R

levo

levo ad te oculos meos; unum, unum rogo:
 Jesu, propitius esto mihi peccatori, illo die ter-
 ribili, quo resurget ex favilla judicandus homo
 reus! Timeo, ô DEus, diem illum terribilem
 ah quid agam? latere erit impossibile, appare-
 re intolerabile. Ah, respice jam me oculis mi-
 sericordiæ tuæ; dimitte mihi jam peccata mea,
 ut lætus te aliquando intuear! Doleo, ô Jesu,
 quòd hætenus te toties offenderim! Utinam
 mortuus antè fuisset, quàm te offendifsem!
 Respice & miserere mei! In die judicii libera
 me, Domine! inter oves locum præsta, & ab
 hædis me sequestra, statuens in parte dextra.
 Miserere mei, dum veneris in novissimo die.

Proposita. Aliam jam vitam, te adjuvante, in-
 stituam. 1. melius utar ad gloriam tuam mem-
 bris meis, & corpore meo, ut aliquando cum
 gaudio ea recipiam; maximè hoc membra
 N. 2. in nullo loco sic versabor, ut eum al-
 quando intuens deplorare cogar impietatem
 meam; hinc in templo ero modestior; non ac-
 cedam locum illum &c. 3. quia volo stare cum
 Beatis ad dexteram, volo etiam jam cum illis
 vivere; & sicut nolo ab illis separari in valle
 Josaphat, sic nolo me jam separare ab eorum
 exemplis; imitabor aliquorum modestiam, de-
 ligentiam &c. econtra sicut volo esse separatum
 à reprobis, sic jam me ab illis separabo, non
 eundo cum illis ad loca illicita, non sequendo
 monita eorum &c.

Petitio. Jesu Christe Salvator clementissime, respice me & miserere mei! gratia tua confortet me in bonis propositis meis, ut in die judicii me non ad sinistram, sed ad dexteram tuam per Sanctissimos Angelos tuos collocari permittas.

Pars II.

Ipsè actus Judicii & Sententia.

D*octrina.* Rem ipsam nunc aggredimur. Sedente ergo in nubibus Judice Christo, palpitantibus præ metu & terrore damnatis, Liber scriptus proferetur, in quo totum continetur, unde mundus judicetur; sive, ut paucis dicam, sequetur manifestatio peccatorum, à quovis homine commissorum, uti & bonorum operum. *Omnes nos oportet manifestari ante tribunal DEI.* Singuli aliorum tum malè tum bene facta agnoscent, & velut in fronte scripta legent. Manifestatio hæc Sanctis ad gloriam erit, reprobis ad confusionem terribilem. Quid quid latet, apparebit. O quis pudor erit damnati, si videat sæpe majora peccata facta ab illis, qui æternùm erunt beati, ac à se ipso; quàmque facile cum illis pœnitentiam agere potuisset? Quis pudor erit hominis, qui, dum viveret, Sancti nomen & speciem præ se tulit, re verò ipsa fuit hypocrita? Quis pudor damnati videntis omnia scelera sua toti mundo patere, etiam quæ in tenebris facta, sollicitè quæsit occultare? Erubescit homo sæpe uni Confes-

R 2

sario

fario aperire illud, quod malè egit: quid ergo
aget, dum millenis hominum millionibus scele
ra sua patere advertet? ô pudor! ô confusio

Manifestationem peccatorum comitatur ma
nifestatio beneficiorum, quæ DEUS cuius ho
mini præstitit, ut hac ratione peccati enormi
tas tantò clarius appareat. *Judicate inter me &*
vineam meam; quid potui ultra facere? Ecce crea
vi te (sic Studiofo dicit DEUS) ut laudares
me, ut servires mihi: an mihi, an dæmoni ser
visti? Dedi Angelum, qui custodiret te, &
ad salutem dirigeret; huic reluctatus es. Dedi
coelum & terram ad obsequium tuum, ut facer
liùs servires mihi; tu illis ad mei offensam ab
usus es. Descendi è coelo in terram, ut te re
dimerem jugo dæmonis; labores pro te sustu
nui gravissimos, tuli spinas & flagella, effudi
sanguinem, toleravi mortem; tanto te precor
emi, ut mihi servires: tu pretium calcasti, me
contempsisti, adhæsisti dæmoni. Permissi
nasci in fide vera, quod beneficium mille al
negavi; debebas vitam agere tuæ fidei con
gruam; vixisti vitam, quæ nec Ethnicus pet
rem posset. Dedi tot infirmitatis remedia, Sa
cramenta Sanctissima, bene agendi occasiones
innumeras: præ innumeris aliis feci, ut mitte
reris ad studia, quibus te excolere, & ad alt
omnia idoneum reddere te poteras; habuisti
eodem tempore occasionem non piè tantum
sed sanctè vivendi; audivisti tot monita, vidi
tot piorum exempla, poteras te ad statum Sancti
torem

tiorem per studia & pietatem disponere: hanc
 gratiam innumeris aliis non concessi, quibus si
 eam dedissem, laudassent me assidue, servivif-
 sent indefesse. Tu quid egisti? Quomodo me
 & leges meas habuisti? Nosti me? Ego sum Je-
 sus tuus, quem tu tantillo pretio toties vendi-
 disti, quoties graviter peccasti; cujus gratiam
 hominum amicitiae posthabuisti; cujus inspira-
 tiones rejecisti; quem tot sacrilegis Confessio-
 nibus, tot mendaciis, tot inobedientiis, tot
 impuris sermonibus, continuo otio, turpi in di-
 vinis tadio, mille modis aliis offendisti. Ego
 sum, cujus minas & monita ridere ausus es;
 quem toties, tam irreverenter in SS. Eucharistia
 tractabas; quocum versari diutius post S. Com-
 munionem aut alio tempore nolebas. Ego sum
 Jesus ille. O Studiose, quo tuo terrore hæc
 tibi obiiciet Salvator Judex? Rex quidam ve-
 natoris habitu latens, incognitus diverterat ad
 casam aliquam subditi sui de nocte; ab eo pessi-
 me habitus est. Tulit Rex patienter. Postri-
 die ad aulam reversus hunc ad se vocari jubet,
 cumque in throno regio residens sic breviter
 alloquitur: nosti impudens, quem domi tuæ
 hospitem hac nocte habueris, & quomodo trac-
 taveris? Obmutuit ad hæc miser, & velut ful-
 mine percussus tantum non exanimis corruit.
 Latet jam sub specie peregrina Salvator tuus,
 mi Studiose, latet in epulo Eucharistico; si la-
 tens ad te divertit, quomodo à te habetur? quâ
 devotione suscipitur? imò quot ignominis affi-

citur? quàm turpiter offenditur? Non curas
 jam ista; sed erit, erit, quando residens in nubibus
 cum potestate magna & majestate dicet tibi:
 nōsti impudens, quem domi tuæ toties hospitem
 habueris, quomodo tractaveris me, quomodo
 tanta tibi, tam ampla præ aliis beneficia præstiti?
 nōsti, quot irreverentiis, quot lascivis sermonibus
 & factis me offenderis? Tu quid dicere
 quo animo hæc excipies? Amicum ferre non
 potes, si tuam tibi exprobet ingratitude
 & Judicem tuum quomodo feres? quis pro te
 intercedet? quis justitiæ divinæ supplicabit?
 Quid sum miser tunc dicturus? quem patronum
 rogaturus?

Sed finiamus tandem Tragœdiam, & omnia
 illis, quæ de Judicio particulari diximus, huc
 que etiam pertinent, rem omnium funestissimam
 producamus. Horret animus, calamitas
 stupet, sanguis ipse in venis propè obrigitur.
 Dictu terribile est; dicendum tamen. Huc
 animus advertite, Studiosè. Manifestatis omnium
 hominum peccatis, exhibitis palàm, quæ Deus
 cuius præstitit, beneficiis, petitâ, ut in judicio
 particulari, ratione, *dabit Dominus vocem virtutis
 suæ*, feret decretoriam pro tota æternitate
 sententiam secundum cujusvis merita. O
 Domini terribilis! ô sententia quanto impiorum
 terrore, tanto beatorum solatio prolata! Vox
 illa duplex: *Ego sum*, quâ Christus usus est ad
 dæos & gentiles in horto, armatos omnes
 mi abjecit velut mortuos. Vox Philippi fecit

di, Aulicos duos conspectu suo faceffere jubentis, unum vitâ, alterum rationis usu privavit. O terribilis DEus, vox tua quid aget? *In tonas super me Iudicia tua, & timore ac tremore concutis omnia ossa mea, & expavescit anima mea valde, ait Thom. Kemp.* Quæ verò illa vox? quæ sententia? Duplex est; pro beatis una, pro damnatis altera. Prima hæc est: *Venite benedicti Patris mei, possidete regnum, quod paratum est vobis ab initio mundi.* Fertur hæc sententia primò in beatos, ut tantò acerbior deinde damnatis evadat sententia damnationis; quivis enim eorum ita secum cogitabit: possem & ego esse beatus; possem & ego cum his sententiam pro beatitudine jam audire; possem cum his evolare ad Coelum, si aliam egissem vitam; si inspirationibus divinis obedivissem; si à consuetudine illa & consortio me abstraxissem. Quantum verò hoc vulnus sit in animo damnati, dici quidem non potest, tenui tamen similitudine adumbrari valet in Studiofo pigro, qui sub anni finem videt condiscipulum suum palàm in theatro laudari & honorari, se verò repulsam turpissimam ferre. Quære ex eo, quo animo sit, ista intuens? quære, an amet adhuc laudè que pigritiam suam & otium? an gaudeat de tot otiosis circumvagationibus &c? responsionem tu ipse facile divinabis. Eadem prorsus ratione non amabit damnatus libertatem, quâ nimium fruius, DEum offendit: non gaudebit de voluptatibus per DEL offensam quæsitis: alia omnia sentiet, ac
R 4 dum

dum vivebat. Verum ad Sententiam redeamus. *Venite Benedicti.* O vox suavis! vox jucunda! Venite ex tristitia ad gaudia, ex labore ad requiem, ex dolore ad solatium, ex mundo ad Cœlum. Venite! labor abiit; finis dolorum est. Possidete regnum vobis paratum. Venite Martyres, qui mei amore tanta, tam fortiter peritulistis! Venite Virgines, quæ spurcas mundi delicias virili adeo animo contempsistis! Venite Adolescentes, qui vestram mihi ætatem primam & innocentiam consecrastis! Venite Studiosi, qui labores vestros scholasticos ad meam gloriam animose adeo tolerastis, regulas vestras accuratè observastis, pietatis exercitia sedulo obiistis, otium & pigritiam abominati estis. Venite! ô vox gaudii! vox exultationis! Possidete regnum: hæc erit merces laboris vestri possidete regnum in perpetuas æternitates. O felix sententia! ô quanta in animo beatorum lætitia! ô quàm laudabunt Sancti opera bona à se præstita! ô quàm gaudebunt de laboribus pro DEO toleratis; de mortificationibus sponte susceptis! ô quàm benedicet S. Petrus cruci suæ è qua pendens DEO vitam dedit! ô quàm velut amplexabitur craticulam suam S. Laurentius Aloysius flagella sua; Edmundus sua cilicia quantum exosculabitur! ô felix Pœnitentia, clamabat apparens post mortem suam S. Petrus de Alcantara, quæ talem ac tantam mihi promeruit gloriam! ô felix pœnitentia! ô felices horæ, quas DEO, quas studiis ad DEI gloriam consecravistis.

Au-

Audient hæc & videbunt peccatores miseri: quid verò agent? dentibus tuis frement & tabescent. O quantum ipso beatorum jubilo torquebuntur! horrorem autem & supplicium ex ipsa ferali, quæ in eos feretur sententia, oriturum quis describet? *Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis ejus.* Non verba, sed fulmina! discedite à me! non amplius estis populus meus, & ego non ero DEUS vester. Discedite à me, à fine vestro, à DEO vestro, à summo bono vestro: discedite ab amicitia mea, à gratia mea, ab aspectu meo discedite! discedite à regno meo, à felicitate mea, à patria vestra, à societate Sanctorum. Discedite maledicti! maledicti in corpore, maledicti in anima! discedite in ignem, ad pœnas, ad famem, ad sitim, ad frigus, ad fœtorem, ad diabolos, ut sentiatis fructum voluptatum vestrarum. Discedite non ad annos decem, non ad viginti, non ad centum, non ad mille, sed in æternum; discedite in ignem æternum, qui paratus fuit non vobis, sed diabolo: paraveram vobis Cœlum: potuissetis mecum regnare in Cœlo; nolulistis. Ergo discedite, & in æternum discedite! Discedite à me! Vivis adhuc, qui hæc legis? non te stupor exanimem reddit? *Aliquid terribilius cogitari potest, ait S. August. quam Ite? quid delectabilius, quam Venite? O quanto pavore obruentur miseri? Vidistine reum aliquem, dum à Iudice fatalem sententiam accepit, præsertim si mortis genus non nihil acerbius*

R s

fuit?

fuit? O ut æstuat, ut pavet, ut toto corpore trepidat, ut jam semi mortuo & vox & animus hæret! Umbra est, si cum terrore damnatorum conferas. Terrorem hunc ipsa Sententiæ executio excipit: aperiet se abyffus infernalis, & momento ipso miseros omnes horrendum vociferantes absorbebit. Hic tristissimæ tragædiæ finis est, hæc conclusio.

Reflexiones. Quo, quæso, animo ista legis, mihi Studiosè? an velut veritatem à DEO revelatam credis? non dubito; Catholicus enim es. Si verò credis, an non exhorrescis? an non trepidas? Nunquid ferrea sunt carnes nostra, quarum S. Aug. ut non contremiscant ad illa verba: *Ita maledicti?* Trepidârunt Sancti ad solam eorum, quæ dixi, memoriam: cur non & tu salutari timore correptus vitam institues eo modo, quo illo die instituisse optabis? S. Greg. hoc documenti loco dedit: *Illum diem, fratres charissimi, totâ intentione cogitate, vitam corrigite, mores mutate, peccata expiate.* Sed ad particularia.

I. Manifestabuntur peccata tua omnia in die illo terribili: patebunt ea, quæ jam in tenebris fiunt, quæ occulta sunt omnibus: homo non vidit te peccantem; at DEUS vidit: homines decipere poteras, non DEUM. O quomodo erubesces tum temporis! nunquid pudore jam suffunderis, si in mendacio aut alio peccato turpi deprehendaris? quis ergo erit pudor, dum peccata tua omnia non uni homini, sed toti mundo patere conspicias? tormentum, mihi crede,

ter-

terribile est. Quid consilii? si nolis tunc confundi, cave committas ea, quæ tibi materia pudoris erunt; licet solus sis, licet à nullo te videri credas, cave pecces; cogita: DEUS videt; DEUS me iudicabit. Si autem jam admisisti peccata, necesse est, ut ea in Confessione sincere exponas. Aut levem hanc coram uno Sacerdote confusionem subire debes, aut gravissimam illam coram toto mundo in die iudicii. Prima levis est & salutaris; fictitia magis, quam vera: altera terribilis est & inutilis. Ah, per ego te salutem tuam te rogo, noli eò unquam induci, ut peccatum aliquod grave, aut tale, de quo dubitas, an sit grave, in Confessione taceas! Si tacuisti autem hæctenus, prima mox occasione confitere. Nulla res, quâ plures Juvenes contrictos teneat dæmon, ac fatalis ille pudor: augetur is & crescit indies, usque dum omnis ferme spes salutis concidat. Pereat pudor iste! salvetur anima tua! cur erubescis coram uno homine dicere, quod tamen coram toto orbe patefiet? si confiteris, patefiet quidem etiam, sed ad gloriam tuam, eò quòd generose te viceris, illud confitendo. Ergo age: triumphade pudore à deò detestabili: accede Confessarium, quem voles, si unius aut alterius noti vultum ferre non potes. Quamquam quid times? gaudium creabis Confessario, si resipiscas. Age, pereat pudor! Non surge jam à loco, in quo hæc legis, quin DEI amore statuas hoc exequi. Gaudium tibi polliceor & quietem, quam nisi expertus capere non potest.

2. Be-

2. Beneficia omnia tibi præsertim ut Studio-
so præstita, exhibebit DEus: quanto hæc sunt
majora, tanto magis terreberis, si jam malè im-
pendas. Ergo bene jam utere tot illis sanctè
vivendi occasionibus, quas offert DEus.

3. Judex tibi exprobrabit ingratitude; quæret, an noveris, quomodo eum in templo,
in S. Communione, in hoc aut illo loco tracta-
veris: erit tunc implacabilis. Ergo non fac ea,
quæ tibi exprobrare possit: reverenter cum eo
age potissimum in S. Communione; debitam
præparationem præmitte, tam sancto operi; non
offende Judicem tuum, ubi ubi demum versaris,
sed ejus tibi conciliare labora gratiam. Facile
jam est, eum in favorem tuum inflectere non
peccando, aut seriam de peccatis agendo pœni-
tentiam, superando pudorem in manifestandis
per Confessionem peccatis; vincendo difficul-
tatem, quam forte experiris in cavendo illo pec-
cato, in extirpanda illa consuetudine. Ejus pe-
dibus jam sæpe advolvere, & contritus exclama:
Domine, cum veneris judicare, noli me condemnare!

4. Audivisti jam & supra, nullum tibi fore
ullibi refugium; solum ex bonis operibus sola-
tium capi illo tempore posse. Addo jam & hanc
veritatem: tunc agnosces, quis tecum in vita
hac verè bene senserit. Est jam Magister, Præ-
ceptor, Parens, Professor, qui te etiam invitum,
etiam reluctantem abstrahit à domo aliqua, aut
familiaritate; verbera etiam eum in finem aut
aliud severitatis genus adhibet, ut hoc aut illud
ob-

obtineat. Est socius, qui te invitat ad otium, ad lusus, ad ambulationes tempore illicito, ad potationes &c. hunc credis esse amicum tuum; illum verò Magistrum aut Professore hostem esse judicas, qui malè tecum sentiat, qui torquere te tantum velit, qui gaudiolum tibi invideat, qui ex passione agat omnia. O Studiose mi, erit dies, cum videbis, quis tecum melius sentiat: cum gratias ages Magistro aut Professori, qui per minas etiam & vim te ad rem licet tibi jam non suavem compellit, à re tibi gratissima abstrahit; execraberis verò eam, quam cum socio hoc jam habes, amicitiam. Ergo hoc jam age: non murmura, non conquerere, si quis tuæ salutis cupidus Superior rem aliquam molestam, sed salutarem, tibi inculcet; si à te exigat, ut hoc aut illud omittas &c. obedi hilariter. Magister tuus, aut Professor, aut alius hac ratione tecum agens amicus tuus est, optime tecum sentit: socius verò ille hostis animæ tuæ est.

5. In te quoque, mi Studiose, feretur à Christo sententia. Quæ illa? an felix? an infelix? hic siste, & expavesce! An audies dulce illud? venite! an tristissimum: discedite! Time & contremisce. Sed & solatium hoc habe: sententia feretur secundum cujusvis merita; ergo in manu tua est audire aliquando sententiam felicem; quia in manu tua est facere opera bona. Amas te? amas animam tuam? vis audire sententiam illam felicem? exerce opera bona, opera, quæ officium Studiosi à te exigat, tum quo ad pietatem,

tem,

tem, tum quoad studia. Hoc fac, & sententiam beatam tibi polliceor. Poteris gaudere cum Sanctis, si velis cum illis vivere. Aggredere, quæso, sic te per salutem tuam rogo, aggredere rem magno animo: opera pietatis exerce: vince tædium in studiis sæpe occurrens: vince consuetudinem illam: vince te in omnibus. Licet jam grave tibi & molestum accidat, certus esto, non pœnitebit te in die illo: exosculaberis quasi præ gaudio cilicia tua: amplexaberis flagella: lætaberis cum Casimiro aut Aloysio, si vivas cum illis. Vince te! diem illum respice: pœnitebit te, si hoc meum consilium non sequaris. Tua membra alloquere v. g. Pedes mei, vincite vos, abstinete à loco hoc; gaudebitis aliquando. Manus meæ, ne vos ad illicita extendite &c.

Aliud adhuc documentum suggero. Vis audire a Christo: *Venite Benedicti?* audi jam ejuldem Christi vocem: *Venite ad me omnes.* Vocat te jam Christus, clamat: veni ad me, Studiose in hac ætate florida; veni ad me, non ad mundum, ad vanitatem, ad dæmonem; famulare mihi per pietatem, per industriam in studiis per fugam otii: veni ad me per bonam intentionem in tuis operibus, per frequentem susceptionem SS. Sacramentorum, per conservationem Castitatis, per electionem status, ad quem te voco: veni, relinque mundum & miserias ejus, amplectere statum sanctiorem, elige occasiones laborandi aliquid pro honore meo,

meo, & salute animarum. Sic vocat te Christus: huic si obedias, certus esto, audies aliquando dulcissimum illud: Venite; Ipse enim promisit dicens: Venite ad me, & ego reficiam vos: Eum qui venit ad me non eiiciam foras. Si verò jam Christi vocem audire renuis, præcipue si è sæculo te vocet ad statum religiosum; si potius audis vocem illorum, qui dicunt: Venite fruamur bonis &c. veni ad cauponas, ad lusus &c. certus esto, sicut discedis à Christo per peccatum, sic audies terrificum: Discedite. Non enim irridetur DEUS. Ergo jam veni ad Christum, non discede à Christo.

Affectus. Quid agimus ô Anima? expergiscere tandem ad tanta tonitrua! comparendum tibi est coram tribunali illo terribili; manifestabitur ingratitude & malitia tua; feretur in te sententia. Quid ages tunc? frustra ejulabis misera: Jam advolvere pedibus Crucifixi, hunc amplectere, & contrito corde clama: Jesu! ô Jesu mi! Jesu Judex vivorum & mortuorum, nunc Salvator amantissime, quò me convertam, nisi ad te? jam non repelles me, scio Domine; quia tempus miserendi est, necdum iudicandi. Jesu mi! commissa mea paveo, & ante te erubesco! Quid faciam, cum veneris ad iudicandum me? quo oculo te intuebor? quomodo audiam præstita mihi beneficia exprobrantem? Quam in me feres sententiam? ô Jesu, si iniquitates observaveris, sustinere nequeo, actum est; meritus sum sententiam infelicem;

homi-

hominum impudentissimus meritis sum damnari ! Sed Domine, quid agam separatus à Te in æternum ? separatus à Te ? O Jesu mi, noli me condemnare ! iterum, iterumque clamo : Domine, cum veneris judicare, noli me condemnare ! In die iudicii libera me, Domine ! Ne permittas me separari à Te ! qui venturus es judicare vivos & mortuos & sæculum per ignem, miserere mei, dum tempus est miserendi ! Nunc Salvator es ; salva me ! Nunc rogo, salva me propter misericordiam tuam : ita per sanguinem, per mortem tuam rogo ! Doleo, quod unquam per peccatum recesserim à Te ; detestor horam, quã hoc ausus sum, non tantum quia discessus iste mihi noxius, sed quia tibi injuriosius est. Jesu mi, miserere mei, & jube me venire ad te, ad te DEum meum & omnia.

Proposita. Vivam deinceps vitam longè aliam, talem scilicet, ut ex eorum numero esse possim, qui audient felix illud : venite : præsertim oblectabo sequentia. 1. Nihil faciam palam vel occultè, quod aliquando manifestatum mihi ruborem possit incutere ; & quod hætenus feci, confitebor sincerè, nihil unquam in Confessione omittendo, aut minuendo. 2. Melius utar beneficiis DEI v. g. sanitate meâ, talentis meis, concesso mihi tempore, parentum sumptibus, bene agendi occasionibus. 3. Te Judicem meum, ô Jesu, jam conciliare conabor ; non tractabo irreverenter in templo, præcipue in Communione ; non offendam præcipue hoc

peccato NN. quotidiana opera bene peragam.
4. Cum nullum refugium sim habiturus nisi apud DEum, hujus solius amicitiam quæram, non sociorum; illorum etiam monita & increpationes libenter audiam, qui salutem meam quærentes, ab occasione aliqua periculosa me avocant, aut aliquid mihi salubre licet molestum, inculcant. 5. Ut sententiam felicem audiam, faciam ea, quæ talem promerentur, opera scilicet bona: vincam molestiam in surgendo, studendo, orando: vincam me in fugienda hac consuetudine, in fugiendo loco illo &c. O quomodo lætabor cum Aloysio meo, si eum jam fuero imitatus in declinando omni eo, quo Divina Majestas offendi potest! Veniam jam ad Christum per orationes, quas nunquam omittere, per industriam in studiis, per frequentem & devotam S. Communionem, per obedientiam in electione statûs; non discedam à Christo per ullum peccatum, ne audire debeam: discedite à me.

Petitio. Tu Domine, qui solus confortare infirmum potes, roboram me in hac voluntate mea, quam de tua gratia concepi. *Anima Christi &c.*

Ad Christum. Intonas super me judicia tua, Domine, & timore ac tremore concutis omnia ossa mea, & expavescit anima mea valde. O Christe Jesu, non intres in iudicium cum servo tuo! Non cogitavi, rem adeò terribilem esse judicari à Te, alias vitam longè dissimilem egissem.

egissem. Dedisti gratiam, ut veritates adeo salubres agnoscerem, & sanctiora contilia caperem, da, quæso, & gratiam novam implendi. Rex tremendæ Majestatis, qui salvandos salvas gratis, salva me fons pietatis! Recordare Jesu pie, quod sum causa tuæ viæ, ne me perdas illa die &c. ex hymno: *Dies ira.*

Ad B. Virginem. O Mater misericordiarum, Mater Judicis mei! hanc mihi potenti tuæ intercessione gratiam impetra, ut Judicem meum nullo amplius peccato offendam, sed Eum per vitam Christiano dignam mihi conciliem. Ora pro me, ne æternum ab illo separer. *sub*
uum praesidium confugimus &c.

Consideratio IX.

De Pœnis Inferni.

Recitatâ Oratione imaginare tibi voraginem aliquam tetram, flammam undique eructantem, tenebris formidabilem, spectris horridam, plenam Damnatis vario tormentorum genere cruciatis. Pete à DEO gratiam agnoscendi, quantas in orbe altero pœnas DEUS peccatoribus destinaverit, ut ad cavendas ejus offensas compellaris.

Pars I.

Pœnæ Corporis à Damnato sustinendæ.

Doctrina cum reflexionibus. Res, quæ in manibus est, usque adeo terrificæ Sanctis ient
per

per visa, ut ad solam ejus memoriam contremuerint. *Totus tremo atque horreo*, ait S. Bern. *ad memoriam istius regionis, & concussa sunt omnia ossa mea.* Sed descendamus in Infernum viventes, ne descendere cogamur morientes; nullus enim, qui gehennam habet ante oculos, incidet in eam. Quid verò est Infernus? hoc enim videndum est primò. Quid est Infernus? explicari si à me posset, Infernus non esset: describi potest, adumbrari potest, explicari non potest. In Evangelio vocatur: *Locus tormentorum.* Est Infernus locus in medio terræ ad peccatores æternum puniendos à DEO destinatus; locus horroris & confusionis; abyssus omnium miseriarum; locus tormentorum; hoc est, ubi non nisi tormenta, non nisi cruciatus, non nisi supplicia; ubi bonum nullum, nulla requies, nullum solatium. Damnatorum enim status cum pura sit infelicitas, nihil potest admittere jucunditatis: qui eò detruditur, valde dicere debet universis & corporis & animæ bonis. Considera, quid quid potes, serenum dièi jubar, vernantes campos, ludos, convivia, opes, famam, honores, amicitias, & si quæ sunt alia, quæ hominem possunt oblectare, & dic: nihil ex his omnibus ad damnatos pertinet. Finge ergo, damnatos omni carere pœna; non sit in inferno, nisi sola hæc bonorum omnium carentia; an non infernus abundè esset formidandus? vivere semper sine requie, sine solatio, sine pace ô quid est? quam durum accidet homini, qui tantopere ve-

luptatibus adhæsit! Cùm verò infernus sit etiam collectio omnis mali, ò quàm redditur formidandus! Nunquam in mundo cumulus malorum omnium premit; unum tantum alterumve affligit: non omnibus simul membris laborat æger; ast inter inferos omnis dolor, nullum gaudium; omne malum, nullum bonum; verbum. Locus tormentorum est.

Quæ verò & qualia in inferno tormenta sunt, quanta illa sunt? Studiosus quidam apparuit Magistro suo, hoc ipsum quærenti respondit, non quærendum est, quales in inferno poenitentia sint, sed quales non sint; quia omnes ibi sunt. Magnitudinem quod attinet, communis doctrina hæc est: minimum inferni tormentum minus est omnibus illis suppliciis, quæ ab hominibus vel excogitata sunt, vel excogitari possunt. Hinc fuit, qui redivivus à morte, visis antea inferni suppliciis, terribilem egit poenitentiam: quærat tibus verò, quomodo adeò terrificam tolerare valeat, reposuit: acerbiora vidi! acerbiora vidi. Imaginare tibi hîc nonnihil varia tormenta, quibus Sancti Martyres affecti sunt, & cogitare, quibus omnibus acerbiora esse inferni supplicia. Fuit Martyres, qui virgis multoties cæsi ad cruorem excoriati vivi, lapidati, per medium secti sunt, quorum vulneribus acetum cum sale infusum, qui craticulæ ardenti fuere impositi, aut vi lento igne combusti; qui mille aliis modis cruciati sunt. Acerbiora his omnibus sunt inferni supplicia. Quin S. Chrysostr. dicere ausus est hæc

hæc omnia ludicra tantum esse, & jocos, si tormentis infernalibus comparentur. O Studiose, si ludicra, si joci sunt, quidquid passi sunt Martyres, quidquid barbaries excogitavit humana, quidquid mens humana concipere valet, quanta, o quanta necesse est, sint inferorum tormenta!

Numerum videamus. Quot ergo pœnas peccatoribus in loco hoc terribili destinavit vindex DEus? Numera stellas, si potes; numera arenas in littore maris. Scripturæ oraculum est: *Omnis dolor irruet super eum.* Omnis dolor! ah quid hoc? Collige, quotquot in mundo vides, audis, legis morborum genera, & dic: ista omnia & multò plura sunt inter inferos. Nullum ibi membrum, nullus sensus absque pœna & dolore.

I. Oculi torquentur videndo squallorem & horrorem carceris, nigredinem fumi, tenebras Cymmeriis terriores, ignium volumina usque adeò grandia, ut nullius ne Babylonicæ quidem fornacis flammæ conferri possint; videndo damnatos varios variis suppliciis cruciatos; videndo instrumenta tormentorum, catastas, rotas, ignes, serpentes; videndo turpissima spectra dæmonum; quorum tanta est foeditas, ut viso eorum uno S. Catharina Senensis dixerit, malle se per viam prunis ardentibus stratam ad extremum usque mundi diem incedere, quàm tetrum adeò monstrum iterum intueri. Sic nempe plectit Divina Justitia abusum oculorum; sic punit aspectum imaginum turpium, rerum inhonestarum, alterius sexûs personarum. Sic puniet
 S 3 tuam,

tuam, mi Studiose, oculorum libertatem, nisi te corrigas. Cave, oculos tuos in objecta illicita conicias, nisi sic torqueri inter inferos velis. Terribile esse hoc oculorum supplicium ex eo collige, quòd sine nausea & horrore non possunt aspicere ægri alicujus ulcera, cadaver aliquot jamjam à vermibus arrosum &c. & quid hæc sunt, si inferno conferas?

2. Aures cruciantur non audiendo nisi tua convitia & exprobrationes, quibus damnati se invicem lacesunt, atque assidue execrantur audiendo horrendas vociferationes, ululatus, rugitus, maledictiones, latratus tot bestiarum quot damnatorum; audiendo stridorem detritium, planctum & fletum, gemitum intolerabilem ex desperatione ortum, strepitus catenarum, ollarum bullientium fremitus, dæmonum illusiones, damnatorum sociorum suam insaniam deplorantium lamenta. Sic plectit Divina justitia peccata per auditum commissa, audiendæ detractiones, cantilenas obscenas &c. Sic perdetur te quoque, si aures tuas non obturaveris ad cantilenas ejusmodi, aut sociorum malorum invitationes. Terribile esse supplicium, ex eo collige. Musica etiam suavissima, si nimis clamore infantis, de latratu canis, de stridore januæ &c. quàm molestæ accidunt nobis ejusmodi! Et quid sunt inferno collatæ?

3. Odoratus damnatorum torquetur fœtor terribili. Major in inferno fœtor est, quam quem

quem omnia mortuorum cadavera exhalant. Finge tibi campum aliquem amplissimum, bestiis putrefactis conspersum: ô quis fœtor! quàm intolerabilis! Accedit, quòd in die iudicii omnes mundi spurcitia, omne lutum, omnes sordes confluxuræ sint in Tartara. Ipsa damnatorum corpora fœtorem adeò terribilem exhalabunt, ut vel unum eorum, teste S. Bonaventura, orbem universum posset inficere: quid ergo tot eorum millia agent? Fœtor hic oritur etiam ex pice, sulphure &c. Et sic punit DEus delicatulos illos, qui tantam in odoribus preciosis, in pulvere cyprio, in floribus &c. vanitatem quærunt. Puniet etiam te, si ejusmodi ineptiis nimium adhæreas. Terribile esse supplicium, ex eo collige, quòd modicum quemcunque fœtorem è candela extincta, è carcere, è fimo, è sordibus ferre non possint delicatæ nares. Et quid hæc sunt infernali fœtori collata?

4. Gustus cruciatur fame & siti planè terribili, aut cibis talibus, qui horrorem potius & cruciatum augeant, sulphure scilicet, pice, serpentibus &c. *Ignis & sulphur pars calicis eorum*, ait Scriptura. Sic punit DEus excessum in cibo & potu; sic intemperantiam in hospitiiis, sic potationes, sic convivia nimia, sic linguæ vitia, loquelas turpes, mendacia, detractiones &c. castigat. Te quoque sic castigabit, Sturdiose, si in cibo & potu sis intemperans, si linguâ abutaris ad loquenda turpia, ad canenda

S ↑

in ho-

inhonesta &c. Terribile esse supplicium, ex eo collige, quòd grave tibi accidat unius etiam horulæ sitim perferre. Et quid hoc inferno collatum?

5. Tactus, uti plùs ac cæteri sensus peccavit, ita terribiliùs punietur. Sentit damnatus in corpore suo primùm flammam illas ardentes, illisque se prorùs immersum esse conspicit: o quo dolore! sentit dolores quoscunque excogitabiles, quibus hac in vita humana cruciari potest infirmitas: sentit dolores dentium, o quàm vehementes! dolores calculi, o quàm acerbos! dolores colicæ, o quàm intensos! dolores capitis, manuum, renum, viscerum, quos non? Cruciatur Tactus cubatione durissima, non in lecto molli, sed super prunas acedentes: cruciatur membrorum laceratione, verberatione, ustione, frigore, calore, modisque aliis innumeris. Atque hoc modo puniuntur DEUS peccata toto corpore admissa per otium, lus impuros, choreas, recreationes illicitas, tactus nefarios &c. Sic te quoque puniet, Si diose, si membris tuis ita abuti perrexeris: si omnia corpori & genio tuo permiseris. Terribile verò esse tormentum, ex hoc colliges, si tecum expendas, quàm te affligat lectus durior, levis dentium aut capitis dolor, leve frigus, calor nimius, aliæque non nihil molesta. Ex his, quæ dixi, vides, non fore in corpore damnati membrum, non sensum, cui sua non sit

fit destinata pœna major vel minor pro gravitate peccatorum.

Sed enumeremus aliquot supplicia in particulari, quibus damnati corpus cruciabitur, & suum cuius documentum subnectamus.

I. Inter præcipua inferni tormenta sunt Tenebræ formidabiles. *In aeternum non videbunt lumen*, minatur DEUS. Ardet equidem ignis infernalis, sed non lucet, nisi ut damnatus videat socios suos, videat dæmones, eorumque aspectu crucietur acerbius. Hærent ergo miseri in perpetuis tenebris. O quàm hoc formidabile! Nox una, ô quàm longa subinde ægro videtur! aut si quis cogatur versari in carcere, ô quàm ei molestum accidit omni solatio lucis destitui! Et quid in inferno erit? quanto horrore damnatos afficiet horridus ille carcer infernalis, perpetuis involutus tenebris! Et hæc est damnatorum pœna, quòd, dum viverent, oderint lucem, quæsierintque loca peccandi, ubi securius liberiùsque peccarent ab hominum conspectu remoti. Studiosè, num habitare poteris cum tenebris istis tristissimis in perpetuum? experire de nocte, dum fortè somnum conciliare tibi non potes; vide, quàm molesta tibi accidat lucis absentia. Quid ergo inter inferos ages? an potes tenebras illas terribiles tolerare? si non potes, cave, accedas loca illa, ubi te remotum credis ab oculis hominum, & idcirco liberiùs à te peccari posse credis: oculos hominum effugere poteris, non DEL.

2. Altera pœna est fletus. *Ibi erit fletus & stridor dentium*, ait Christus: fletus ad eò terribilis, & rugitus, & ululatus audientur. ut ad insaniam te uno momento redigerent. si ea audire jam contingeret. Cogita Neronis hortos, qui Christianos palis affigi jussit, circa hortum positos, atque ita lento igne cremari inter miseros profectò ululatus. Adverte tamen, per lacrymas infernales nullo modo egeri aut minui dolorem; lacrymæ enim illæ otiosæ sunt, & potius nutrimenta ignis. Antea damnatus unicâ etiam lacrymâ potuisset paratos sibi æternos ignes extinguere, jam nec per plures oceanos potest. Hinc S. Macarius agebat: *Ploremus, fratres, antequam migremus eò, ubi lacryma comburunt corpus.* Est autem hæc pœna immodicorum risuum, jocorum inhonestorum & lascivorum, facetiarum turpium &c. *Vae vobis, qui ridetis, quia flebitis*, minatur Incarnata Veritas: per risum intellige sollicitam nimis voluptatum illicitarum quæsitioem, verbo, factove fieri solitam. Studiosè, fletum hunc & ululatum an ferre poteris? nec inconditum infantis clamorem, nec canis latratum ferre potes; & quomodo ea, quæ dixi, tolerabis? ergo cave jocos illiberales & impuros, mendacia jocosa, voluptates illicitas.

3. Alia pœna est fames & sitis. Fames tormentum asperum. O videre posses urbem aliquam fame pressam, quàm terribile hoc foret oculis tuis spectaculum! fames per novem dies
pro-

protracta adegit homines, ut muribus, equinis & asininis carnibus, corio, fœno, quin & carne ex proprio corpore resectâ velut deliciis vescerentur miseri. Quid ergo fames unius mensis ageret? quid ageret æterna fames? *famens patientur ut canes*, ait Scriptura. O quas delicias dares damnatis, si eis proiiceres mures, asinos, fœnum &c. Habent quidem & illi cibos suos! habent bufones, habent serpentes, habent dracones, habent similia alia, ô quàm lautas cupedias! Sitis tormentum pariter terribile. Hinc Epulo ille dives guttulam aquæ tam enixè petiit. Habent quidem & fel draconum, venenum aspidum, habent sulphur; sed ô misera sitis levamenta! Pœnam hîc habes gulæ à damnatis antea exercitæ. O quomodo sapient tenellulis illa, quæ diximus, bellaria, qui jam de cibis non satis opiparè paratis conqueruntur; qui cibo quodam recenti abstinere rem credunt intolerabilem; qui non nisi lautitias in cibo quærunt! O ut sapient potus ille infernalis illis, qui jam vina optima quærunt in hospitiiis; qui minimam etiam potûs molestiam ferre detrectant! Studiosè, an poteris ferre famem hanc & sitim? experire nonnihil tempore æstivo, differ potum; experire per jejunium, differ cibos in alterum aut tertium diem. Si ita non potes, mortifica gulam tuam; non conquerere de cibis congruenter statui tuo paratis; non quære per media illicita lautitias in cibo & potu; abstine subinde

uno

uno aut altero bolo gratiores, dum prandes aut cœnas; abstine primitiis frugum v. g. pomorum, cerasorum, uvarum &c. fuge cauponas & hospitia, potationes, ebrietatem &c.

4. Tormentum aliud fœtor est: *Erit pro suavi odore fœtor.* Tu si istud ferre non potes, noli jam nimium blandiri odoratui tuo per flores, res odoriferas &c. B. Aloysius, ut odoratum mortificaret, nunquam florem decerpere notatus est.

5. Ignis tormentum infernale non postremum est. Dari hunc in orco certum est ex verbis Christi. Ignis tormentum terribile etiam in mundo censetur; hinc plerumque à tyrannis ultimò usurpatus est ad torquendos Martyres. Accede, quæso, fornacem pistoris cujusdam aut vitriarii; vide terrifica flammaram volumina; experire calorem; & ô Superi! quàm terribile esset tormentum, vivum in flammis illas abiici! terribilius est lento igne comburi. Constat ex historiis, fuisse, qui per tres aut quatuor horas vivi inter flammis steterint, antequam earum vehementiâ consumerentur. O pœnas! ô supplicium! experire vim ignis vel in modica candela: ô! ut tibi horrorem mox incutit! & quid erit incendium ingens? quin congrega unum in cumulum omnia mundi incendia, & confer flammis infernalibus: scis, quanta illa sint? S. Augustinus ait, quantus est ignis pictus, si comparetur igni vero, tantum esse omnem ignem nostrum infernali collatum. O Cœlites quid hoc? ignis pictus

pietus sit omnis noster ignis infernali collatus, licet magnus sit & vehemens? ignis pictus? quid ergo, ô quid erit ignis ille tartareus? ignis in furore Domini succensus? O quàm triste foret spectaculum videre damnatum aliquem flammis & incendiis undique involutum! totum, totum ignem cerneremus. Ignis est sanguis ejus, ignis oculi, ignis nares, ignis os & labia, ignis facies, ignis manus, ignis pedes, ignis ossa, ignis medullæ ossium, omnia, omnia ignis, omnia flammæ. Spectaculum acerbum visu, quid dicam toleratu? Ignis iste terribilis potissimum pœna est ignis alterius, quem in hominum, præsertim adolescentum animis hostis tartareus succendit. Quis ille? lascivus est, & impurus. Hoc est, ignis infernalis pœna est libidinis & impuritatis cogitatione, verbo, opere admiffæ; sive fiat per tactus nefarios, sive per aspectus illicitos, sive per loquelas & cantilenas impuras, sive per lusus inhonestos, sive alio quocunque modo: est pœna peccati, quod Castitati adversatur. O mi DEUS, quàm multos tartarea hæc flamma in juventute corripit! scintillam concipiunt innocentes multi, dum sermonibus liberioribus, aut lectione impurâ, aut aspectu inhonesto se pascunt; quæ scintilla, ô in quàm tetra erumpit incendia! Studiose, age, sincerè mihi ediffere, potesne habitare cum igne illo tartareo? potesne? ah timeo, ne minimè possis: video enim, quòd modicum quemcunque calorem ferre nequeas; quomodo ergo ignes illos feres? discendum ta-

men

men est, si peccare velis. Age, candelam accende; extende manum tuam; candelæ ardenti saltem digitum unum impone; tene immotum. Quamdiu hoc fiet? ah! mox retrahes. Quid si ergo major foret ignis ille, quid ageres? an sustinere posses? multò minùs. Quà ergo tandem ratione ignes tartareos feres, cum pictum hunc ignem non valeas sustinere? quomodo peccare audes, si ignem illum ferre non valeas? Imaginare hîc tibi rogam aliquem ardentem: veniat, qui tibi ponat in mensa potum dulcissimum, cupedias gratissimas, thesauros ingentes, totum etiam regnum, dicatque tibi: ecce hæc omnia dabo tibi, si per unicum etiam quadrantem tantum, imò si per spatium, quo una Oratio dominica recitari potest, in rogo hoc ardenti sedere velis. Quid dices? an rebus propositis frui desiderans in ignem te coniicies? res revera magnæ sunt; spatium doloris breve. Quid eliges? si bene te novi, procul, procul ista, iniquies; desiperem, si hoc agerem: tanti ardere non emo: si non unum modò, sed mille adderes regna, tam chara mihi non sunt, ut eorum amore has flammæ subeam, licet & periculum mortis abesset. Prudens foret hæc tua responsio. Vertamus jam rem. Finge, thesauros illos & regna & cupedias jam esse tua: veniat, qui te arreptum iniicere vellet in rogam illum accensum, ut per unius horæ quadrantem ibi arderes, nisi thesauros omnes & regna & hortos & palatia ei concederes. Quid, quæso, eligeres?

quid

quid ageres? an malles retinere ista omnia, & brevem accensi rogi calorem tolerare? revera non ageres. *Ite, ite sceptrâ, diceres, ite opes & voluptates omnes, tantum vos non amo, ut vos retenturus tanta pati velim. Et ista sana responsio foret. Jam verò animum tuum adverte: attende, mi Studiose: minatur DEUS rogos tartareos, minatur flammâs non ad unius horæ spatium, sed in æterna sæcula duraturas, nisi dimittas voluptates illas illicitas, quas in peccato illo, in illa impuritate quæris; nisi recedas à consortio illo pravo; nisi extirpes consuetudinem illam detestandam; nisi, ut rein verbo, à peccato desistas. Quid ages? ad eone chara tibi voluptas illa est, illa amicitia an adeò jucunda, illud gaudium in peccato quæsitum adeò ingens, ut malis incendium eligere perpetuum, quam istis valedicere? Expende seriò, & responde. Promittit tibi dæmon voluptatulam in peccato, in otio, in lusu, in potationibus, in lascivia; ex parte altera DEUS ostendit ignem, quem non ad quadrantem horæ, sed per omnem æternitatem sustinere cogêris, si voluptatem tibi oblatam eligas. Quid ages? an, ut voluptate istâ fruaris, æterna vis subire incendia? Stultissimus profectò es, si ita decernas. Rogum per quadrantem sustinere non vis pro regno integro; & pro voluptate levi vis orcum sustinere? quæto, ubi mens? ubi ratio tua? Obsecro te, expende rem hanc seriò, & statue, ab omni voluptate illicita, præsertim impurâ abstinere: statue,*

omnia

omnia peragere, quæ DEUS præcipit, licet molesta, ut evadas ignes perpetuos. Cave ab omni umbra peccati, quod Castitati adversatur. Ardor gehennæ extinguat ardorem libidinis. Maxima juvenum pars peccato huic ruinam debet in vita hac, utinam non & damnationem in altera! Hoc certum, si centeni damnantur juvenes, nonaginta novem ob detestabile hoc vitium damnari. Tu fuge, tu detestare: si verò immerfus luto hæres, eripe te quamprimum. Inferni memoria omnem ejuscemodi voluptatem tibi reddet invisam. Josaphat princeps regius ad violandam Castitatem tentatus in somno videt paratos sibi ignes perpetuos; audit vocem: hic sceleratorum carcer est, qui se foedis adeò peccatis contaminant. Rediit ad se è somno, & omnem voluptatem illicitam execrabatur illicò. O Studiose, carcer ille pro te est, ignes illi pro te sunt, nisi caveas à peccato adeò terribili, aut contractam fortè jam consuetudinem extirpes.

6. Societas in inferno non leve tormentum est. Ut si societas beatorum in Cœlo ingenti beatum gaudio afficit; ita incredibili modo damnatum torquet societas infernalis. Habet damnatus socios dæmones, de quorum immani foeditate nihil hîc disseram: insultabunt isti & exprobrabunt misero damnato, cur ita amens fuerit, ut relicto DEO adhæserit dæmonibus; cur fidem his habuerit; cur sponte elegerit pœnas istas &c. atque ita ridebunt in interitu miseri.

Habet

Habet & socios eos, quos scelerum complices habuit; demum damnatos omnes. Ne verò ex ipsa hac societate solatium speres; nam quot damnati, tot pœnæ novæ, tot nova tormenta. Finitur omnis in inferno amicitia. Hic frater in fratrem, socius in socium, filius in patrem, amicus in suum antea amicum exurgit, eumque quovis dæmone torquet crudelius. Pœnam hanc ideo infligit DEUS; quia damnatus dum viveret, contemptâ DEI amicitia, quæsit humanam. Studiose, paucis absolvo supplicium hoc re ipsa terribile. Unum quæro: potesne habitare cum dæmonibus, cum damnatis? Certus esto, tui ipsi socii, qui te jam velut amici optimi invitant ad illicita, tormenta tua augebunt in immensum; tu verò eos velut interitus tui causam execraberis frustra & nimis serò. Nunc, quæso, oculos aperi, & sceleratam amicitiam detestare! fuge socium, qui te à pietate aut studiis avocat: neque dæmoni adhæreas peccando, nisi æternum adhærere ei velis patiundo.

Reflexiones. Christus postquam mentionem fecisset fletûs & stridoris dentium in inferno futuri: Intellexistis, aiebat, hæc omnia? Idem ex te jam quære: an intellexisti omnia, quæ dixi? an intellexisti, quid sit infernus, quæ ibi, quot, & quàm terribiles pœnæ? quid concludis, quæso? Pauca dicam; quia suo jam loco inserta sunt, quæ hic poni debebant. 1. Est in inferno privatio omnis boni; ergo stultè agit,

T

qui

qui privationem hanc peccando incurrit, ne
 privet levi aliquo bono. Voluptate brevi ad
 lectus peccas? stultè agis; quia sic, ne te pri-
 ves voluptate parvâ, privationem omnium vo-
 luptatum accersis. Vis frui voluptate? fugi-
 jam hanc levem, quam in peccato quæris; alia
 eâ non poteris per æternitatem frui. 2. Audi-
 visti infernum esse locum tormentorum. Quare
 denuo ex te: an poteris sustinere tormenta
 illa omnia? an poteris habitare perpetuò cum
 fame & siti, fœtore & fletu, cum igne perpe-
 tuo? quære ex manibus tuis, ex lingua, ex oca-
 lis, ex corpore tuo toto, an recensita tormen-
 ta tolerare valeat? Vereor, vereor, ne non
 possis. Auram calidiorem ferre non poteris
 unius dentis dolor propè ad insaniam te adigit
 ne unâ quidem nocte immotus jacere in lecto
 potes; horres cilicium; flagelli etiam nomen ti-
 mes; quâ ergo ratione infernum feres? O fr-
tres mei, exclamat Bernardus, qui jam modicum
febrim ferre non potestis, quid facietis, quantum dolo-
bitis aeterno illo incendio absorpti? quid facies tu-
 ô Studiosè? si ferre potes, audacter pecca; si non
 potes, aut disce, & assuesce, aut peccatis illis
 abstine, quibus pœnas illas à DEO statutas esse
 audivisti. Miserere tui corporis, & ama illud
 amore sancto. Si terribilis nimium videtur
 pœna in oculis sustinenda à damnatis; mortali-
 fica oculos, nihil illicitum intuere: si aurium
 tormenta ferre non potes; obstrue illas ad se-
 mones turpes, ad sociorum invitationes &c.

Si gustûs , si odoratûs , si tactûs supplicia te terrent ; cave ab omni vitio gulæ & linguæ ; non adeò molliter habe corpus tuum , omnia ei concedendo ; non extendere audeas manum ad illicita &c. si te terrent tenebræ ; cave , quæras locum , ubi clam peccare possis : si foetor , si fletus tibi gravis videtur ; cave risus & jocos scurriles ; cave vanitatem nimiam in mulcendo odoratu. Verbo : vide , quibus peccatis supplicia illa dixi infligi , & ea fuge , alias pœnam non effugies in æternum.

Affectus. Anima mea , quid agimus ? audisti , quàm formidanda res sit infernus. Nunquam eheu ! antea expendisti , quantum malorum sub una hac voce delitescat. O locus tormentorum ! privatio omnis boni ! cumulus malorum omnium ! ô tenebræ ! ô foetor ! ô fames ! ô ignis ! ô inferne , quantum te formido ! quomodo ego te sustineam ? non possum , ah non possum tam immania ferre supplicia ! O juste Judex ultionis , agnosco & timeo justitiam tuam ; agnosco , quàm terribilem sumas de peccatoribus vindictam. Domine , non possum pœnas tam horridas sustinere ; video , delicatus nimium sum : modicus me dolor vexat ; & quid facerent dolores illi terrifici & innumeri ? Magne DEus , DEus clemens & misericors , ne damnes me ! Tu Jesu Crucifixe , qui de Cœlo descendisti , quærere & salvum facere , quod perierat , miserere mei ! per pretiosissimum Sanguinem , per mortem tuam , Te rogo , miserere mei ! Ne damnes me ! ne pretium

tium Sanguinis tui in me perire sinas! ô fontem misericordiæ, si omnes labores tui, omnes dolores perdit in me sunt, quid eos tolerasse prodest? Ne permittas me damnari, quem pretioso Sanguine redemisti! Recordare Jesu pie, quod sim causa tuæ viæ! Doleo ex corde, quod hactenus non serviverim tibi, ô DEUS, & sic tantorum suppliciorum me fecerim reum. Doleo, atque utinam, dolorem hunc meum cruentum etiam lacrymis testari possem! testabor operi mi Jesu, non admittendo posthac aliquid, quo te offendam, & tanta merear supplicia.

Proposita. Ita est, mi Jesu, nihil admittam, quo te offendam, quo tanta merear supplicia præcipuè observabo sequentia. 1. In occasione peccandi recordabor eorum, quæ jam consideravi, & quæram ex me: poterone ferre tormenta infernalibus? atque ita coërcebo me, ne peccem. 2. Cum infernus sit privatio omnium voluptatis, & hanc ego incurram, si nolim me privare voluptate aliquâ illicitâ, malo jam carere hac, aut illa voluptate illicitâ, quâ frui possem in otio, consortio pravo &c. quam hanc captando omnem mihi voluptatis spem adimere. 3. Cum in inferno sit omnis dolor, & ego nimis delicatus ferre etiam levem dolorem nequeam, fugiam omni conatu peccatum, ne tanto vario & terribili dolore plectar. 4. Ne puniantur oculi, eos non usurpabo ad videnda illicita. 5. Ne puniantur aures, obstruam eas ad sermones minus castos, aperiam verò bene mo-

monentibus. 6. Ne puniatur odoratus, omit-
tam quærere vanitatem in odore delicato,
mortificabo me exemplo S. Aloysii in rebus
odoriferis. 7. Ne puniatur gustus, fugiam ex-
cessum & lautitias in cibo & potu; mortificabo
me subinde per jejunium, aut abstinentiam ab
uno alterove bolo gratiore, à fructuum primi-
tiis. 8. Ne tactus puniatur, nolo tangere in-
honestas; non refugiam molestias in frigore aut
calore, si ita exigat obsequium DEI; non hor-
rebo mortificationes leviores. 9. Ne pati co-
gar pœnam tenebrarum, nunquam quæram
loca, ubi separatus ab hominibus peccem libe-
rius; cogitabo: Deus me videt. 10. Ne pati
cogar fletum infernalem, deslebo jam & expia-
bo peccata mea; nunquam tractabo jocos in-
honestos, nunquam risus illiberales. 11. Ne
famem & sitim ferre cogar, non blandiar ni-
mium gulæ meæ; mortificabo me in cibis aliis
gratoribus; nunquam de cibis meo iudicio non
adeò bene paratis conquerar. 12. Ne tolera-
re cogar ignem terribilem, nunquam permit-
tam, ut concipiam ignem illum fœdum impu-
ritatis; omnem umbram peccati, quod castita-
ti inimicum est, abominabor; ne ob levem adeò
voluptatem in æterna incendia me deiiciam.
13. Ne cum dæmonibus æternùm cogar ha-
bitare, nolo eis jam obsequi; sociorum invita-
tiones reiiciam; ne eos habeam in inferno car-
nifices meos & tortores: Verbo: fugiam pecca-
tum: vincam me.

Petitio. Christe Jesu, per sacra Vulnera tua, obsecro, da mihi gratiam, ut constans in voluntate hac permaneam, ne pœnas illas horrendas sustinere cogar. *Ora quinquies Pater & Ave in honorem Vulnerum Christi.*

Pars II.

Pœnæ Animæ damnatæ.

D*octrina.* Terribilia sunt, quæ hæctenus de inferno proposui; sed levia, imò nulla sunt, si conferantur cum illis, quæ supersunt. Pœnas Animæ jam videamus, quarum tamen aliqua etiam corpus concernunt. Has alii uno nomine vocant Vermem conscientiæ, de quo Scriptura: *Vermis eorum non moritur, & ignis eorum non extinguetur.* S. Augustin. Inter omnes tribulationes humanæ animæ nulla est major tribulatio, quàm conscientia delictorum. Multa autem sunt, quæ nomine hoc comprehensa damnatum torquent, quoad Potentias Animæ, ut vocant singulas.

Memoria Animæ damnatæ, quoquò se veritatis doloris materiam reperit. Respicit præterita & recordatur voluptatum, dierum genialium, honorum, libertatis, aliarumque, quibus antefruebatur, illecebrarum. Hæc omnia uno momento videt esse amissa. O quàm hoc grave accidet illis, qui in vita suo genio solùm indulgere laborârunt in omnibus per recreationes, cibos, lusus, & nescio quæ illicita. *Ego ille quondam opulentus, gemebat Job in fimo sedens.*
Ego,

Ego, ego ille quondam è genio meo vivens, ambulatione, lusu, cibus me pro libitu recreans: ego nuper in lecto suavi; jam super carbones ignitos: ego nuper libertati deditus huc illuc vagabar, quòlibuit; jam vinculis undique constringor: ego nuper inter jocos, choreas & risus, inter potationes & convivias; jam fame & siti premor &c. Ah ubi sunt voluptates illæ meæ? ubi libertas? Transierunt omnia velut umbra. Hæ erunt damnati cogitationes; erunt & tuæ, si jam illicitis frui persistas. Supplicii hujus gravitas ingens est. Quære Bellitarium aliquem è felicitate summa et honore ad carcerem, ad cæcitatem, ad stipem corrogandam dejectum, an non acerbissima accidat præteritæ voluptatis recordatio? De voluptate dum loquor, est, quod maximè à te observari velim. In quovis peccato quæritur ab homine delectatio aliqua sive vera, sive apparens tantùm: hæc sæpe momentanea tantùm est, citò transit, subitò evanescit. Jam animum advertite. Damnatus recordatur voluptatis illius, quam in peccato quæsit, quàmque ut obtineret, DEum offendit, & tanta sibi accersivit supplicia. Hujus dum recordatur ah! ah, quis exprimet tormentum, quo torquetur infelix! Heu me! heu me! quas ob nugas, inquiet, ob quæ crepundia, ob quas vanitates me in orcum dejeci? ô execranda, ô maledicta voluptas! tantine ergo erant illa scelerum irritamenta, tantine æstimanda præmia, ut eorum gratiâ me ad inferos deturbarem? ô

T 4

quan-

quantillâ re cruciatus hos redimere potuissent!
 Jonathas occidi jussus à Saule, hoc unum acer-
 bissimè sentiebat, quòd ob rem adeò leuem
 mortis supplicium subire cogeretur; hinc gemit:
Gustavi paululum mellis, & ecce morior! observa
 voces: *paululum & morior.* Acerbiores erunt
 damnati gemitus: *Gustavi paululum mellis, pau-*
lulum voluptatis in consortio illo, in otio illo,
in impuritate illa, in cauponis &c. paululum; &
 ecce, ecce ego propter paululum hoc morior!
 ob paululum hoc tam horrenda sustineo!
 paululum! Studiosè mi, hi erunt certè gemitus
 damnati: erunt & tui, si damnaris. An non a-
 gnosces, paululum fuisse, quod jam quaris in
 peccato illo tantopere DEO displicente; pau-
 lulum voluptatis in domo illa impia? paululum.
 O quàm acerba erit hæc recordatio! si sapias,
 paululum hoc detestare & fuge, ne serò nimis
 deploras.

Cruciatur præterea Memoria recordatione
 occasionum, quas habuit, DEO serviendi, vi-
 vendi sanctè, pertingendi ad Cælum. Tempus
 non erit amplius; non occasio vivendi sanctè,
 & salutem suam operandi. Tempus abiit, oc-
 casio elapsa est. O quantus exinde in animo
 damnati dolor! Cogitabit infelix: ah me! ha-
 bui tempus, quo poteram servire DEO, pecca-
 ta admittam deplorare, orcum evitare; habui: jam
 præter tristem memoriam nihil superest. Ah! in
 illo loco tot horas, medios etiam dies perdidit
 otiosè confabulando, in plateis stando, somno
 ni-

nimum indulgendo &c. ô si vel momentum mihi esset reliquum ! ô si vel particulam temporis haberem, temporis, inquam, illius, quod adeo stultè dilapidavi ! Quis det mihi, ut sim juxta menses pristinos ? ô insanum me ! poteram tunc pœnitere : possem jam esse beatus, si tempore illo bene usus fuisset. O utinam, utinam maledictam illam amicitiam rescuissem ! utinam illam occasionem fugissem ! utinam illam exhortationem, illud amici consilium secutus fuisset ! ô utinam in proposito illo, quod feci, permanissem ! utinam frequentius peccata mea expiâsem ! utinam generosè vicissem respectum vanum, quo impulsus nolui discedere à sociis, qui à studiis aut pietate me avocabant, aut ad illicita ducebant ! obtulit mihi DEUS occasiones multas, terruit per inspirationes. Scio adhuc, monuit me Confessarius, ut seriò incumberem in extirpationem pravæ consuetudinis, aliàs timendam mihi esse vindictam DEI : ô utinam obsecutus fuisset ! Monuit me amicus meus, ut seriò negotium vocationis tractarem ; non eligerem sæculum ex miseris illis causis, quibus movebar, recusandi statum Religiosum, quò tamen impelli me sentiebam : ô utinam paruissem ! Scio, quando nuntium accepi de morte alterius sodalis, habui hanc inspirationem : fieri potest, ut & sic tu moriaris, & pereas ; dispone domui tuæ : ô utinam obedivissem ! ô quam facilè salvari potuissem ! uno momento licuit, quod æternitas omnis negabit. Sic gemit damnatus,

T s

mi

mi Studiose; nulla enim acerbior pœna est, ac memoria neglecti temporis. Memoriam hanc deponere nunquam potest infelix homo: *dolor meus in conspectu meo semper.* Damnatus quidam quæsitus à S. Huberto, quantum dolore hoc torqueretur, reposuit: Infernus inferni est, memoria neglecti temporis. Obsecro te, Studiose, an non & tu ita gemeres, si infelix hæeres inter inferos? an non acerbissimum tibi foret cogitare: ô quàm facile salvari potuisses! quàm facile damnationem declinare! Potest vera Studiosus facili negotio salvari; cum tot occasiones confitendi, communicandi, orandi, sanctè vivendi habeat. Ergo dum tempus habes, operare bonum; nulla particula temporis otiosè perdatur; aliàs timeo, ne hoc serò nihil miùm deplores & ingemiscas: ô si vel momentulum haberem!

Intellectus damnati duas sibi funestissimas imagines semper videt observari, quibus torquetur plurimum. Prima est, Cœlum culpæ propriâ amissum. Secunda, Pœnæ perpetuò tollerandæ. Quod primam attinet, hæc semper damnato occurrit cogitatio: Cœlum perdidisti. O quo dolore miser has voces, hæc tonitrua excipit! Esau, quando primogenituram vili vendit pretio, abit parvi pendens: ubi verò paternæ ei negatur benedictio, irrugit clamore magno: antea parvi pendens, jam irrugit. Non secus peccator peccando vendit Cœlum, abit parvi pendit, sine timore est; non curat, si ei
incla-

inclames: Cœlum perdidisti! At verò dum negato Cœli aditu deturbatur ad inferos, ô quo clamore rugire incipit, suamque detestari insaniam! Tum scilicet oculos aperit, & quid Cœlum sit, intelligit. Apprehendet ergo damnatus, quanta sint Beatorum gaudia, quæ felicitas; & considerabit se ad eum finem fuisse creatum, ut gaudia tanta obtineret, quæ jam suâ culpâ neglexit; tum enim verò exardescere dolor, tum furere, fremere, ululare, rugire miser. *Videntes turbabuntur timore horribili*, ait Scriptura. S. Chrysoft. affirmat, decem mille gehennas tanto non fore supplicio damnatis, quanto est, à Beatorum gloria excidisse. Lysimachus Rex siti graviter pressus, totum regnum suum uno haustu aquæ hostibus vendidit: vix sitim levârat, cùm ecce cognoscens insaniam suam exclamabat: ô me miserum, qui me regnumque meum tantillo corporis oblectamento perdidisti! Damnatus, qui vili voluptate in peccato quæsitâ, regnum cœleste perdidit, horrendum inter inferos identidem ululabit: ô me miserum, qui me tantumque regnum tantillo oblectamento perdidisti! Adverte, duo dicit: Regnum perdidisti, vel vendidisti; hoc primum est: tantillo oblectamento; hoc alterum. Regnum vendidisti, ô quale illud, & quàm felix? fruuntur jam eo condiscipuli mei, socii & fratres mei; ego exclusus æternum! Ah non ideo creatus fueram, ut hîc inter inferos torquerer, sed ut æternum in regno illo lætarer! ô si id operis præ-

præ-

præstitissem! jam viverem in regno illo beatus
 viverem, ut condiscipuli illi mei, æternum fe-
 lix. Ah! vivit ibi ille, & ille notus meus, ami-
 cus meus, à me olim contemptus; ego, ego
 regnum perdididi! ô Cœlum, sicne in æternum
 te perdididi? tene ergo cum hoc tormentorum
 loco commutavi? ô jactura! periit finis meus,
 & spes mea à Domino periit! Verum ô vulnus!
 quantillo oblectamento periit! ah pro tantilla
 voluptate, quam in peccato illo quæsivi, pro
 tantilla voluptate Cœlum perdididi! ô paululum
 mellis! si mundum universum obtulisset da-
 mon, non debebam hoc fecisse; & ecce! ob-
 tulit tantum paululum! ô me! ô me insanum!
 O Cœlum! ô Jactura! Hi erunt gemitus: hæc
 imago versabitur ob oculos. Hinc Doctor qui-
 dam damnatus apparens, quæsitus, quid de scien-
 tia sua haberet reliquum, respondit: hoc unum
 scio, quod perdiderim tempus irreparabile; per-
 diderim Cœlum, & debeam semper ardere.
 Martinus Lutherus circa vitæ finem Cœlum
 suspiciens sæpè exclamare auditus est: Martine,
 qualem patriam perdidisti! ô qualem patriam
 perdidisti! An non hæc essent tuæ voces, mi
 Studiosè, si hæeres inter inferos? ô qualem
 patriam perdidisti! & quantillo oblectamento!
 Jam quæso te, examina, an voluptas illa, quam
 in peccato quæris, digna sit, pro qua Cœlum
 perdas? Cogita, quid sit Cœlum perdere? fuge
 modicum, paululum, momentaneum, ne per-
 das æternum & cœleste.

Al-

Altera Imago, quæ damnati animo semper obversatur, est cumulus suppliciorum tolerandorum. Poenæ simul omnes per totam æternitatem sustinendæ fatigant miseri mentem. Inde surgit furor in dæmones, ceu hostes suos, à quibus ad malum inductus est; furor in DEum ipsum, cui velut tyranno maledicit; furor in se, dum sibi ipsi, suæ insanix, parentibus, & cui non? mille imprecatur diras. Quo successu? Rident dæmones, & ei insultant. : ridet DEus in interitu impii : cæteri si damnati sunt, pariter in hunc ceu carnifices insurgunt. Studiose mi, an leve hoc & tolerabile putas? non putem ego; scio enim, reum aliquem, cui mors denunciata est, assiduâ mortis sustinendæ memoriâ non minùs affligi, ac morte ipsâ. Et quantum est audire risus dæmonum? videre se desertum ab omnibus? ab omnibus afflictum? Agrotum aliquem quære, quantum sentiat, si videat se desereri ab amicis suis; non juvari à proximis, quin etiam rideri & contemni? certè vulnus est ipso morbo atrocius. Non secus damnato erit. Quò enim se convertat miser? an sursum levet oculos? videt iratum vindicem DEum, & sentit, quanti constet eum irritâsse. An DEI aut Sanctorum opem imploret? rident in interitu hominis damnati: clausa est clementiæ janua. An ad Patronos olim suos, si quos coluit, confugiet? frustra ab eis flagitat opem; nec guttulam aquæ obtinebit. An ergo ad dæmones? tortores sunt, hostes sunt. An ad

dam-

damnatos? carnifices sunt, licet antea focii & amici. Quid ergo? an ex necessitate, ut ajunt, virtutem faciet, & patienter feret, sicut nonnulli stultè sentiunt, fieri posse? ô patientia! ô te ignarum, quid sit Infernus, si ita sentias! credisne ullam tam ferream esse patientiam, quæ vel ad horam in tantis cruciatibus possit persistere? patientiamne tu apud inferos esse credis? quæso, iniice te in fornacem ardentem; experire patientiam. Stridor scilicet dentium, fletus, blasphemix, maledictiones, hæ, hæ erunt Patientia. Ex his omnibus oritur Pœna alia.

Desperatio. *Periit finis meus, & spes mea*, gemit damnatus quilibet; periit spes auxilii, spes redemptionis. Spes lenimen est in omni malo. Aegrum spes reparandæ sanitatis consolatur. In inferno spes nulla residet, sed continua desperatio ob copiam, magnitudinem, æternitatem pœnarum. Furit subinde æger, qui diutius morbo premitur, proiicit à se omnia, homines Superosque desperabundus execratur. Ah quid damnatus aget dolore non uno, sed innumeris punitus undique & cruciatus? quò se convertet? quod tangit, dolor est; quod audit, dolor est; quod videt, dolor est; quod gustat, dolor est; omnia, omnia dolor; & spes solatii nulla. Maledicit DEO, & tamen obedire eisdem vel invitatus debet patiendò: clamat, & nemo flectitur, nemo eripit, nemo compatitur: hinc furor, fremitus, desperatio. Studiosè mihi, an levis hæc pœna est? Cogita te morbo aliquo
v.g.

v. g. uno dentium dolore, premi; jacere in cubiculo tuo, clamare opem aliorum, sed neminem succurrere die toto. Quid ages interim fame, siti, dolore pressus? finge, venne sub vesperum aliquos, quorum opem petiisti; hos vero tibi insultare, te illudere, verberibus etiam excipere. Quid ages? quo animo eris? Adde, venire Medicum, qui dicat, te toto anno sic pati debere, nec spem esse sanitatis? ô ut fures, ut fremes & ululabis miser! ô mi Studiose, & quid demum hoc est, si inferno conferas? desertus ab omnibus, ab omnibus irrisus, aut cruciatus quid ages? Considera, quæso, quod dixi, & vitam sic institue, ut tanta mala non sentias. Cave potissimum, ne DEO ad sanctiorem fortè statum vocanti aures obtures; aliàs & suas DEUS obturabit; ipse enim est, qui dixit: *Vocavi vos, & renuistis, ego quoque in interitu vestro ridebo.*

Alias Inferni pœnas non recenseo. Unam eamque omnium acerbissimam adhuc memoro. Acerbissima est; sed à nobis non capitur; quia quantum bonum DEUS sit, non agnoscimus. Pœna illa Pœna damni vocatur, atque in eo consistit, quòd damnatus perpetuo exclusus sit DEI aspectu & fruitione. Hæc quanta sit, quis explicet? *Intolerabilis est gehenna, ait S. Chryl. sed intolerabilior DEI amissio.* Quin mille inferni tormenta hoc unum non adæquant. Hoc certum est; sicut beatitudo Sanctorum est videre DEUM, DEO frui; sic Infernus damnatorum est, DEO carere. Si damnati inter recensitas

antea pœnas videre DEum possent, pœnam nullam sentirent, beati forent. Ah, si damnatus magnitudinem pœnæ hujus loqui posset! Dæmon ex obsessio fassus est, se omnia inferni tormenta libentissimè toleraturum, si vel semel daretur DEum aspicere. O si hoc agnosceremus! verùm abscondita sunt hæc ab oculis nostris. Parvulus videns matrem suam mori, non multùm curat; quia nescit, quantam jacturam patiatur. Ita & nos pœnam hanc non curamus; sed ô! ô quàm aliquando sentiemus, si eam subire cogemur!

Reflexiones. Desinamus alias inferni pœnas prosequi; sufficient dicta hæc, ut credas, rem planè horribilem esse damnari. Veniam ad particulares conclusiones, quas singulari studio lege.

1. Infernus res tam formidanda, cum omnibus suppliciis suis pro quo ergo est? pro quo conditus est à DEO? cui destinatus? quinam in eum deiiciuntur, aut deiici possunt? Scias, creatum esse infernum pro rebellibus Angelis; quando Cælo sunt deturbati, & assignatum esse pro omnibus illis, qui more Angelorum illorum nolent tendere ad finem suum, nolent DEum laudare, revereri, DEO servire: verbo, pro illis, qui essent peccaturi: pro peccatoribus est Infernus iste, sive sint Cæsares, sive rustici, sive nobiles, sive ignobiles. Deiici possunt omnes ad Tartara, qui peccant, & eo quidem momento, quo peccant, & primâ quidem vice, quâ gravi-
ter

ter peccant. Studiose mi, totum te jam postulo; multas enim & terribiles veritates proposui; si non in lapidem obriguisti, trepidabis. Infernus est pro peccatoribus; ergo etiam pro me, pro te, pro omni illo, qui DEum graviter offendit; ergo mortaliter peccans meretur puniri omnibus illis pœnis, quas recensui. Mortaliter peccans, & quidem vel semel tantum mortaliter peccans meretur fame, siti, fœtore, tenebris, igne, aliisque Orci suppliciiis puniri. Cre-disne hoc? & non toto corpore contremiscis? non horres ad peccati unius malitiam? Semel etiam tantum mortaliter peccans meretur infernum. Ah iterum iterumque hoc tecum repete: semel tantum mortaliter peccans meretur infernum. Unicus deliberatus in rem turpem consensus, unicum desiderium impium, deliberatum, unus discursus impurus cum delectatione auditus, unus tactus nefarius, unum perjurium, una Sacri die festo neglectio voluntaria meretur infernum! Sunt, sunt inter inferos, qui ob unum unicum peccatum puniuntur in inferno æternum. Sunt, qui in primo peccato mortali mortui sunt & deturbati ad inferos, æternum ibi cruciandi. Ah Studiose, quid concludis? an non aperte colligis, peccatum unum mortale rem esse tam terribilem, tam enormem, quæ nullo humano intellectu comprehendi possit? O peccatum quid es? quid es, ô peccatum? Studiose, nunquid DEus justissimus est; supra meritum non punit? punit nihilominus peccatum unum

U

pee-

poenis infernalibus; ergo peccatum sic meretur puniri; ergo peccatum res est malitiæ prorsus terribilis. Credidistine hoc hæctenus? an huic conformiter vixisti? O quàm leve fuit tuo iudicio peccatum, in quo tanto jam tempore hæres! quàm leve! Muta, quæso, tandem iudicium tuum, & certus esto, rem terribilem esse peccatum grave. Cogita sæpiùs: peccatum unum punitur à justissimo DEO poenâ infernali; ergo res gravissima, formidanda est.

2. Si peccatum unicum meretur poenas inferni; ergo qui vel semel mortaliter peccat, meretur ad infernum detrudi. Ita est. Et sic detrusi sunt Angeli innumeri ob unicum peccatum solâ cogitatione admissum; & sic detrusi sunt Studiosi non pauci; nam & DEUS, DEUS Studiosorum est, & vindex. Credis hoc? jam ergo attende, quid loquar. Qui semel graviter peccat, meretur detrudi ad inferos; peccâstine semel saltem graviter? loquere sincere: quaere conscientiam. Fortè non semel tantùm, sed vicies, centies & ampliùs peccâsti graviter. Quid ergo meritus es? Peccans graviter meretur infernum: peccâsti graviter; quid meritus es? fatere & contremiscens dic: eheu infernum sum promeritus! Si mortuus essem in illo loco, illo tempore, quo peccatum illud grave feci, hærerem jam inter ignes illos terribiles. Sic est, mi Studiose, vera loqueris. Jam ex te quaero: si promeritus sis infernum, cur nondum in eodem ardes? cur non eò detrusus es in peccato, sicut

sicut Angeli rebelles, sicut Studiosi plures? Quis te servavit? quis? dicam, tu si potes, non obstupesce. DEUS, DEUS, & quidem (ad quod Cœli omnes obstupescant) DEUS à te offensus te servavit, ne in peccato morereris, & æternum perires. O mi Studiose, hoc dum audis, quales, quæso, cogitationes ascendunt in corde tuo? DEUS à te offensus per tot peccata, iste DEUS te servavit, ne perires. Si hic te non servasset, arderes jam inter Tartara, æternum creatura infelix. Tardasne adhuc, ô Studiose, nec humi te abiicis, pedibusque Salvatoris advolutus exclamas: ô Jesu! ô Jesu mi! quid est hoc? ô Jesu! ô Jesu mi! ô misericordia! ô bonitas! tu me servasti, ne perirem? tu me servasti, ne damnarer? ô Jesu! ô bonitas! quid enim aliud dicam? Optarem hinc, mi adolescens, ut præter morem prostratus coram Crucifixi effigie, gratias DEO tuo ageres pro beneficio adeo insigni. Voces & verba tibi suggeret agnitio tantæ gratiæ.

3. Servatus es à DEO tuo, ne in peccato tuo perires. Quid ages jam? an non agnosces semper & prædicabis hanc DEI in te bonitatem? Nota, quod dixi: hanc DEI in te. Cur enim tibi pepercit, non aliis? cur te servavit, & non Angelos? cur te, & non tot alios Studiosos? DEI bonitas est causa omnis. DEI bonitas ex solo sui in te amore te servavit. Hunc amorem an non par est semper agnoscere & deprædicare? nihil justius. Quid verò retribues? quomodo gratitudinem exhibebis? Imaginare tibi

reni, quæ nunquam fiet. Alloquatur DEUS animam Studiosi damnati, & dicat: ecce, merita quidem es, ut æternum tolerare pergas illa tormenta, quæ sustinuisti hæctenus; sed ex infinito erga te amore liberabo te, si gratam te exhibere velis bonitati meæ? Quid, quæso, ageret, quid diceret anima talis? O Domine, Domine, quam fideliter tibi serviam! ah dies noctesque in tua laude consumam: faciam, quodcunque tibi placet: tolerabo, quæcunque mihi imposueris: nihil me à tui amore avocabit: omnia mihi levia erunt, omnia suavia; jube tantum, Domine, quod placet. Sic illa certè diceret. Et si ad vitam hanc rediret, an putas eam non statutam esse promissis suis? an putas, eam in DEI servitio unquam fore tepidam? an putas, eam tantum beneficium oblivioni esse tradituram? procul ista omnia. Impossibilia hæc omnia forent recordatio enim pœnarum, quibus præ immemoris aliis à DEO optimo liberata esset, talis non pateretur. An fortè ad peccata priora denuo aspiraret? si deliciae ei exhiberentur voluptates, si lucra ingentia, an deduci se denuo ad peccatum permetteret? minimè: res impossibilis foret peccare, non tantum quia scit, quàm horrendis in inferno pœnis peccatum puniatur; sed quia impossibile ei foret offendere eum, à cujus bonitate tantis fuisset liberatus beneficiis. Quomodo possum hoc malum facere, exclamaret, & peccare in Dominum meum? quomodo possum in Dominum meum? in liberato-

ratores meum? Sic certè diceret: sic ageret. Tu ipse an non idem & diceres, & ageres, si mortuus olim in peccato fuisses, & hærens inter inferos post aliquot annos liberareris? an non DEO diligentissimè servires? servires planè; quia expertus agnosceres, te liberatum esse tormentis talibus, ad quæ evitanda nihil non decet suscipere. At quæso, an id modò agis? an jam servis DEO, sicut eo in casu servires? nihil minùs. Cur? DEUS me non liberavit, inquires, non eripuit me ex inferno. O te cæcum! te amentem! peccaveras; meritis fueras infernum: pepercit DEUS, non detrusit ad Tartara, sicut poterat. An hoc non est Orco liberare? an hoc non majus beneficium est, ac quod tibi præstaret, si inter inferos jam hærentem inde eriperet? Crede mihi, multò majus est. Multò magis jam obstrictus es DEO, ac esses, si post aliquot annorum supplicia ex inferno te eripuisset. Dubitas? Quæro ex te: sunt fures duo; uterque meretur exilium: Rex proscribit unum, alterum æquè reum non proscribit, sed pœnam statim condonat; primum etiam post unius anni exilium revocat. Ediffere, cui Rex majus beneficium præstitit? an ei, quem proscripserat? an alteri, quem non proscripserat? huic sane posteriori. Tibi applica: plus tibi divina bonitas præstitit, dum inferos meritum, non damnavit, quàm si damnatum, deinde eripuisset. Penetra hoc ceu rem momenti maximi, & jam ulterius responde: si in eo casu, quo te

damnatum DEus liberaret, omnia ageres DEus amore, si ei diligentissimè servires, quid jam a te præstandum, cum DEus multò majore beneficio te affecerit? An non ingratisissimus esses, si refugeres ei servire per annos pauculos, cuius bonitas effecit, ne arderes per annos infinitos? an non par est, ut ardua omnia & adversa, quæ DEus fortè immittet, lætus suscipias à manu domini cogitans: graviora meritis sum: peccatam æternam DEus mutat in temporalem; quomodo ergo conquerar? non conqueritur miles, qui loco patibuli, quod meritis est, cogitur sustinere alapam. An non diabolica foret temeritas, si DEum in te beneficum vel unico etiam peccato auderes offendere? potèstne, quælo, offendere eum, qui, ne æternum perires, te servavit? potèstne ei quidpiam negare? petit a te, ut servias DEO optimo, ut coniortium illud declinēs, hoc peccatum fugias; an recusare poteris? Barbarus es, portentum es, Dæmone peior es, si hoc agas, si adhuc peccare audes, si in hominis gratiam DEum offendere præsumis. Servatus ab inferno totus ad nutus illius esse debet, à quò se servatum esse meminit; cum etiam bestix benefactoribus suis ad mortem usque gratæ existant & fideles.

4. Servatus es ab inferno; damnatus non fuisti. An ideo salva jam sunt omnia? an omnino discrimen evasisti? ah minimè! potèstne ergo adhuc damnari? potèstne in Orcum detrudis? quid iudicas? ne dubites: fatere palam, licet non abs-

absque horrore : possum eheu ! adhuc possum damnari ! possum damnari ego , qui hæc tibi propono : potes damnari tu , qui ista legis : possunt damnari condiscipuli tui : possunt homines omnes damnari. Ah horrenda cogitatio : possum damnari ! possum incidere in pœnas tam horrendas. B. Ludovicus Bertrandus ingenti semper horrore concussus fuisse legitur ad memoriam huius : possum damnari ; hinc morti jam proximus ad astantes sibi Religiosos ajebat : Ah orate pro me , fratres mei , orate pro me ! possum adhuc damnari ; orate pro me ! Possum damnari ! Ô res planè terribilis ! homo sum ; peccare possum , possum mori in peccato , & sic possum damnari ! non nisi uno gradu abssum ab inferno. Capis hoc , Studiosè ? an non ad memoriam rei hujus toto corpore trepidas ? sanè si Catholicus es , si attendis , quantorum malorum cumulus sit infernus , non potes non contremiscere. Nolo autem , ut vano in terrore consistas. Damnari potes ; potes etiam evadere orcum. O lætum nuntium ! possum evadere orcum ! cùm ergo tanti momenti res sit damnari , quid non agendum est , ut evadas orcum ? an aliquid recusas ? ah , si intelligis , quid infernus sit , nihil recusabis. At , si juberet DEus relicto mundo , petere eremum , vivere inter bestias , non nisi herbis vesci , frigidâ levare sitim ; si juberet jejuniis , flagellis , ciliciis corpus macerare , affligere , trucidare ? an grave nimium censeretur deberet , si hac ratione evadi infernus posset ? minimè ; nam ubi de

tormentis infernalibus agitur, levia sunt reliqua omnia; nihil ei in toto mundo durum videri potest aut difficile, qui scit, quid infernus sit. Verum tam ardua DEus non exigit. Unum petit à te, quod continetur verbis illis: *Declina à malo, & fac bonum*: hoc est, fuge peccatum. Unum ad evitandas inferni pœnas medium est, fuga peccati: nihil me, nihil te tuentem ab inferno potest, præter hanc peccati fugam. Peccatum, qui non committit, securus est ab inferno. Quid statuis, Studiosè? an adhuc peccati cujusdam voluptate teneris? oculos, quæso, aperi, & quò ruas, attende. Difficile ais, accidet mihi abstinere ab illo consortio, ab illa consuetudine mala &c. Quæso, quid loqueris? an grave tibi aliquid videri potest, per quod evitari potest damnatio? an leve adeo malum est infernus, ut ejus evitandi causâ difficultatem omnem superare non debeam? & quæ tandem difficultas, abstinere à re tibi dilecta, sed noxia? an ergo facilius est orcum subire, ac à re hac abstinere? si facilius est, pace meâ, elige orcum: aut enim eligendus orcus, aut fugiendum peccatum. Ego certè non video, quid DEus levius exigere potuisset à nobis. Ad evitandam mortem quid levius exigere Bellidux à milite potest, quàm sustinere alapam? Si miles conqueri de difficultate hac vellet, aut deliberare, num alapam, an mortem eligere præstaret, an non desiperet? Tibi applica, & insaniam corrige: Fuge peccatum. Si vero pec-

peccatum admissum est, an tunc de salute actum? an nullum restat infernum evadendi medium? Lætare, & Divinæ bonitati gratias age; superest etiamnum medium. Quale illud? S. Basilium audi: *Peccavimus, fratres, ait, aut pœnitendum, aut ardendum!* Si peccasti, & infernum evadere cogitas, unum habes remedium, Pœnitentiam. Aut pœnitendum, aut ardendum! An horres nomen Pœnitentiæ? ah ego nomen inferni magis timendum censeo: inferni pœnæ mihi nimium terribiles sunt: Pœnitentia licet primo aspectu aspera, non tamen intolerabilis est. Ex duobus ergo malis minus eligam. O sancta Pœnitentia, deosculor te, te amplector! Omnia mihi levia sunt, si inferni recorder. Quid me jubes facere, ô Pœnitentia? Sic ego sentio, & quæro, mi Studiose; non dubito, quin idem tu quoque sentias. Avesne ergo scire, quid jubeat Pœnitentia? Teste S. Gregorio jubet peccata admissa deplorare & expiare, deplorata verò non repetere. Expiare debes peccata per Confessionem seriam, deflere per frequentes actus Contritionis, expiare per susceptas sponte mortificationes in rebus etiam licitis, non repetere peccata, non denuo offendere DEum. Hoc jubet Pœnitentia. Ergo firmiter propone, accuratè omnia à te peperam facta confiteri, te emendare in mala illa consuetudine; elice sæpè actus doloris; adhibe mortificationes frequentes; gere te ut pœnitentem; non quære delicias in cibo, potu, ve-

U s

stibus,

stibus, floribus, odoribus, lecto, somno &c. subtrahe tibi ea, quæ subinde arrident gustui & appetitui; sustine, quæ occurrunt in DEI seruitio duriora v. g. frigus & calorem in templo, aut scholis, laborem in studiis &c.

5. Si in peccato moriens damnatur; ergo admissio fortè per humanam infirmitatem peccato statim properandum est ad Confessionem; vesperi verò eundem non est cubitum, antequam per Contritionem peccatum deleveris; ne forte in peccato de nocte moriaris, & miserè æternum pereas, quod plurimis contigit.

6. Si vera sunt, quæ audivimus ex damnatis, quid defleant, quo torqueantur; ergo plane aliud iudicium est, quod illi formant, ac quod tu jam formas. Affligit eos recordatio malè consumpti temporis; tu leve quid credis tempus otioso perdere. Illi, ut momentum unicum redimerent, omnia læti paterentur; tu tot quotidie horas perdere non dubitas. Illi voluptatem in peccato quæsitam detestantur; tu velut rem magni momenti eam quæris. Illi deplorant, quòd cœleste regnum tantillo vendiderint; tu vendis denuo, & rides. Illi per mille annos læti sustinerent Orcum, si DEum intueri possent; tu de hoc nullam curam geris. Illi peccatum, velut pœnarum omnium fontem execrantur; tu etiamnum amas & retines. Illi omnia agerent ad DEI obsequium, & paterentur læti, si à DEO liberarentur pœnis infernalibus; tu ab illis per DEI bonitatem servatus, tam tepidè

pidè DEO servis; offendis etiam DEI bonitatem. O Studiose, erras sic agendo. Muta hanc vivendi rationem: damnatorum iudicium sequere, & secundum illud vitam tuam institue.

Affectus. O Jesu! ô amor mi! ô bonitas infinita! ô Salvator amantissime! ô qui habes claves mortis & inferni! timor & tremor venerunt super me, dum terribiles illas inferni pœnas considero! Gratias tibi ago pro agnitione mihi concessa. Non vis mortem, ô Jesu, agnoscō nimium; si enim voluisses eam, justè me damnâsses millies. Fateor, ô Jesu, peccavi, & verè deliqui, & ut meritis eram, non recepi. Si egisses mecum juxta meritum meum, arderem jam inter inferos infelix cum multis aliis, quos minorum scelerum reos deturbâsti ad Tartara. O misericordia! quid egi, Domine, ut me servares præ mille aliis? nihil, nihil penitus egi. Tua sola bonitas me servavit ab inferis. Gratias, ô Jesu, gratias immensas ago huic tuæ in me bonitati! Laudent te meo loco creaturæ tuæ omnes, & gratias persolvant. Verum quas ego tibi hæcenus egi gratias? Erubesco, ô Jesu, & confundor totus. Potuine ego usque adeo beluinus esse, & te DEum Servatorem meum post tantam exhibitam mihi gratiam adhuc offendere? ô monstrum ingratitude! debebam tibi per mille etiam sæcula servire ferventissime; & ausus sum te offendere? ô Jesu! cor mihi dolore rumpitur. Doleo! doleo! plus dicere non possum! doleo ô Jesu! erravi! ah quis

quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum, ut desileam ingratitude hanc? Jesu mi, quid egi! ausimne petere, ut hanc mihi ignoscas? ô Jeſu, si me respicio, non ausim; sed si sanguinem tuum, si misericordiam tuam attendo, audeo ô Jesu, & spe magna animatus venio, procido, rogo, oro, ingemino: Jesu, propitius esto mihi peccatori! dimitte mihi uniuersa delicta mea! parce mihi!

Proposita. Posthac alius ero, ô Jesu! agnosco, quantum tibi debeam. Seruasti me, ne damnarer: agam tibi pro hoc beneficio indies gratias; cum gaudio tibi seruiam; omnia membra ad tuum obsequium impendam; abstinebo ab omni eo, quod tu jubes; agam omnia, que præcipis; nullum erit tempus, quo vel à socio, vel voluptate seductus te offendam; non enim possum, non possum te DEum meum meum amantissimum amplius offendere; hoc peccatum N. præcipue fugiam cum gratia tua. Quia verò licet seruatus ab inferno, tamen adhuc damnari possum, si peccem, aut de peccatis pœnitentiam non agam, firmissimè statuo, peccatum omne serio fugere, præcipue illud, quod audiui à damnatis deplorari, ut est neglectus temporis & occasionum &c. 2. de peccatis admissis Pœnitentiam agam; confitebor illa æcuratè; frequenter eliciam actus contritionis; mortificabo me variis modis v.g. flectendo modestè sub oratione, abstinendo à delicatioribus, & à primitiis fructuum, vincendo

do me manè in surgendo, tolerando patienter labores scholasticos, non recusando frigus vel calorem in DEI servitio &c. 3. Vesperi nunquam ibo cubitum sine Examine, aut saltem sine contritione perfecta elicita. Omnia agam, ut infernum evadam.

Petitio. Jesu mi., scis, quòd seriò ista facere proponam; labar tamen, nisi tu des gratiam; hanc ne mihi deneges, ô Jesu, sic per Passionem & mortem tuam rogo. Colloquiorum loco ad DEum, B. Virginem & Sanctos, adhibe Litanias de omnibus Sanctis, eo fine recitando, ut per istorum intercessionem evadas supplicia infernalìa.

Consideratio X.

De duplici Aeternitate.

Recitatâ oratione, imaginare tibi è parte una Cœlestem gloriam cum omnibus gaudiis in ea contentis; ex altera Infernum cum omnibus suppliciis; in medio verò Angelum, qui tibi voces has inclamet: *Ibit hamo in domum aeternitatis sua.* Roga gratiam singularem, ut bene agnoscas terribile Aeternitatis mysterium, ne beatam amittens, infelicem subire cogaris Aeternitatem.

Pars I.

Quid sit Aeternitas?

D*octrina.* Datur Aeternitas. Res certa, & de fide est. *Non habemus hîc manentem civitatem, ibimus*

ibimus in domum æternitatis. Duplex illa est, alia felix in Cœlo, alia infelix in inferno. *Ibunt hi in ignem æternum; illi, nempe Iusti, in vitam æternam*, ait Veritas. Experiuntur beati in Cœlo gaudia; experiuntur damnati inter inferos supplicia; sed quamdiu? cruciatur Cain jam per annos sexies mille; cruciatur Studiosus ille jam per annos centum aut mille: quousque cruciabitur adhuc? quando erit finis? tu si mortuus esses in peccato illo, sederes jam inter inferos per annos sex, decem, aut plures; sed quousque sedendum tibi foret? quousque ardendum? an post annos mille affulgeret liberatio? an post bis mille? quamdiu durant pœnæ infernales? ô quæstio, cui quoties respondere cogor, totus contremisco. Dicendum tamen est: quamdiu ergo durant pœnæ inferni? Respondeo: ah vox quid trepidas? loquere! Respondeo: durant æternum. Ah exhorresce, exhorresce, quisquis hæc legis! æternum! hæc vox illa est, quæ una omnes inferni pœnas in immensum auget: hæc vox est, quæ si abesset ab inferis, inferi non forent. *Timeo gehennam; quia æterna est*, ait S. Cyrillus. O æternum! æternum! ô utinam saperent homines & intelligerent! non esset, qui peccare præsumeret. Pariter & gaudia Cœli durant æternum; quæ vox immensum gaudiis singulis pondus addit, & felicitatem beatorum reddit maximam. Datur ergo in Cœlo, datur in inferno æternitas.

Quid

Quid vero hoc est : Æternum : æternitas ? ò æternitas quid es ? jubeor te agnoscere , & non est , qui te mihi exponat . Quid est æternitas ? si me quæris , ò Studiose , mox reponam : nescio : aut respondebo id , quod Simonides Ethnicus DEI naturam inquirens dixit : quò magis investigo , quid sit , eò minus capio . *Quoties homo de aternitate loquitur* , ait S. Gregor. *cæcus de colore loquitur* . An forte æternitas continet in se tot annos , quot numerantur folia in arboribus , arenæ in littore maris , stellæ in Cœlo , litteræ in omnibus mundi libris , guttulæ in mari , atomi in aère ? continet tot , sed multò adhuc plures in infinitum annos . Arenulæ omnes , & folia , & stellæ , & atomi numerari possunt , anni æternitatis numerari non possunt . Quid ergo est æternitas ? volo dicere , & nescio dicere . S. Augustinus : *In verbo quatuor syllabis constat , in se sine fine est* . Concipe annos , quotquot voles , æternitatem non concipis . Quidquid dices de æternitate , minus dicis . Quid non sit æternitas , scio : non est anni decem , anni mille , aut millio annorum ; non est tot anni , quot sunt in arboribus folia , in oceano guttulæ &c . Sed quid est ? describi satis si posset , æternitas non esset . Explicationem tamen aliquam Sancti Patres suggerunt per voces : nunquam , semper . His vocibus æternitatem explicant hoc modo . Quamdiu torquebitur damnatus ille miser ? quamdiu lætabitur beatus ille in Cœlis ? Semper . Quando erit finis , gaudiorum aut poenarum ? Nunquam .

quam. Quamdiu fames illa terribilis, foetor ille
 immanis, tenebrae formidandae durabunt? Sem-
 per. Quando cessabit fletus ille, illi ejulatus,
 ille stridor dentium, ignis ille in furore Domini
 succensus? Nunquam. Quamdiu vermis ille
 conscientiae arrodet miseros? Semper. Quando
 memoria damnati desinet recordari temporum
 male impensi, occasionum salutis neglectarum,
 Coeli perditum &c. Nunquam. Quamdiu dam-
 natus erit hostis DEI, exclusus Coelo, incolae
 inferni, socius daemonum, ignis pabulum? Sem-
 per. Quando admittetur infelix ille ad viti-
 nem DEI, ad societatem Sanctorum, ad beati-
 tudinem? Nunquam. O Nunquam! o Semper!
 Non adhiberi hic potest illud Jobi: *Post tribu-
 bras spero lucem.* Hoc damnatorum quivis in-
 geminat: *Periit finis meus & spes mea à Domino.*
 Damnatus sum, ligatus sum, spes omnis exul-
 vit; aeternitas ligavit. Proiicitur scilicet, quod
 Salvator ait, damnatus in ignem, & ardet. Qua-
 re post decem annos, quid agat damnatus ille
 respondebitur: ardet. Quare post centum, post
 mille annos; unum reponetur: ardet. Si inter
 quamdiu? Semper! Semper! Quando erit finis
 nunquam! nunquam! nulla redemptio, nulla
 finis. S. Theresia paucorum annorum virgini-
 cula dum hoc primum intellexit, stupore atton-
 nita exclamabat: o aeternitas! o nunquam! o
 semper! Studiose, attende, obsecro, & tu, qui
 que salutarem ex hoc timorem concipe. Terribi-
 le est ardere semper, liberari nunquam; sicut
 flere,

flere, uri semper; quiescere, recreari, refici nunquam. Quæ autem de inferno loquor, ea facile Cælo applicabis etiam deinceps, & exinde beatæ æternitatis magnitudinem æstimabis, ubi reperitur lætari semper, trīstari, timere aut desinere nunquam.

Ex his habes aliquam æternitatis explicationem, quæ ut reddatur major, consuetas in re hac similitudines aliquas proponam. 1. Librum aliquem accipe, v. g. opus scholasticum. Quot millenas litteras continet? si annis singulis una tantum deleretur litterula; quot, quæso, anni essent elapsuri, antequam folium vel unicum deleretur? quot millia annorum, antequam liber totus? sed finge, sic agendum esse cum libris omnibus, qui sunt in grandi bibliotheca, cum omnibus, qui in toto orbe reperiantur. O mi DEus! an concipere possumus numerum sæculorum, quæ ad horrificam adeo deletionem requirerentur? certum tamen est, sæcula hæc numerari posse ab Angelo; sunt enim finita. Jam dic: elapsis tot sæculis, quot ad deletionem omnium litterarum in omnibus libris requiruntur, quantum restaret adhuc de æternitate? paterentur adhuc damnati inter inferos? an necdum esset finis, aut medium saltem? ô Studiose mi, necdum esset finis, necdum medium æternitatis: paterentur adhuc miseri, torquerentur adhuc: tota adhuc restaret æternitas. O æternitas quid es? 2. P. Paulus Segneri hoc simile adhibet. Cogita, te esse in

inferno, uti certò esses, si in peccato primo
 fuisses mortuus: cogita te vocari à DEO post
 plures annos, qui dicat tibi: maecte animo,
 ego hinc aliquando te eruam; licet æternum
 torqueri meritus esses. Sed quando, Domine?
 an post unius sæculi fluxum? parum est. An
 post lapsa decem sæcula? necdum satis. An post
 centena? neque hoc; sed tum te eruam, quan-
 do tot guttulas lacrymatus fueris, quot fue-
 runt in diluvio illo, quo mundus universus sub-
 mersus est; singulis autem annis non nisi unam
 lacrymulam profundes, quam cum cæteris af-
 fervabo; & quando multitudinem guttarum in
 diluvio adæquaveris, liberabo te: Cogita, si
 DEum ad te loqui. Quæro ex te: quo tu in
 inferos sedens animo esses? an putas, te imma-
 ni longitudine temporis territum in luctus pro-
 stinos & ejulatus abiturum esse? aut conque-
 sturum de suppliciis? Non, non Studiose mihi
 aliud ageres. Præ gaudio tui vix compos fore-
 res; toto animo inter ipsas pœnas exultares;
 non nisi in laudem DEI animum effunderes.
 At acerbæ pœnæ adhuc sustinendæ forent?
 forent, sed ne sentires quidem, mihi crede, non
 sentires præ gaudio pœnam ullam. At tempo-
 ris longitudo immanis est, quam nec concipere
 possum: tanto tempore tam horrenda pati
 animo læto, quis possit? posses tu, Studiose,
 tu posses: longitudo enim illa temporis quare
 tacunque esset, finita esset, finem haberet, ce-
 sare, veniret tempus, quo liberareris; cuius
 libera-

liberationis spes certa omnem tibi pœnam dulcoraret, nec conqueri te sine et, sed toto faceret animo exultare. Verùm eheu! si reipsâ semel arderes inter inferos, ardere deberes tot sæculis, quot ad talium guttarum numerum requiruntur; illis verò elapsis quid judicas? an adhuc ardendum esset in Orco? an finita esset æternitas? an media saltem? an spes foret redemptionis? ô mi Studiose, procul ista omnia: nulla adhuc esset post tot sæcula spes redemptionis; necdum esset finis, necdum medium æternitatis: patereris adhuc; arderes adhuc; torquereris adhuc; torquendus, arsurus, passurus semper, liberandus nunquam. O æternitas quid es? 3. Alii hac similitudine utuntur. Sume horologium aliquod, ut vocant, arenarium, & vide quot millia minutarum arenularum in horologio vel unius horæ contineantur. Ponamus, quòd singulis mille annis una tantum arenula decidat, adeo ut ab orbe condito usque ad nos non nisi sex arenulæ deciderint. Quantum, quæso, requireretur tempus, ut horologium totum efflueret? ô DEUS! terribile tempus requiritur. Fingamus verò, quòd horologium tale adæquet magnitudinem turris, tantamque arenularum copiam contineat, quanta lat esset ad montem ingentem constituendum. Num concipere potes numerum sæculorum, quæ requirerentur ad hoc, ut horologium tale efflueret? non potes certe. Res tamen certa est, numerum infinitum non esse, sed cum, qui aliquando finiretur;

singulis enim mille annis decresceret. Hoc etiam cogitatu terribili sæculorum numero elapso, quid agetur cum damnatis? an ergo necdum finis erit tormentorum? an necdum finita, an necdum media æternitas? an necdum spes redemptionis? Ah Studiose mi, post tam terribilem sæculorum numerum adhuc ardebit damnatus; adhuc patietur, adhuc torquebitur; necdum finis, necdum medium æternitatis est. O æternitas! ô æternitas quid es? Si ergo audis penas inferni durare æternum, audis durare eam diutius, quam immanibus sæculis, quæ requirerentur, donec horologium hoc terribile efflueret; donec damnatus totum è lacrymis conficeret diluvium; donec omnes totius mundi libri per litterulas singulas essent deleti. Et quid est hoc? concipe, si potes.

Reflexiones. Quid iudicas de his, mi Studiose an forsan nimium exaggerata credis? falleris profecto. Veritas infallibilis est, quam propono. Rationem accipe: omnes illi anni, quos in altis similitudinibus recensuimus, licet multi sint, & numeratu difficiles, finiti tamen sunt; potest Angelus, potest DEUS eorum inire numerum; anni autem æternitatis sine numero, sine fine sunt; nec eorum numerus ab ipso DEO designari potest, aliàs æternitas non esset. Res ergo ut dixi, certa est. Collige jam omnia, & applica Præterea audi, quid S. Bernardus dicat: *Frater alterutrum eligamus, aut semper ardere, aut gaudere.* Eli-

Eligenda est æternitas una : quam tu eliges? antequam respondeas, audi conclusiones aliquot.

1. Si Beati in Cœlo per tot sæculorum millia continuant gaudia, per quot damnati sua supplicia; si beatitudo Sanctorum durat semper, finitur nunquam; ergo res prorsus ineffabilis est Beatitudo æterna; ergo maximi æstimanda est; ergo omnia agenda sunt, ut eam obtineamus. Magni æstimamus esse felicem in sæculo; habere gaudium aliquod, frui honore mundano: & quid, quæso, est omne mundi gaudium, omnis honor & felicitas? momentum est, fumus, pulvis, umbra est: evanescit subito, & possessorem suum decipit. Si gaudium quæris, non reluctor, verum quære, æternum quære. Rolandus Adolescens ille totus voluptati mundanæ inhians, dum vesperi secum cogitabat, ubi essent deliciae, quas tanto studio per diem quævisset, quamque citò fugissent in auras, sanctius cœpit consilium, deserendi breves istas & miseras voluptates, solasque sectari æternas & veras: quod ut faceret securius, Religionem ingressus est. Tu pariter sola æterna quære, & anhela. Cave, ne terrenorum & brevium voluptatum amore perdas æternas. Memento heroæ illius & Christiano dignissimæ vocis, quam protulit Thomas Morus, quem Coniunx viginti annorum duraturâ in mundo felicitate propositâ ad rem iniquam inducere voluit: Ego, aiebat, adeò desipiam, ut brevi annorum viginti voluptatulæ æternas verasque Cœli delicias

licias posthabeam? has illius amore perdam?
Sic tu age, sic loquere. Martyres cogita
quanta isti egere, quanta passi sunt, quam for-
ti animo breves mundi voluptates calcârunt,
ut æternas obtinerent! Tu magni æstima per-
petua Cœli gaudia; hæc quære; sola fuge bre-
ves mundi illecebras; omnia age & patere, ut
æternum beatus esse valeas: Beatitudo æterna
res est digna, pro qua mille sæculis labores,
patiaris, mille mundos conculcare debeas.

2. Æternitas damnatorum ô res quam hor-
renda sit, necesse est! an non ad unam ejus vo-
cem contremiscere deberemus? Punitur reus
quidam ab humana justitia: supplicium brevis
est; & ejus tamen etiam mentione terremus.
Ah quid est, non brevi tempore, sed totâ æter-
nitate torqueri! *Tam horrenda res est, verba
sunt Magni Bellarmini, sine fine puniri, ut li-
anus tantum ex omnibus filius Adæ tali esset supplicium
multandus, merito pavendum omnibus esset & trepidandus.* Fateor, terribilis est inferni ignis, ter-
ribiles tenebræ, terribilis fœtor, horrenda fames
& sitis; terribile, quidquid in Orco est; sed æ-
ternum esse ignem, æternas tenebras, æternam
famem & sitim, æterna omnia; hoc, hoc terribi-
lium omnium longè terribilissimum est. Affligit
damnatum, quòd Cœlo exclusus sit; sed quòd
æternum sit exclusus, hoc, hoc est, quòd acer-
bissime torquet. Sic de fame, siti, fœtore, de
cæteris omnibus loquere. *Perditus in æternum
eris: in æternum non videbunt lumen: ite in ignem æ-*
ternum:

ternum: hæc sunt illa Scripturæ fulmima, damnatorum viscera & medullas penetrantia. Rem verbo: nihil terribilius cogitari potest æternitate pœnarum infernalium. Hoc tanquam reliquorum documentorum fundamentum ut firmitus tuo animo imprimas, audi, quod Seneca verè dixit: omnis dolor aut brevis est, aut levis. Sic est. Morbum pateris? aut gravis non est, aut quò gravior, tanto brevior est; vitam saltem non excedit; cum hac finitur. **T**ormenta inferni nec levia, nec brevia sunt: non levia; quia quodlibet inferni tormentum omnes mundi dolores superat: non brevia; quia æterna. O quis itaque in damnati animo dolor exurgat, necesse est! Agrum facile consolaberis, si dicas, eum paulò post sanitati restitutum iri; si verò afferas, morbum per sex aut septem annos continuandum esse, ô quis clamor? quis ululatus? quis fremitus miseri? ad insaniam ferme dolor adigit: diuturnitas enim morbi dolores singulos acerbiores reddit. O Studiose mi, quid sunt sex aut septem anni? quid decem, quid mille anni, si æternitati conferas? quid morbus ægri cujusvis, si pœnis inferni compares? Morbum levem per menses aliquot aut annos ferre coactus, tantum exinde dolorem concipit; & quid damnato fiet, qui non paucorum modò annorum, sed totius æternitatis supplicia sibi toleranda esse intelligit? Quid de morbo loquor? Res etiam suavis & jucunda, si diu nimium dureret, nauseam parit & fastidium, imò in tormen-

tum mutatur. Res suavis est, dormire in lecto molli, incubare rosis aut plumis tenerrimis. Res suavis est, audire concentum musicum, saltu le recreare. Res suavis, interesse lauto convivio, ciborum cupediis exquisitissimis frui. At si lecto illi roseo cogereris per quatuor, aut plures continuos dies incubare; si musicam per menses aliquot continuo audire; si ad mensam hæere immotus per dies plures; an non tormentum factum ingens foret? experire, si velis: jace per diem saltem unum aut noctem immotus; vide, an non suavitas lectuli in fastidium abeat. Hæc dum cogito, ô mi DEUS, quantum expavesco! Res etiam suavis ob diuturnitatem suam fastidium est & dolori; quid ergo dolor? & dolor tantus & dolor tam multiplex? ô Studiose, hoc tecum reputa. Non est, non est in Orco lectulus roseus, cui incubare possis: si tamen & talis esset, tormentum esset incredibile: tormenta ibi sunt, dolores sunt, cruciatus sunt, & hi terribiles, & hi omnem rationem superantes: hos per omnem æternitatem tolerare sine quiete ulla, sine intermissione, an leve quid judicas? dixi, sine quiete; non enim interrumpuntur dolores inferni: & ecce nova tormenti materies. Murmuras non raro, mi Adolefcens, dum dies recreationum, ut vocant, non dantur ad libitum tuum. Vah, ais, quis assidue affixus sedebit libris? ferre ista non possum. Studiose mi, gravis tibi accedit labor scholasticus per dies aliquot continuandus; qualis ergo accidet dolor Tartareus

in

in Tartaro nulla quies, nulla recreatio, nullum solatium: semper torqueri, semper affligi, semper sitire, semper ardere, semper ululare! semper! semper! nunquam quies, nunquam solatium, nunquam interruptio, nunquam liberatio! ô nunquam! Habet subinde æger horas aliquot, quibus dolor vel planè desinit, vel mitigatur; non sic inter inferos; semper, semper torqueri! nunquam, nunquam quiescere! O Jesu, quid hoc? an non terribile supplicium æternitas?

Unum adhuc: sæpe mihi occurrit: ô quàm diuturna videbitur damnatis vel una dies! scio horam etiam de nocte videri ægroto longissimam & acerbam; & iste tamen post tenebras sperat lucem. O damnate Studiose, quàm longa tibi erit, vel una dies, si tamen dies dici potest, quam inter inferos vivis? non sperare tu potes post tenebras lucem, sed hæc semper verfabitur ob oculos mentis cogitatio: periit finis meus, periit spes mea! in æternum non videbo lumen! O æternum! Est fortè, quod hic tibi occurrit: si dolor inferni usque adeò acerbus est, ut dictum est; ergo damnatum conficiet & occidet; ergo eum non cogetur æternum sustinere. Studiose, si ita cogitas, quid infernus sit, ignoras. Nullum est in Orco occidere, nullum mori: optabunt mortem damnati; quin hæc eis solatio foret, sed, *quærent mortem, & non invenient*; aut si invenient, invenient mortem immortalem, mortem sine morte, finem sine fine. In vita hac homines liberare se pos-

sunt miseris suis per mortem: habent gladios, quibus se transfodiant; funes, quibus spiritum elidant; ignes, quibus se comburant. Non sic inter inferos. Gladius equidem non deerit, non funis, non ignis, sed mors deerit, finis deerit. Et nunquid leve hoc supplicium? O quid non agendum, ut tam terribile supplicium evadamus?

Affectus. O æterne, immortalis, incommutabilis DEUS, quid loquar? quid cogitabo? In æternitatem eundum est mihi! & in quam? Misella anima, quò ibis? an æternum felix, an infelix eris? ô DEUS! ô angor! ô timor! ah, æternitas damnata nimium terribilis est! Ardere, litire, uri, pati æternum, nimis formidandum est! O DEUS, sustinere istud nequeo! O beata æternitas, quid tu es? ô quanta felicitas est æternum affluere & abundare gaudio! dedisti mihi, ô DEUS, voluntatem liberam, eligendi æternitatem, quam vellem: Domine, eligo & volo æternitatem beatam: volo esse æternum tecum in gloria; nolo esse separatus æternum. Ergo omnia agam, ut salvus fiam. Poenitet me, ô Jesu, quòd ea egerim, quibus beatam æternitatem amitti scio, & comparari infelicem. Desleo insaniam meam, qua cœlestia & æterna gaudia temporalibus posthabui: parce mihi, ô Jesu, per infinitam tuam misericordiam!

Proposita. Nunquam posthac amore voluptatis perituræ periculo me exponam amittendi æternam; omnia agam, ut æternum beatus sim;
hinc

hinc studia, labores, & quidquid occurret arduum, eò dirigam: æternitati laborabo: sæpiùs cogitabo, quid hoc sit: pati æternùm: gaudere æternùm.

Petitio. Jesu Christe, respice me tibi servire paratum, & confirma id, quod operari dignatus es per gratiam tuam in me; ne amissã æternitate beatã, æternùm torquear inter Tartara.

Pars II.

Pro quo sit Æternitas?

D*octrina.* Statuit DEUS æternitatem in Cœlo; statuit æternitatem in inferno. Illa res inæstimabilis & jucundissima, hæc terribilis est, & non toleranda. Cui verò utraque destinata est? Dicam. Æternitas beata statuta est illis, qui DEO serviunt; qui declinant à malo, & faciunt bonum. *Venite benedicti Patris mei, possidete regnum vobis paratum ab initio mundi: Esurivi enim, & dedistis mihi manducare &c.* hæc dicet Christus beatis suis in die judicii. O DEUS! ô quanta merces! æternum gaudium pro modico & brevi labore! ô quàm liberaliter solvis obsequia tibi præstita! momento laborare possumus, tibi que servire: quid enim vita nostra est, si æternitati comparetur, præter momentum, & si quid est momento minus? momento laboramus, & tu mercedem offers per omnia sæcula duraturam? ô quis non læto animo servire gestiat tam liberali Domino? Servimus regi, principi, homini; quia remuneratur labores nostros;

ros;

tros; cur DEO non famulemur, qui mercedem multam & copiosam & æternam persolvit? Quis non fugiat omnem mundi voluptatem, quæ recedentibus à servitio DEI exhibetur a dæmone, ne amittat æternam & cœlestem?

Æternitas infelix pro quo est? cui statuta est? Dicam: statuta est illis, qui dæmoni serviunt, qui DEum offendunt, verbo, qui peccant. Sic remuneratur dæmon servos suos: jam dat voluptatem brevem, deinde torquet & cruciat æternum. O mi DEus! an possibile est esse hominem, qui huic famuletur? Loquar apertius. Tam ineffabile æternitatis infelicis supplicium est pro peccato mortali; est destinatum omni homini, qui vel semel peccat mortaliter, & hoc in statu moritur. Pro peccato? ita est: unum peccatum mortale meretur perpetuos in inferno dolores & cruciatus: qui vel semel peccat mortaliter, meretur per omnem æternitatem omnia inferni tormenta sustinere. O exhorresce tandem ad peccati vel unius gravitatem! Mors æterna stipendium peccati est. Quære ex Angelis damnatis, quære ex multis Studiosis damnatis, quid eos ad perpetuos inferorum dolores dejecerit? peccatum, respondebunt, & quidem unicum solum! Hæc duo considera: peccatum unicum: æternitas infelix. Ah, momentaneum scilicet est, quod delectat; æternum, quod cruciat. Momentanea sæpe voluptas est, quæ in peccato quæritur, & pro ista per æternitatem totam horrenda ad eò supplicia sunt toleranda.

cedem
olvit?
atem,
etur a
m?
ita est?
vium,
t. Sic
lat vo-
ciat a-
ffe ho-
ertius.
olicium
a omni
& hoc
unum
a infer-
peccat
itatem
exhor-
tatem!
Quare
udiosis
um do-
int, &
fidera:
h, mo-
ernum,
tas est,
aeterni-
at tole-
nda.

randa. Hinc S. Franciscus Seraphicus sæpe re-
petebat: modica voluptas, æternus dolor; breve
ridere, lugere æternum. Peccare momenta-
neum est, pati æternum est. Sistamus hîc, &
expendamus, quid sit, pro momento puniri
æternum.

Reflexiones. 1. Si divina Majestas adeò libe-
raliter remuneratur obsequia sibi præstita; ergo
ei servire unus esse labor noster debet, unum
negotium. Servus spe mercedis, sæpe incertæ
aut modicæ, quos non labores suscipit? quid-
ni & nos omnem laborem feramus læti, cum
mercedem speremus perpetuam? Ergo à juven-
tute famulare Domino DEO tuo; ferventer
perage quotidiana opera tua, sciens mercedem
amplam imminere & perennem. Leva sæpe o-
culos ad Cælum, & consolare te verbis illis:
Ecce merces mea magna & copiosa est in Cælis.
Si tanti labores suscipiuntur ab homine, ut mo-
dico tempore sit felix in sæculo, aut honoratus,
quantom majores labores par est suscipi, ut æter-
num quis sit felix in Cælo & honoratus? La-
borem DEUS brevem exigit, neque arduum a-
deò, ut ferri non possit: totus labor est, serva-
re mandata DEI. Laboremus ergo: felicitas
æterna est!

2. Dæmon si famulis suis non aliam mercedem
aliquando exhibet, ac infelicem æternitatem,
an non stulto stultior est, qui huic vel ad mo-
mentulum temporis servire cogitat? fugiunt ser-
vi Dominos illos, quos vel nimis asperos, vel
in

in solvenda mercede perfidos nōrunt. Neminem reperies, qui serviat illi, à quo mercedis loco nil præter verbera, aut injurias refert. Er̄ erit homo, qui dæmoni serviat; cū hic ampla quidem & speciosa promittat, dare verò præter fucam jam voluptatem, & æterna aliquando tormenta nil possit? Expergiscamur, ô Anima, & omni contentione exclamemus indies: Avertentio tibi, Sathana, & adhæreo tibi ô Christus.

3. Peccatum unicum mortale æternis a DEO pœnis castigatur in inferno; ergo immensa quædam & infinita malitia in peccato reperitur; ergo non est leve quid, & risu dignum. Justus est DEUS in pœna infligenda, gravitatem delicti non excedit; ergo ex gravitate pœnæ colligamus gravitatem culpæ. O peccatum quid es? quàm parùm agnosceris! An unquam hoc tecum considerasti, mi Studiose, peccatum unicum meretur æterna supplicia? Jam saltem considera, & tuo animo imprime hanc conclusionem: horrenda res est pœnarum infernalium æternitas; hæc tamen à justissimo DEO destinata est uni etiam peccato mortali; ergo peccatum mortale res infinitæ & incomprehensibilis malitiæ est. Ex hac verò conclusione quid denuo infer? Ergo omni studio debeo eniti, ut peccatum quodlibet grave detester & fugiam. Et quælo, an adhuc voluntatem habere potes peccandi? an non ad ipsum nomen expavelcis? habesne, quælo, animum repetendi illam laiciviam, illas loquelas turpes, illam tuam consuetudinem licet

cet gratam aliàs & jucundam? O quæ tua foret, quamque terribilis insania! An non insanit ille, qui ut læta aliqua ambulatione per horas aliquot frui posset, aut lauto interesse convivio, vellet per horam aut etiam quadrantem solummodò in fornacem succensam iniici? An non insanit, qui ut uno die habere omnia ad nutum posset, suoque indulgere genio, toto dein anno vellet hæere in carcere, famem sitimque teterrimam pati? insaniunt hi profectò. Et quid tu? aperi, quæso, oculos; tu quid agis, dum peccas? frueris in peccato voluptatula aliquâ, sæpe tantum imaginariâ, revera brevi & momentaneâ: interea si eo momento moreris, detrudêris ad fornacem illam stygiam, ad carcerem tartareum, famem ibi & sitim & mille tormenta alia non ad horam unam, non ad annos paucos, sed per infinita sæcula toleraturus. Ubi obsecro, mens? ubi ratio tua? Miserere tuimet, & noli adeò insanire, ut in tantos te cruciatus concicias! Quid judicas de Studiofo illo, qui vivum se Dæmoni transcripsit, & cruore proprio pactum hoc subsignavit, tantum ut florenum unum à dæmone acciperet, quem lusui daret & potui? insanivit certe: pro floreno se exponere damnationis æternæ periculo, non est nisi insania maxima. Tua voluptas, quam in peccato gravi sæpe quæxivisti, an digna erat, quæ unius floreni pretio emeretur? & quid egisti? Quid tibi videtur de Juvene illo Luciano? Hic uti refert Cæsarius, licet sciret, se pro more gentis illius post

post sex menses è rupe dejectum iri, nihilominus, quia omni gaudiorum genere frui posset per menses illos, si se ita pateretur deiici, elegit gaudere sex mensibus, suoque per tempus hoc vacare genio. Nunquid insanus erat? sex mensium gaudia morte tam miserâ emere, quæ stultitia? Et tu quid agis? non sex mensium, sed unius sæpè momenti voluptatulam eligis, quæ mortem æternam tibi accerset. O stulte, quanta est ergo voluptas illa, quam quæris? aspice eam, considera, versa omnem in partem: an digna est, quam tantis, tamque diuturnis emas suppliciiis? an digna est? Et ut apertius tuam insaniam videas, cogita esse, qui tibi hîc ponat ea, quibus maximè delectaris v. g. recreationes, divitias, honores, voluptates, imò totius mundi imperium; dicat ille tibi: hæc omnia dabo tibi, mi Studiose, si per tres dies noctesque in suavissimo lecto jacere velis immotus. An conditionem acceptabis? Si scis, aut experiri cupis, quid sit insomnem jacere immotum vel unicâ nocte, certe non acceptabis. O ubi ergo mens? ubi ratio tua? lectulus roseus est; bona quæ offeruntur, amplissima sunt; tres tantum dies & noctes sunt; & recusas tamen? peccare interim audes? hoc est, pro voluptate momentanea temetipsum deturbare non ad lectulum roseum, sed ad ignes infernales; non triduo unico, sed totâ æternitate sustinendos? ô ubi mens? ubi ratio tua? Non lectum roseum, sed fornacem igneam accendit DEUS in furore suo; in eam te coniu-

coniiciet, si peccas. Et ausis pro momentulo voluptatis eligere æternum ardere? per tuam te salutem rogo, miserere tui ipsius, & firmum tandem propositum concipe, nullam voluptate propositam DEI Majestatem offendendi. Hoc assidue versetur ob oculos tuos: voluptas brevis, dolor æternus: *Momentaneum, quod delectat, æternum, quod cruciat.* Atque hoc ipsum velut efficax contra omnia peccata remedium suadeo. Notum est, quid S. Martinianus egerit: ignem succendit, quando se ad peccatum incitari advertit, seque ipsum sic allocutus est: Martiniane, si ferre hunc ignem potes, pecca audacter; si non potes, ne te exponas periculo æternos inferni ignes tolerandi. Sic temet etiam alloquere, sic membra tua. Quære, an possint tolerare ignes infernales? Potesne adeo amens esse, ut pro voluptate brevi istos eligas? ignem nostrum ferre non potes, quomodo æternum feres? ah æternitas nimium acerba est! si ergo hanc ferre tua membra non possint, caveant, ne peccent.

4. Si æternitas poenarum adeo terribilis est, quis eam sustinebit? *Quis ex vobis, ita cum Propheta quæro, Quis ex vobis habitare poterit cum ardoribus sempiternis?* Potesne tu, ô Studiose? ô delicatule, cui lectulo etiam molli incubare molestum est, poterisne tu? Tu, qui leve frigus in DEI obsequio ferre recusas, poterisne? Tu, cui labor scholasticus continuus onus videtur intolerabile, poterisne? experire, quæ-

Y

lo;

so: si potes, audacter pecca; si non potes, aliud non restat, quàm declinare à malo. Hoc verò quàm facile est! quàm læto & alacri animo hoc à te fieri par est! Quid ageret damnatus, si æternas illas pœnas evadere posset? sciscitare ex eo: ô Studiose damnate, si te DEus liberare vellet suppliciiis infernalibus, & in mundum remittere, quid ageres? an velles ad illicitas voluptates redire? ah minimè! An velles famam ablatam proximo restituere? ô quàm libenter! An velles peccatum illud confiteri, abstinere ab illo consortio, te ipsum vincere, seriam agere pœnitentiam? ô quàm læto & alacri animo! sic ille dicet, sic aget. Tu verò quid? si còdetrusus fueris, quod avertat DEus, eadem senties, eadem ululabis, sed nimum serò. Narratur de Zenone Imperatore, quòd uxore vivente vivus terræ mandatus fuerit, quando more suo trupissimo ebrietati ad rationis usque privationem indulserat. Expergefactus ille postridie, & se inclusum advertens, pulsare, ejulare, opem flagitare, sancta omnia promittere. Promittebat inter cætera, se posthac non solum omni crapulâ, sed ipso etiam vino, quin sceptro etiam & coronâ abstinere velle, modo vitâ donaretur; jussu autem barbaræ coniugis responsum est, ista omnia nimis esse sera, debuisse citius illa fieri, clausam esse januam. Habes imaginem futuræ tuæ infelicitatis. Quid non ages? quid non promittes? serò nimis: clausa tum temporis janua est. Jam ea fac, quæ tunc faceres, & salus certa erit.

Redit hîc cogitatio jam superius habita. Quid quæso, ages totâ æternitate infelici? quid incipies inter inferos, quò vita tua pessima te rapit? quomodo tempus consumes? quò te convertes? an ad Sanctos? non audieris: an ad DEum? ridebit in interitu tuo: an ad damnatos? nulla ibi amicitia, nulla commiseratio est: an tu te juvare quæres? ne vermiculum à te amovere poteris: an perumpes Orcum? irrita vis, stulta cogitatio: an quiesces patienter? nulla infernis patientia est: an te trucidabis? quæres mortem, & non invenies. Quid ergo? quomodo æternitatem consumes? scis? dicam: totum tuum agere erit pati, uri, puniri, famere, sitire, torqueri, ejulare, maledicere, desperare, & hoc semper, semper, semper! *Perditus in æternum eris; in æternum.*

Unum video, quod dicere possis: peccabo, sed in peccato non moriar, non peribo; agam pœnitentiam, & sic Orcum cum tota æternitate infelici evitabo; non est ergo, quòd peccatum tantopere timeam, & illa me voluptate spoliem. Itane loqueris aut sentis? Cœlites! quæ istæ voces? quæ sentia? ecquis te usque eò fascinavit? quis tempus tibi pollicitus est, quò pœnitentiam facere possis peccato perpetrato? quis? an non eò ipso momento, quo peccas, mori potes? an non mille mortis genera versantur tibi ob oculos? Forte, forte non moriar, respondes: nam & hæctenus peccavi, fruitus sum voluptate illicita, nec tamen pe-

rii: fortè & posthac sic fiet. O Studiose, quòd
 recidisti? hæctenus peccâsti, non periûsti, quòd
 infinita DEI bonitati debes. An hoc ipsum ad
 peccata nova stimulus tibi erit, quòd ad agen-
 das DEO gratias motivum esse debebat fortis-
 simum? Peccâsti, non periûsti: quid inferis? Au-
 di Scripturam: *Fili mi, ne dixeris, peccavi, & qui
 accidit mihi triste; altissimus enim est patiens reddere
 patiens, sed terribilis.* Fortè non moriar, dixi-
 sti. O quas mihi lacrymas exprimis, si ita sen-
 tis! ergone & animam, & beatitudinem æter-
 nam incerto illi Fortè committes? memento, quò-
 so, quòd de anima, de æternitate loquaris. For-
 tèn non morieris: fortè morieris. Si moriaris in
 peccato illo, quid eveniet? Rues ad Tartara mu-
 lo unquam tempore terminanda, æternisque
 suppliciis brevem voluptatulam lues.

5. Si æternitas res adeò tremenda est, an non
 omnia agenda, omnia toleranda sunt, ut crucia-
 tus perpetuos evadamus, gaudia mereamur æter-
 na? Olympius Monachus mirabili modo in
 corpus suum per susceptas sponte mortificatio-
 nes sæviens ajebat: hæc omnia ago, ut crucia-
 tus æternos evadam; mei dolores finem habe-
 bunt, non infernales. Hoc est, quòd à te pe-
 to: omnia age, omnia tolera, ab omnibus illicitis
 abstine, ut cruciatus æternos evadas. Fuge
 voluptatem illicitam in quovis peccato; fuge
 consortium illud, fuge illam occasionem; tolera
 libenter labores scholasticos & molestias in
 DEI osequio occurrentes; suscipe etiam sponte
 tanceas

taneas corporis afflictiones per jejunia, cilicia, flagella, victorias quotidianas in somno, cibo, potu, aliisque; & hæc & alia omnia age, ut cruciatus æternos evadas. Melius est pati modicum, quàm pati æternùm. Melius est abstinere voluptate modicâ, quàm pro ea pati æternùm. Noli esse tuus hostis; miserere membrorum tuorum, miserere corporis tui, miserere & animæ tuæ; cùmque delicatè nutritus sis, patere hæc modica in mundo, ne pati cogaris æterna. Miserere animæ tuæ; pignus tam nobile, ne Orco cruciandum porrigere: nec terminum, nec exitum tormenta flammæa habent, ut anima: ne negliges!

6. Antequam te dimittam, revoco in memoriam S. Aloysii voces jam supra relatas: *Quid hoc ad vitam æternam?* has jam sic adhibe. Occurrit labor aliquis, molestia, tædium in DEI servitio; vince generosè, & dic: quid hoc ad vitam æternam? id est, quantillum ago, si hoc faciam, si molestiam hanc feram, cùm DEUS mihi remuneraturus sit in Cælo? quantillum est ad mercedem illam æternam? ergo animosè laborem aggrediar, vincam tædium & molestiam. Adde jam contrarium, & dic: quid hoc ad pœnam æternam? offert dæmon voluptatem in peccato: dic, quid hæc est, si conferatur pœnæ æternæ? an digna est emi tot suppliciis? Ergo repudiabo voluptatem hanc, ne pro ea subire cruciatus debeam nullo unquam fine terminandos. Aut sic adhibe: si offertur gaudium illicitum,

fuge illud, & dic: quid hoc ad vitam æternam
quid est gaudium hoc, si cœlestibus conferam
cœlestia quæram: majora parat DEus, ac mun-
dus offerre possit. Si occurrit grave aliquid,
fer illud DEI amore, cogita: quid hoc ad poe-
nam æternam? quantillum est, si Orco confere-
ram? feram hoc libenter, ut cruciatus æternus
evadam.

Affectus. Magne DEus, ecce denuo revertor
ad te, & tuis advolvor pedibus: revertor ad te,
quia abii post concupiscentias meas, & adhæsi
inimico salutis meæ, dæmoni. Aperuisti jam
mihi oculos, ut agnoscerem, quàm præclaram
famulis suis mercedem persolvat; quàm terribi-
lis peccato insit malitia; quamdiu pro tantilla
voluptate patiendum mihi sit inter inferos. Gra-
tias ago tibi pro agnitione mihi concessa. Tu
meo gehennam, quia æternam esse agnosco.
Timeo peccatum, quia agnosco, quanta tui of-
fensa sit. Timeo Iustitiam tuam, quia horren-
dis adeò tormentis castigat contemptores suos.
Adoro tremendam Majestatem tuam, quia di-
gnos statuit prævaricatoribus divinæ legis cru-
ciatus. Amo Bonitatem tuam infinitam, quæ
tanta parat sibi famulantibus in Cœlo præmia.
Laudo immensam clementiam tuam, quæ me
hactenus millies infernalibus tormentis promer-
itum sustinuit, nec, ut meritis eram, detruit
ad inferos. Vicit hæc clementia & bonitas tua
malitiam meam; & ecce vinctum me & captivum
sisto huic tuæ Clementiæ. Miseratio tua est,
Domi-

Domine, quòd vivo, quòd non consumptus sum. Ne repellas supplicem à pedibus tuis, quem protervum & impium ad te vocâsti. Detestor, execror & abominor, quidquid hætenus contra sanctissimam legem tuam perpetravi; detestor tempus omne, quo Dæmoni servire malui, quàm tibi DEO meo! ô utinam meo etiam cruore abolere possem iniquitates meas! Detestor eas, non tam quia æternas inter inferos pœnas promeritus sum, quàm quia tanta Majestatis tuæ offensa sunt, ut sic castigari mereantur.

Proposita. Vivam jam tibi, Domine. Abrenuntio Sathanæ, & adhæreo tibi, Christe; adhærebo in tempore, ut adhæream in æternitate. Fieri nunquam poterit, ô mi DEUS, ut ego deinceps discedam à te; quia ne æternum à te reiectus torquerer, præstitisti. Nunquam fiet, ut ullam voluptatem illicitam quæram, quam tantis vidi castigari suppliciis. Nunquam ad servitia dæmonis redibo!, qui acerbum adeò famulis suis solvit stipendium: omnia agam, omnia patiar, ne æternum à te separer: jube, Domine, quod vis, agam omnia. Vis, ut abstineam à confortio illo? abstinebo, Domine. Vis, ut extirpem consuetudinem illam, ut fugiam voluptatem in peccato illo - - - fugiam Domine, extirpabo. Quid enim hæc ad pœnam æternam? Vis, ut tolerem patienter labores scholasticos; ut feram molestias in tuo obsequio occurrentes? feram Domine, tolerabo. Vis, ut me vincam

in rebus sæpe etiam licitis? vincam me, Domine, quid enim hæc ad vitam æternam? Omnia agam, ut æternum tibi conjunctus, te laudem & glorificem in Sæcula.

Petitio. Tu misericordissime DEUS, conserva in me horrorem æternitatis infelicis, & beatæ desiderium, ut ita utroque impulsus declinem à malo, & faciam bonum; ut tibi constanter serviam, & tandem velut divinæ tuæ bonitatis vivum trophæum misericordiam tuam valeam per omnia sæcula deprædicare. *Pater noster &c.* Repete voces ultimas: libera nos à malo; intellige & malum culpæ & pœnæ.

Ad DEum. Pater de Cœlis DEUS, miserere mei, & ne proicias me à facie tua in æternum. Fili Redemptor mundi DEUS, miserere mei &c. Spiritus Sancte DEUS, miserere mei &c. Sancta Trinitas unus DEUS, miserere mei &c.

Ad B. Virginem & Sanctos. S. Maria ora pro me, ne æternum proiciar à facie DEI. S. DEI Genitrix, ora pro me, ne &c. S. Virgo Virginum, ora pro me &c. Omnes Sancti Apostoli & Evangelistæ, orate pro me, ne proiciar à facie DEI in æternum. Sic perge nominando Sanctos, quos tua Pietas dictabit.

Consideratio XI.

De Filio Prodigo.

Consideratio hæc ab illo præcipuè legenda est, qui Confessionem Generalem peragere cogitat; per hanc enim ex agnitione propriæ malitiæ,

litæ, & divinæ clementiæ ad majorem peccatorum detestationem inducetur, nec non in proposito vitæ piæ confortabitur. Pars sexta Considerationis legi solet Confessione jam factâ, partes reliquæ ante eam.

Recitata ergo oratione, cogita Te velut filium prodigum jacere ad pedes Crucifixi, quem ceu Patrem amantissimum peccando deseruisti. Roga gratiam, ut agnitâ tuâ malitiâ, Deique erga te bonitate ad seriam peccatorum detestationem movearis, & constantem DEI amorem.

Pars I.

Filius Patrem deserit, & quare?

DOctrina. Homo erat habens duos filios: natus minor dixit Patri: da mihi partem substantiæ, quæ me contingit - - Acceptâ parte, congregatis omnibus profectus est in regionem longinquam. Impudens juvenis! hæreditatem à Patre adhuc vivente postulat, tanquam ex justitia sibi debitam; quasi verò non tota Patris esset. Petit ideo, ut discedere possit à Patre, Patrem deserere. In faciem quasi obiicit Patri, nolle se ultrà cum eo persistere, procul se discessurum. Congregat notos, valedicit licet dissuadentibus; abit in regionem longinquam, ut à Patre remotissimus esset. Filius sic cum Patre agere? an non omnem ei reverentiam, amorem, omne obsequium debet? & sic cum Patre agere ausit? Cur verò Patrem deserit? an malè ei fuit in domo Patris? minimè; nam ipsis mercenariis

Y s

bene

bene fuit ; cur non filiis ? an extra domum Patriam majus aliquid & melius speravit ? neque hoc prudenter ; quis enim ei Patris loco erit ? quis nutriet ? an ei aliquid defuit ad commodè vivendum & splendide ? an à Patre habitus est asperè ? Pater erat mitissimus , deesse filio nihil passus est. Cur ergo Patrem deserit ? ut liberius vacaret genio suo ; ne cogeretur amplius sustinere monita Patris ; ne ei deberet subesse & obedire. Fastidire cœpit, vitam exigere secundum regulas rectæ rationis ; patris regimen velut iugum servile horruit ; hinc ut vitam liberam ageret, Patrem deseruit. Amor libertatis, tædium obsequendi, imprudentem juvenem seduxerunt. Stolide juvenis, nescis profectò, quid sit libertas, quàmque nociva !

Nunquid ita sentis, Studiose, indignaris impio & stolido juveni ? Mitte iram, aut in te ipsum converte. Tu, tu es ille arrogans, & stolidus, & rebellis filius Patris æterni, Patris amantissimi : Filius natus minor ; primogenitus enim Christus est. Tu, tu ille, qui petiisti portionem substantiæ tuæ, aut hæreditatem ; hoc est, voluisti libertatem à DEO datam usurpare ut tuam, sensus ut tuos, talenta & bona alia ut tua, quæ tamen re ipsa ad DEum pertinebant, utpote à DEO creata. Voluntas tua magis DEI est, quàm tua ; corpus & Anima, nec non utriusque dotes magis DEI sunt, quàm tua : & tamen quasi tua essent, voluisti cum iis agere, uti illis pro libitu tuo, ea in finem malum, hoc est,

est, in DEI Patris tui offensam convertere: & hæc quasi in faciem DEI dicere ausus es, eo præ-
 sente, vidente, audiente facere. Quod dum
 fecisti, petiisti ab eo discedere, eum deserere;
 nam omne peccatum est discessus à DEO, se-
 paratio à DEO, desertio DEI. Abiisti in re-
 gionem longinquam, ad statum peccati; nihil
 enim longius à DEO remotum est, peccato;
 peccator maximè distat à DEO. Deseruisti er-
 go DEum toties, quoties peccasti graviter. O
 te infelicem! DEum deserere quid est? deseruisti
 DEum, Patrem tuum amantissimum; licet dis-
 suaderet conscientia, dehortaretur Angelus
 Custos. Deseruisti. Qua ex causa? cur Patrem
 cœlestem deseruisti? quid tibi deerat, quando
 vivebas cum eo in innocentia prima? An DEus
 te aliqua in re offendit? an de necessariis non
 prospexit? quid ultra debuit facere? *Filios enu-*
trivi, ait ipse, & exaltavi. Enutrivit te, exalta-
 vit te. Quid ergo ad turpem adeò desertionem
 te impulit? an negavit aliquid, quod jure pete-
 bas? an nihil tibi oblectamenti concessit? Scio
 contrarium: plenissimam dedit facultatem
 fruendi honestis gaudiis; sordida tantum, &
 quæ tuam dignitatem minimè decebant, pro-
 hibuit, quo nihil justius. Neque enim con-
 querendi causam habet filius Regis, si prohibea-
 tur cum vili rustico in plateis lutum colligere,
 struere ex iordibus valla & aggeres, aliâque simi-
 lia exercere; cum indigna sint animo regio. Ita
 nec tibi conquerendi causa ulla fuit, dum Pater
 tuus

tuus tibi voluptates foedas, bruto, non homine dignas interdixit. Cur itaque Patrem deseruisti? cur aspectum & jugum fastidire coepisti? scilicet, ut cum Filio illo prodigo liceret uti libertate, & vivere ad genium tuum. O consilium longè turpissimum! Ergo pestiferæ libertatis amor: eò te adduxit, ut DEO valediceres, cujus naturâ eras servus, adoptione filius; in cujus domo, id est, Ecclesia eras nutritus nutrimentis verè divinis? O stulta defectio! O audax desertio!

Reflexio. Filius prodigus, & tu cum eo, ad deserendum DEum impulsus est per tedium disciplinae domesticæ & observationis mandatorum. Ergo bene attende, & quando occurrit nausea in studiis, in oratione, in templo, in observatione eorum, quæ DEus à te exigit, illico nauseam generosè excute; ne eò deducaris, ut DEum deseras, omittendo studia, violando præcepta DEI, peccando.

Affectus. Pater æterne (liceat ita loqui) Pater æterne, ô quantum mihi ruborem mea exprimit imprudentia! eò usque desipere potui, ut te DEum meum desererem? ego Te, Te DEum meum, Te bonum infinitum, cui innumeris titulis servire tenebar? Quia misericors eras, impudens fui, & discessi à Te; aliam enim causam non reperio. Nauseabam præcepta tua, fastidiebam preces, templa, sacra omnia: res mihi nimis tetrica & gravis videbatur vivere semper secundum legem tuam: jugum tuum
nimis

nimis mihi acerbum visum est: credebam me
 lætorem fore, si à Te recederem, si genio meo
 indulgerem & sensibus, si libertatem in omni-
 bus quærerem. O iniquitatem meam pessimam!
 hæc ego Tibi? à quo tam pretiosè nutritus? tam
 sollicitè educatus? potui ego voluntate mea,
 libertate, sensibus uti velle pro libitu meo? an
 ignorabam esse DEI mei? à DEO concessa? in
 gloriam DEI & laudem impendenda? ô Pater
 æterne, erubesco insaniam meam, & temerita-
 tem deploro! Fateor, meritus sum, ut, quia
 sponte discessi à te, audiam terribile illud, quod
 audierunt Israëlitzæ: *Vos reliquistis me, & ego re-
 linquam vos*: Meritus sum sed Domine, quia
 Pater misericordiarum es, per paterna viscera
 tua Te rogo, ne derelinquas me; quid enim à
 te desertus agam? Si ego amisi, quod filii erat,
 tu non amisisti, quod Patris est. Miserere ergo
 mei!

Proposita. Statuo posthac nunquam à te di-
 scedere, licet omnis mundi voluptas mihi pro-
 mitteretur: & quia mea desertio orta est ex nau-
 sea in servitio tuo, propono firmissimè omne
 tædium, quod occurret in templo, in precibus,
 in studiis, in tuo obsequio, animosè excutere,
 meumque animum ad Te erigere; ne abutar ta-
 lentis à te mihi clementissime concessis.

Petitio. Domine, qui dixisti: jugum meum
 suave est, & onus meum leve, fac ut lætus deinceps
 portem jugum tuum, sine ullo tædio am-
 bulem in lege tua, preces meas ferventer per-
 sol-

sol-

solvam, alacer festinem ad pietatem & studia, ne ex tepore hoc ad tui desertionem, ad peccatum inducar.

Pars II.

Filii Prodigii vita extra domum Patris.

Doctrina. Obtinuerat à Patre hæreditatem filius; abiit in regionem longinquam, dissipavit omnem substantiam vivendo luxuriose. Ut primum enim magnam pecuniæ vim sibi esse vidit in manibus, gestiens sibique gratulans, jam demum, agebat, vivam liberè, vivam hilariter: fræna laxabo cupiditatibus meis: fruatur bonis, dum sunt: non est, qui mihi obstitat: oculos Patris effugi: salva res est, vivam, ut libet. Assumptis ergo scelerum sociis pecuniam dilapidare cœpit, & dissipare. Quid agendo? an actiones nobilitate suâ dignas, quæ familiæ notam non inurerent? quæ manifestatæ Patri dolorem non afferrent? alia omnia egit. *Vivendo luxuriose*, ait sacer textus, *dissipavit substantiam suam*; hoc est, impendit in lusus, in potationes, in lasciviam. O malitiam juvenis! oblitum dignitatis suæ! oblitum laboris à Patre impensi in colligenda substantia!

Bene judicâsti, mi Studiose; sed tibi applica. Tu es ille dissipator bonorum tibi à DEO concessorum; tu indignus tanto Patre filius. Acciperas à DEO libertatem voluntatis tuæ, ut eligere possis bonum aut malum: acciperas talenta, sanitatem, vires, sensus corporis, corpus, ani-

animam: debebas hæc omnia impendere ad obsequium & laudem DEI tui, ei serviendo, eum amando: præcipuè gratiam divinam, quam DEus velut pretiosissimam gemmam in baptismo dederat, custodire debebas, cum ea operari actiones te & tuâ nobilitate dignas; filius enim eras magni Patris; quo nihil indignum admittere par erat; decebat imitari Boleslaum Regem, qui Patris sui effigiem, quam è collo habebat pendulam, sæpe intuens dicebat: absit, ut aliquid indignum admittam Patre meo, aut Patri displicens. Tantòque id magis fieri debebat, quantò majore labore Patri tuo, Jesu Christo, constitit gratia tibi concessa, Sacramenta Sanctissima tibi oblata; hæc enim non auro & argento, sed pretioso Sanguine Jesu Christi ab hoc ipsomet comparata sunt. Quid tu? quomodo impensa hæc à te sunt? Examina vitam & actiones tuas. O utinam non cogaris ingemiscere: dissipavi omnem substantiam meam vivendo luxuriosè, vivendo impiè, vivendo contra legem DEI! Quæ est vita tua hæctenus habita? an Christiano, an homine digna? libertas tua quomodo impensa est? an non ad offensam DEI, & animæ tuæ perniciem? tempus quomodo collocatum? quomodo talenta? vires? sensus corporis? quomodo corpus & anima? an ad gloriam Patris tui, an ad ignominiam? Gratia divina an non turpiter abjecta? Sacramenta aut neglecta, aut sacrilegè suscepta? O dissipationem impiam! quantum
boni

boni agere ad DEI gloriam potuisses, si concessis tibi talentis uti voluisses? Eheu dissipata sunt omnia!

Reflexio. Ecce quò deveniatur, si quis disciplinam domesticam, & Superiorum monita aversetur. Hoc nimirum spectat dæmon, dum Juvenes ad libertatis amorem impellit, ut deinde à Superiorum cura abstractos in omne vitiorum genus præcipitet. Hunc ergo fontem obstruat, scilicet amorem libertatis, nauseam disciplinæ scholasticæ, fastidium eorum, qui nos monere aut corrigere non cessant.

Affectus. O Pater amantissime, quomodo abscondam stultitiam meam? non possum Domine. Confiteor & accuso eam: ego sum ille prodigus filius, qui bona dissipavi: dissipavi bona illa, quæ tua mihi concessit liberalitas: dissipavi cogitationes intellectûs mei, rarissime de te cogitans: dissipavi affectus voluntatis meæ, non Te, sed creaturas amans: dissipavi sermones & verba linguæ meæ, otiosa, mendacia, inhonesta loquens: dissipavi tempus otioso, stertendo, confabulando, circumvagando: dissipavi talenta mea, ea non debite studiis applicando: dissipavi gratiam tuam divinam, eam pro voluptate brevi abiiciendo: dissipavi dies, septimanas, menses & annos, & omnem vitam meam, corpus & animam meam: dissipavi & pessime impendi dona tua. O me non modo filii, sed hominis etiam nomine indignum! Dum debebam mea libertate, meis talentis, sanitate,

tempore uti ad gloriam tuam, ad opera sancta, ad studia, ad pietatem, ad proximi ædificationem: nihil horum præstiti, omnia dissipavi. O pudor! ô nefas! ô injuriam, quâ te DEUM meum affeci! hanc unam, Domine, deploro & detestor, non damna, quæ in me justissimè redundant: parce mihi Domine, & miserere mei!

Proposita. Aliter deinceps impendam ea, quæ mihi concessisti. 1. Libertatem meam, mea talenta magis seriò applicabo, ut aptum tuæ gloriæ propagandæ instrumentum efficiar. 2. Non dissipabo tempus, sed vel Pietati, vel studiis dabo, prout officii mei ratio exigit. 3. Nunquam aspirabo ad libertatem vel recreationem illicitam: non subterfugiam labores scholasticos, frequentationem scholæ, accessum templi &c. non circumvagabor tempore illicito &c. 4. Non horrebo disciplinam scholasticam & ejus leges, sed in omnibus me subiiciam; non ægre feram Superiorum meorum monita, increpationes, correctiones, ne cum filio prodigo misere seducar.

Hic vide, qua re maxime abusus fueris, aut quam pessimè impenderis, & propone melius eâ uti: fortè talis erit tua lingua, pedes, manus, SS. Sacramenta &c.

Petitio. Pater æterne, hæc est seria voluntas filii tui, tibi rursus servire parati: confirma eam, & in ea persistendi gratiam largire. *Pater noster.*

Z

Pars

Pars III.

Misera Filii Prodigii.

Doctrina. Dissipaverat omnia filius imprudens: & quid ei evenisse credis? Evangelium dicit: *Cœpit egere*. Nunc tandem discere incipit, quod hactenus ignoraverat, quàm miserum sit à Patre recedere. *Cœpit egere*. Rerum omnium penuriâ pressus est: non ei vestis supererat; nam eam dissipaverat: non pecunia; nam hanc potus & luxuria devoraverat. *Cœpit egere*. At non sic in domo Patris: ibi rerum omnium affluentia erat. Quid verò jam agat miser? quò se convertat? à sociis, quibuscum bona abligiverat, desertus, nec eorum ope sublevatus quid agat? Audi, quid egerit: abiit, & adhæsit uncivium regionis illius. Ergo è penuria ad servitutem delabitur miser. Hæccine est vita illa hilaris, & læta, quam sibi promiserat deserto patre? jugum Patris suave & leve ferre noluit, quomodo feret jugum Domini duri & asperum? antea à famulis honoratus ut filius magni Patris, ò quantum sibi jam dissimilis! an suaviora erunt jussa novi Domini, quàm mandata Patris? hoc intelliget miser. Quæ putas fuisse jussa Domini hujus? misit filium hunc, ut pasceret porcos; Dominus enim iste pastor erat. O quid hoc? quò recidisti magne fili? porcos pascere? hæcne actio te digna? huc te libertas tua deduxit? huc disciplinæ domesticæ tædium? porcos pascere? adolescens nobilis? delicate nutritus?

tus? ô pudor! huc penuria adegit. Quâ verò mercede servitium adeò vile & abjectum suscipis, ô fili nobilissime? *cupiebat*, ait Scriptura, *implere ventrem de siliquis porcorum*. Siliquas porcorum ut haberet, quibus famem placaret, servituti adeò turpi se mancipavit. Siliquas porcorum? an iste cibus est, cui similem in mensa Patris unquam videras, miserime Juvenis? hæne sunt cupediæ tuæ? hæ deliciæ? siliquæ porcorum? ô miseria! ô infelicitas! Sed necdum finis. Felicem se credidisset, si vel siliquas has habuisset, quibus vesceretur; sed eheu! eò usque res deducta, ut nec has ei concederet immitis Dominus, testante ita Spiritu Sancto: *Cupiebat implere ventrem de siliquis porcorum, & nemo ei dabat*. O infelix conditio! ulteriusne restare quidquam potest? siliquæ porcorum! adolescens nobilis! hæne illa fortuna, quam extra domum patriam quærivisti? hocne te movit, ut domum Patris relinqueres, oculis paternis te subduceres? Exhaustus jam miseriis, cadaveri similior es, quam homini. In domo Patris malo adeò loco futurus sanè non fueras: laboribus & miseriis fractus es; hominem vix refers, à capite ad calcem sordidus, lutulentus, foetidus; verè pecus inter pecora, imò pecore infelicior: habent enim ista, unde alantur, tibi etiam siliquæ negantur. Huc te vita libera duxit.

Obstupescis miseriam hanc juvenis miserrimi, Studiose? tuam ipsius obstupescere, quæ multò major est. Abierat Adolescens ille, liber-

Z 2

tatis

tatis dulcedine allectus, & peregrè quidem, ne Patris vicinitas obstaret; dissipatâ cum sociis substantiâ cœpit egere: tu à libertate & boni temporalis desiderio seductus deseruisti leges DEI, ita quidem, ut fugeres etiam omnia, quibus revocari posses, fugeres consilia piorum, monita prudentum, minas Superiorum: dissipasti substantiam tuam, talenta tua, tempus, vires, corpus & animam, hoc est, vixisti in peccatis per varia membra & potentias commissis. Quid contigit? cœpisti egere: recessisti à DEO, ut libertate fruereris & deliciis; & ecce incidisti in penuriam summam: imaginabaris tibi, te hilarem esse non posse, nisi hoc aut illud peccatum faceres, hoc est, nisi DEum desereres; cum tamen certum sit, nullam esse quietem, nullum gaudium, delicias nullas extra DEum. Non agnovisti hoc, uti prodigus ille ab initio non cognoverat; quia initium mundani gaudii apparet pulchrum, suave, speciosum, suas habet illecebras: sed extrema gaudii luctus occupat; dum cessant gaudia, succedit languor, tristitia, timor ipsum gaudium in nauseam abit. Scilicet nemo felix deserto DEO esse potest: si quâ etiam voluptate peccator fruitur, brevis est; illico succedit penuria, luctus, afflictio. An non post expletam peccando cupiditatem, secutus est conscientix angor, inquietudo, tristis DEI offensi memoria, inferni horror, & mille alia animi tormenta? Hic fructus erat discessionis à DEO. Verùm ulterius. Suave Patris jugum
ferre

ferre non poterat juvenis ille, & postea coactus est jugo durissimo hominis barbari cervicem submittere: Patris jussa nimum videbantur aspera, & postea jussus est porcos pascere. Imago est servitutis pudendæ, in quam peccator redigitur. Nolebas servire DEO, Studiose, cui tamen servire etiam Angeli gaudent; volebas te ejus imperio subducere, & reipsâ subduxisti, dum peccabas. An liber evasisti? imò hostis tui infensissimi factus es mancipium; factus es servus dæmonis. O probrum! jugo diabolico collum subiicere an facilius est, aut honorificentius? ô inexcusabilem malitiam tuam! Quid ergo à dæmone, cui te in peccato mancipasti, polliceri tibi poteras? an suavius te habere potest, ac DEUS? quomodo te habuit? voluntariè te ei subjecisti: quid ille tibi vicissim præstitit? Idem, quod Dominus ille filio prodigo: misit, ut porcos pasceres, hoc est, curandis brutis tui corporis cupiditatibus te destinavit; fecit, ut collo tenus te in turpissimas voluptates demergeres; quo factum, ut à pristina dignitate dejectus etiam infra pecorum vilitatem abiiceris. O catastrophem longè funestissimam! verè impletur hîc, quod minatur DEUS Deut. 28. *Eò quòd non servieris Domino tuo, servies inimico tuo in fame & siti & nuditate & omni penuria.* Sic servisti certe dæmoni. Fatere enim, an verè lætam horam vel unicam habueris, quamdiu in peccatis vixisti? quære conscientiam.

Z 3

Quid

Quid autem demum fuit, quod in obsequio dæmonis tamdiu te retinuit? an ad votum omnia procuravit dæmon? an deliciis ad libitum fruitus es? an sitim tuam explere potuisti? ingemiscis certè, & agnoscis miseriam tuam. Tu tu ille prodigus, qui siliquis porcorum à dæmone tuo pastus es; quin ne his quidem. Gultasti tantum paululum; plus petenti nemo dabit. Siliquæ porcorum voluptates fœdæ sunt, quæ in peccato quærimus: has tibi primum velut mercedem obtulit dæmon, dignum sanè, quod prudentem allicere debeat, stipendium! vix gustare cœperas, jam iterum subtrahere cœpit: quæsiuisti voluptates, & non obtulit tales, quæ te satiare possent: famem tuam explere non poterat. O miserum te! siliquæ porcorum! hinc tibi sunt tuâ nobilitate digni? quò te abiecit? ô anima? anima, pane Angelorum nutrita à Salvatore, Patre suo se, ad porcorum siliquas abiiciat? ô pudor! hinc fructum habes discessionis à DEO. *Va filii desertores!*

Reflexio. Ecce Studiosè, quò Juvenem deduxerit amor libertatis, odium disciplinæ domesticæ, paterni imperii fastidium. Hæc scilicet via ad perditionem fuit juveni illi; hæc tibi ad peccatum semita. Aspirare ad libertatem, nolle aliorum subesse imperiis, aliorum sequi nolle consilia, spernere monita, via ad interitum retius est. In innocentia tua primæva adhuc es. Jam saltem tuo damno sapes. Quantum amas

amas salutem tuam, tantum detestare libertatem
 juventuti heu nimis noxiam; gaude iubesse Ma-
 gistris, Professoribus, Parentibus tuis; sequere
 aliorum bene tecum sentientium monita & con-
 silia. Non respice illos, qui libertatis aureæ
 bona prædicantes te invitant verbis illis: *Veni-
 te, fruamur bonis*: dandum aliquid est ætati: non
 ferendi sunt arcti hi limites: Superiorum moni-
 ta nimis crebra & molesta curanda non sunt:
 excessimus ætatem puerilem: pueri non sumus:
 quis ferat continuas cavillationes, increpatio-
 nes, minas hujus & illius Critici? ejus ope, ejus
 monitis non egemus: ratione utimur, scimus,
 quid bonum, quid malum sit: sunt & alii Stu-
 diosi, qui sic vivant &c. O Studiose, quam fre-
 quentes hi sunt aliquorum sermones, tam pesti-
 feri sunt! Semel si eis aurem dederis, jugum
 scholasticum si excutere cœperis per otium, per
 nocturnas etiam vagationes, potationes, cho-
 reas, lusus &c. si Superiorum tuorum monita
 contemnere, bene sentientium consilia fugere,
 paucis omnia, si libertatem quærere cœperis, o
 quam infelici loco res tuæ sunt! eò rues, quò
 prodigus ille ruit, in miseriam nempe miserrimam,
 utinam non sempiternam! Agnitâ ergo
 miseriam hominis, qui deserto DEO servire eli-
 git dæmoni, statue, nunquam amplius DEum
 deserere, sed ei ad extremum usque halitum ser-
 vire fideliter.

Affectus. O Redemptor mi! verè juvenis iste
 in statum miserum abjectus, meum est prototy-

pon. Ego sum ille, qui vivendo in peccatis, post amissionem gratiæ tuæ, post turpem à te defectionem, ad statum miserrimum delapsus sum: oblitus dignitatis meæ ô quò deveni! post epulas Angelicas abjectus ad porcorum siliquas. Verè expertus sum, Domine, quod per Prophetam dixisti: malum & amarum est, reliquisse Dominum. Reliqui te Dominum, te Patrem meum: maledictus libertatis amor me abduxerat. Credideram, me sine te vivere posse è genio, sed expertus sum, irrequietum esse cor, nisi quiescat in te: expertus sum, quàm nulla sit extra te quies. Hoc scilicet stipendium à dæmone mihi concessum est, cui te deserto, servivi. O triste stipendium! ô meam insaniam! ego à te ad tantam dignitatem evehctus, quomodo eousque me abiicere potui? fateor, Domine, quamdiu in peccato fui, nullam elievi cogitationem, nullum affectum, qui meâ nobilitate dignus fuisset; servivi enim sensibus meis; cogitavi de explenda cupiditate mea, corpori ut bene esset, laboravi; huic quid nisi siliquas turpissimarum voluptatum obtuli? O mi DEUS, hocne bonum illud fuit, quod me abduxit à te? quod, ut tibi rebellis fierem, effecit? quod me induxit, ut abiicerem gratiam tuam, tuæ renuntiarem amicitia, te Patrem meum desererem? O Domine, quid egi? comparatus sum jumentis insipientibus, & similis factus sum illis! Extende, quæso, paternam manum tuam, & disrumpe vincula, quibus fœdo adeò mancipatui adstrictus teneor: cupio dissolvi, & esse tecum!

Pro-

Proposita. Tibi soli serviam, Domine, & à te nunquam recedam: nunquam ad libertatem tam noxiam aspirabo: non reluctabor Superiorum consiliis & mandatis: non te deseram vilis voluptulæ causâ: jugum tuum portabo potius, quam jugum dæmonis; & cum hoc jugum nihil sit, nisi observare leges tuas, has observabo omni studio.

Petitio. Tu, piissime Pater, confirma, quod operatus es in me, ut tibi uni serviam, tibi uni adhæream. *Pater noster.*

Pars IV.

Prodigus in se reversus, quid fecerit?

D*octrina.* Dissipatâ omni substantiâ, vixerat aliquamdiu in durissimo servitio miser adolescens, non habens, unde vel famem vel penuriam consolaretur. O quàm ei acerba ista videbatur conditio! occurrebat ei sors pristina, qua in domo Patris gaudebat, ubi ad nutum erant omnia. Huic felicitati præsentem suam conferbat miseriam; & ô in quos gemitus abiit! ô quoties detestatus est horam, quâ à Patre discessit; libertatem, cujus amore seductus est; socios, quibuscum bona consumpsit. O quoties ingeminabat illud: qualis es, & qualis eras miserande puer? generis magni, magnæ stirpis magna propago: nuper Eois ditior undis, splendidus ostro, fulgidus auro: quò nunc divitiarum migrârunt? Modicum! modicum! ut fumus, vapor, somnia, sic transferunt omnia. Sed

quid agat? hinc domus patria, illinc sua ei ob-
 versabatur miseria. In domo patria præter fe-
 licitatem, qua ipse fructus erat, occurrebat præ-
 sens servorum & mercenariorum fortuna: illi
 ajebat, *abundant panibus, & ego exul fame pere-*
 Miseria propria lacrymas expressit. O quam
 melius mihi erat (sic secum ingemuit) dum sub
 Patris imperio vivebam! non scivi, quid fame,
 quid nuditas esset: nunc ah siliquæ etiam ne-
 gantur! *fame pereo.* Quid agam? Quid egit tan-
 dem? Consilium cœpit, quod nunquam expec-
 tâssem. *Surgam, ait, & ibo ad Patrem meum.*
 Quid, inquis, fili degener? tu ad Patrem?
 Patrem, quem tam turpiter deserueras? quem
 contempseras? cujus substantiam tam fœde di-
 lapidaveras? quo ille te vultu excipiet? an non
 tuam tibi exprobrabit impudentiam? an non
 ridebit in interitu tuo? an non domo excludet
 in qua manere antea noluisti? an non verbera
 etiam timenda tibi sunt? aliud cape consilium.
 Non capit: *Surgam, ait, & ibo ad Patrem meum.*
 hic solus meum in hac miseria refugium, sola
 spes superest: socii, quibuscum bona abligu-
 vi, nec possunt, nec volunt succurrere, abie-
 runt, me relicto: ibo ad Patrem. Fame pereo,
 si hîc perseverem: huic Domino ulterius servire
 nolo: surgam, ibo ad Patrem: cor ejus novis
 clemens est, misericors est, revertentem non abi-
 get. Si amisi ego, quod filii est, ille, quod Pa-
 tris est, non amisit. Paterna viscera movebun-
 tur, quando Pater intuebitur miseriam meam:
 hæc

hæc perorabit pro me. Ratum est: sic perire nimis durum est: surgam, & ibo ad Patrem. Mirabile consilium. Sed quid dices? quibus verbis ad clementiam eum inflectes? quo te modo excusabis? Non excusabo, ait, fatebor, quod res est, dicam: *Pater, peccavi in Cælum & coram te: jam non sum dignus vocari filius.* Dicam ea, quæ mihi dolor inspirabit. In memoriam ei reducam, quòd sit Pater: dum verò paternam bonitatem vocabo, amplectar genua, exosculabor pedes, confitebor culpam, dicam: peccavi; in hac enim Confessione, in tua bonitate salutem quæro: non vixi vitam filio tanti Patris dignam: recipe me saltem ut mercenarium, ne fame peream. Sic proposuit; sic egit: *Surgens venit ad Patrem suum.*

Studiose mi, secutus es filium prodigum impiè discedentem; secutus es dissipantem bona sua; secutus es turpiter fervientem, nunc & in se revertentem sequere. Quale initium fuit conversionis in misero juvene? Scriptura ait: *in se reversus*: hoc est, expendit miseriam suam. Viden, quale bonum è miseria tua elicere debeas: non est persistendum in illa: surgendum est à lapsu licet gravi & luctuoso. Illuminavit te DEUS, fraudes dæmonis detexit, dæmonis, inquam, qui tibi vitam in gratia DEI finxerat esse plenam tædiis, vitam verò in peccatis voluptate refertam. In te ergo revertere. Considera indignitatem servitutis tuæ. Quid quàmne indignius est, ac hominem famulari diabolo? quid

ab

ab eo expectas præmii? quid mercedis? Considera vanitatem, turpitudinem, mendacem fructum illarum voluptatum, quibus frui gaudebas quidquàmne brevius? vanius? in fine acerbius? Considera altitudinem animi tui ad altiora geniti, quàm ut quisquiliis hisce pasci velit. Nascetur exinde horror statûs præsentis & derelictio, primùmque sic habebis gradum ad salutem. Filius prodigus in se reversus, attendit felicitatem pristinam in domo Patris habitam. Sic tu compara modernum statum peccati cum vitæ illa, quam vivebas adhuc in prima innocentia, DEO & hominibus gratus, vescens inter uberissima mentis gaudia Pane Angelico, conscientiam habens quietam, non nisi cœlestia anhelantem, neque mori metuentem. O quæ felicitas! hanc compara cum præsentis statu & periculo, cum angoribus conscientia, quos patris, sciens peccata quidem admissa esse, an verò dimissa sint, nesciens. Hæc cogitans an non tacitus ingemiscis: ô me miserum! quantò felicior vivebam in domo Patris mei, in gratia DEI, in innocentia versans? ô quantò lætior eram serviens DEO, ac serviens dæmoni! quantò plenior solatio, habens DEUM amicum, ac jam, dum hostem habeo & vindicem formido. O quæ tunc mentis serenitate fruebar! quàm tranquillus omnisque curæ expers cubitum ivi! conscientia mea nullo gravi scelere contaminata ô quàm suavi me pascebat solatio! Jam verò eheu, quos stimulos sentio! quibus premor angoribus!

qui-

quibus furiis noctu diuque crucior! quocun-
 que me verto, funesta semper formidinis argu-
 menta se se offerunt. Si sursum oculos levo,
 Cœlum video, unde velut indignus prohibeor,
 quod tanquam destinatum mihi hæreditatem
 dissipaverim eam; nescio, an aditus unquam mi-
 hi adhuc sit concedendus. Si oculos demitto,
 en carcer Tartareus apparet, in quo ardere æ-
 ternum & torqueri meritus sum; & quis scit, an
 evasurus sim? Si huc illuc circumspicio, creatæ
 res omnes meam mihi defectionem exprobrant;
 si in me ipsum defigo oculos, pudori mihi sum,
 quia pecudis potius quam hominis imaginem
 refero. Nullius mors campano ære denuntia-
 tur, quin de imminente mihi morte moneri me
 credam, cogitans: fortè non nisi paucos dies
 à morte, ab inferno absun. Nullo Cœlum
 tonitru insonat, quin cor trepidet metuens,
 ne merito pridem fulmine deiiciatur ad inferos.
 Nullâ valetudinis molestiâ afficior, quin apo-
 plexiæ aut alterius festinæ mortis suspicio hor-
 rorque mentem concutiat. Neque corporis
 voluptates, pessima peccandi materies, satis ob-
 lectant animum, utpote quæ majore amarore
 à rea conscientia miscentur, & haurientis sitim
 irritant potius, quam expleant. Fame pereor! O
 miseram conditionem meam! Peccavi! Patrem
 deserui! Cœlum amisi! infernum meritus sum!
 quovis momento mori possum! damnari pos-
 sum! Peccavi! DEum deserui! ô qualis sum?
 qualis fui? Orco destinata victima sum; hostis
 DEI

DEI

DEI sum, socius dæmonum sum; mille peccatis, mille miseriis obrutus propè contabesco. Huc me desertio DEI, huc brutæ voluptates, huc libertatis amor dejecit.

Sic ingemiscis, ut arbitror, & meritò quidem: vivere enim deserto DEO, vivere in peccato, vita miserrima est, mille angoribus referta. Quid verò ages? an tua in miseria peribis miser? noli, quæso, tibi ipsi tantum nocere. Spes salutis superest; initium jam habes, agnitionem nimirum miseriæ. Quis porro succurret? quis hærenti in profundo manum porriget? Prodigus illi quis porrexit? quò ille confugit? *surgam*, dicebat, & *ibo ad Patrem*. Eia age, & Patris tui, turpiter quidem offensi, Patris tamen tui bonitatem considerans, fiduciam concipe. Times ad nomen offensæ & desertionis? causam habes. Sed erigere, consolare, spem concipe ad nomen Patris. Solus ille est, quem offendisti; verum est; ast & solus est, qui velit, possitque succurrere. Asylum apud scelerum socios, aut Dominum suum, cui miserrimè serviebat prodigus, non quæsit: sciebat enim, Dominum id non permissurum esse; scelerum socios autem fugisse procul. Nec tu, Studiose, asylum quærere potes apud eos, qui te in tantam dejecerunt miseriam; nec apud dæmonem, cui serviisti in peccatis. Ad Patrem igitur, ad Patrem revertere: satis servitum est dæmoni: abunde sensisti, quàm miserum sit à DEO discedere: satis expertus es, quàm parvula & misera

sera sit voluptas oblata à dæmone in peccatis. Ad Patrem igitur revertamur. Novi cor ejus; revertentem certò suscipiet; condonabit offensam. Si in hominibus spes figenda esset, fateor, spem juberem abiicere: dum verò ad DEum confugere jubeo, nil metue: in corde Patris reperies cœlestis bonitatis abyssum, quam omnes tuæ offensæ, omnia peccata nec exhaurerunt, nec exhaurire possunt. Ad Patrem ergo veni, per Confessionem & Pœnitentiam seriam.

Reflexiones. 1. Si filius ille motus est ad salubre adeò consilium ex consideratione præsens suæ miseræ, & Paternæ bonitatis; ergo saluberrimum est, sæpe cogitare damna & effectus peccati, miseriam peccatoris & pericula; nec non DEI optimi misericordiam, ut sic ad horrorem peccati & veram pœnitentiam commovearis.

2. Detestatus est filius ille suam insaniam, detestatus horam, quâ à Patre suo discessit; detestatus est socios, à quibus ad desertionem inductus fuit, & quibuscum bona dissipaverat: tunc modò agnoscebat, quàm mala fuerint sociorum consilia, qui paternis ædibus & disciplinâ constringi, rem juveni intolerabilem esse dixerant; quàm verè hostes salutis fuerint, non amici. Neque ab illis auxilium poterat expectare: quamdiu enim crumena farta erat auro, quamdiu vacari poterat deliciis, aderant: deficiente verò auro, irruente miseriâ, fugiebant omnes. Ergo tu quoque post tot monita tandem agnosce,

noſce, quàm falſa ſint, quæ tibi focii tui occi-
nunt de difficultate diſciplinæ ſcholæſticæ, de
jugi paterni moleſtia, de dulcedine ſæculi &
libertatis, de difficultatibus in ſtatu Religioſo
occurrentibus &c. deteſtare horum conſortia,
à quibus nullum aliquando auxilium ſperare
potes: deteſtare horam & diem, quo per pri-
mum maxime peccatum mortale à DEO diſceſ-
ſiſti: deſſe inſaniam tuam, & emenda.

3. Adoleſcens ille non agnovit, quid ſit
libertatem quærere, niſi dum damna inde ena-
ta ſenſit; tum modo vidit, quantillum habuiſ-
ſet ſolatii, & quantâ jam premeretur miſeria.
Ergo tu quoque ad hoc ſæpius refleſte: quid
demum eſt, quod in peccato quæro? quanti-
lum eſt! quàm gravi mœrore clauditur! erit hoc
incitamentum, ne pecces.

4. Adoleſcens ille non deſperat; quia Patris
clementiam novit, ſed ſerio ſe reſolvit: ſurgam.
Multa certè fuerunt, quæ abſtèrrere eum po-
terant, & inter hæc non levis pudor, non mo-
dicus paternæ increpationis timor. Vicit ille
iſta, cogitans: minora hæc ſunt, quàm ut per
ea abſtèrritus in miſeria mea contabeſcam. Fe-
ram increpationes Patris, feram etiam pœnas;
feram illuſiones aliorum: melius eſt, quàm ut
ſic moriar & quidem inimicus Patris mei. Stu-
dioſe mi, ſi aſpicias peccata tua, forte pro Con-
feſſione generali conſcripta; ſi recordaris vitæ
tuæ peſſimæ, noli ſpem emendationis abiicere.
Confundi debes ob peccata præterita, dolere
debes,

debes, detestari ea debes, & è periculo salutis emergere, ne in illo moriaris & pereas; sed animo cadere non debes. Vivit adhuc clemens Pater, Pater misericordiarum. Surge, accede, veniam roga. Times forsan increpationem Confessarii, quem sui vicarium statuit DEus? times pœnitentiam duriolem? pudor te retinet, ne manifestes peccata tua? Studiose, per animam tuam te rogo, vince te! levia sunt ista: status tuus nimium horribilis est. Si gravius aliquid à te peteret DEus, cum gaudio agendum esset. Vince te! Confessarii increpationem ne metuas; nam & ipse homo peccator est: benignè excipiet: aut si increpationem addet, si pœnam nonnihil acerbam imponet, quid tandem est? an faciliùs feres continuos tuæ conscientia angores? faciliùs inferos? faciliùs miseram in peccato mortem? absit. Neque pudor te absterreat: pereat iste, ut salvetur anima; ut libereris statu adeò misero: præstat paululum confundi, ac in conditione tam misera hære, & mori. Quæ verò demum est confusio illa? coram homine uno, qui nec verbum de re hac audet facere? quæ confusio? facessant inania hæc terriculamenta à dæmone objecta. Vince ista, fiduciam concipe, generosum cape consilium: surgam, surgam, & ibo ad Patrem meum. Surgam ex hoc tepore meo, ex hac consuetudine mea, ex hoc luto peccatorum: surgam!

A a

s. Non

5. Non aquievit filius ille proposito à se facto, implere etiam ocyus incepit. *Surgens venit ad Patrem.* Proposita hæctenus facta implenda sunt, & quidem, ut primùm fieri potest. Non distulit juvenis ille de tempore in tempus; fortè enim aut assuefactus fuisset miseræ suæ, aut in ea miser periisset; aut si Dominus rem subodoratus esset, ab hoc fuisset impeditus. Studio se, sancta fecisti proposita; dixisti: surgam, vitam me: revertar ad DEUM per Confessionem seriam & emendationem perfectam. Urget te inspiratio divina, & ostendit Patrem divinum expansis jam brachiis te expectantem. Cave, ne elabi sinas tempus pretiosum; cave, ne in peccato hæreas diutiùs; aliàs peccato assuefactus non curabis ampliùs DEI minas, aut inspirationes: de peccato rues in peccatum. Quo finit eo, quem Christus prædixit Pharisæis: *In peccato vestro moriemini.* Morieris in peccato æternum infelix: dæmon te magis magisque alligabit, ut te fortiùs teneat; non poteris aliquando, dum voles, si jam noles, dum potes. Ergo surgam, proposita imple, emendationem aggredere. Quid profuisset Prodigio habere Patrem clementissimum? fecisse etiam propositum surgendi, si reipsa non surrexisset, Patremque accedens tantâ se miserâ liberâisset? Tibi pariter quid sancta poterunt prodesse proposita, si implere ea differas? Audendum est: surge, veni ad Patrem.

Affectus. Ratum est: surgam. Urget & cogit me miseria mea longè maxima; terret me periculum

culum damnationis æternæ: allicit DEI clemencia. Surgam è peccatis meis; surgam è consuetudine illa; surgam, & ibo ad Patrem meum, ad Patrem, qui in Cœlis est. Pater mi! venio ad te! Pater, peccavi in Cœlum & coram te! Pater mi! verè Pater, quia creâsti, aluisti, conservâsti me. Pater mi! Patrem te appello filii nomine indignissimus. Pater es: talem te vocari jubes. Pater mi, peccavi! quid enim negem? culpam fateor, peccata deploro: peccavi! Te deserui, & iram merui. Super numerum arenæ maris multiplicavi peccata mea. Peccavi in cœlum, peccavi coram te, in conspectu tuo: peccavi contra bonitatem tuam, quam innumeris vicibus fueram expertus. Ab hac ipsa bonitate crescit jam dolor meus. O maledicta hora, quâ tantam bonitatem irritavi! Peccavi; tu perdere jam me potes & damnare, quia meritus sum. At filius tuus sum, licet degener: creatura tua sum, licet impia: opus manuum tuarum sum, licet rebelle. Non delectaris perditione meâ, non vis mortem peccatoris. Pater mi! tu Pater permansisti, licet ego filius esse desierim: tu in ipsa, quam mihi paraveram, miseria, pro me parâsti remedia. Ergo esto Pater meus, & suscipe filium degenerem, ut magnificetur misericordia tua super me. Fateor, non sum dignus vocari filius tuus; sed si filius esse posthac non possim, fac me sicut unum de mercenariis tuis. Non peto blanditias illas, illos favores, quibus cumula-

re soles innocuas animas, fideles servos tuos, tibi constanter servientes: sat magna mihi gratia & favor erit, si illis me annumeres, qui Pœnitentiæ ope ad Cœlum eniti debent in splendore vultûs sui: laborabo libens, & ardua omnia perferam pro salute mea, pœnitentiam agam pro peccato meo, vincam me, negabo sensibus meis etiam licitas sæpe voluptates. Respice me oculis misericordiæ tuæ!

Proposita. Ex hac hora surgam è vita priorè, è peccatis meis: surgam è luto, in quo demersus hæreo: surgam è consuetudine illa, & serio convertar ad te. 1. Sæpe considerabo miseriam peccatoris, & periculum, in quo versatur, nec non quàm modicam voluptatem è peccato hauriat. 2. Detestabor indies infelicem illam horam, quâ peccatum primum admisi; & ideo conabor singulis horis breviter elicere contritionem. 3. Fugiam eos, qui me ad libertatem, & ad peccata invitant. 4. Pudorem noxium in Confessione generose vincam, potiùs actum spei & fiduciæ erga optimum DÈum concipere conabor.

Petitio. O magne Pater, Domine misericordiarum, DÈus totius consolationis, respice me & miserere mei! En statui surgere & reverti ad te: ne reiicias, quæso, me à facie tua. Non deferam te posthac: etiamsi oportuerit me mori tecum, non te deseram: etiamsi dæmon obtulerit mundi voluptates omnes, non te deseram. *Pater noster &c.*

Pars V.

Filius Prodigus quomodo exceptus
à Patre fuerit.

Doctrina. Textus sacer sic habet: *Surgens ergo filius venit ad Patrem suum. Cum adhuc longè esset, vidit eum Pater ipse, & misericordiâ motus est, & accurrens cecidit super collum ejus, & osculatus est eum.* Boni cælites! quale hoc prodigium Patris! quid expectare poteram, nisi Patrem audito filii nomine & adventu fores domûs oclusurum esse, & quâ olim contumaciâ fuerat fastiditus, eâdem nunc in repellendo filio usurum? dixisset alius: procul facesse conspectu meo, non ego te amplius agnosco filium: noluisti in domo patria persistere, vade, quò te tua libertas deduxit, & inobedientiæ fructus experire. Alius nescio, an non verberibus quoque venientem abegisset. Non sic Pater iste mitissimus: ea agit, quæ sine stupore cogitari non possunt. 1. ut primùm eum vidit, misericordiâ motus est; misericordiâ, non indignatione, cujus causam habuisset æquissimam: misericordiam hanc abscondere non valuit, sed 2. Accurrit ad filium suum: non modò vadit obvius, quòd multum fuisset, sed passu festino, præproprio cursu penè contra senilis ætatis decentiam accurrit. Quid, quæso, festinas vir bone? Prodigus ille est, contumax ille, ille rebellis filius, substantiam omnem dilapidavit: multum agis, si in gregem famulo-

rum suscipis : quid curris ? veniat ille, ploret, roget. Non ita Pater, clementiâ alas addente, advolat. 3. Cadit super collum & osculatur eum. Quem? quis? ô stupenda bonitas! trepidabat iuvenis, & pedibus paternis tremulus advolvi parabat, jam jamque triste suum ingemebat: *Pater peccavi!* cum ecce loquentis vocem abrumpit, trepidantem amplectitur, paternis brachiis arctissimè constringit, quidquid malitiæ actum est, momento obliviscitur; sola jam tangitur filii miseriâ, prodigum recipit non ut offensus, sed ut amantissimus Pater. Unum hîc velim expendas: quis animus fuerit filii prodigi in hoc eventu, quid cogitaverit: loqui enim præ excessu gaudii dolorisque non potuit: constrictus paterno amplexu filius, ô in quas lacrymas abierit! expressit eas de tam bono Patre offenso. Jam vide, quid ulterius egerit Pater. 4. Dicebat famulis: citò proferte stolam primam, & induite illum, & date annulum in manu ejus, & adducite vitulum saginatum, & occidite, & manducemus, & epulemur. Certè nisi Evangelium diceret, rem impossibilem diceres. Jubet afferri stolam primam, vestes splendidas, dari annulum, publicam parari lætitiâ. O amor! ô liberalitas! restituitur ergo primæ felicitati degener ille, jam charus filius; vestitur æque bene, ac si hæreditatem non dissipasset; honoratur epulo, omnia perfectæ conciliationis signa accipit. Cur verò ista agit Pater? an utilitatem forte è filii

è filii reditu hausit? nullam. Causam hanc ipse assignat: quia hic filius meus mortuus erat, & revixit, perierat, & inventus est. Hanc gaudii causam dat, salutem nimirum filii, quem jam periisse credidit. Verùm, Pater mi bone, an satis non fuerat, si in abjectissimo domûs angulo asylum reperisset redux tuus filius? an ad complexus etiam & oscula admitti debuit? an tanta adornari solennitas? Satisne non erat eum recipere? Satis utique (sic Pater reponit) satis filio meo, sed non satis amori meo. O bonitas! ô misericordia!

Miraris, Studiose, inauditam Patris hujus clementiam. Quis verò Pater ille? quis ille mitis & clemens Pater? Pater ille cœlestis Pater est. O quâ ille bonitate revertentem peccatorem recipit, idest peccata omnia ritè confitentem! Cogita hominem, qui leges omnes divinas milies violaverit, qui omnem, quæ cogitari potest, malitiam admiserit: hic tot coopertus sceleribus si corde contrito ad offensum licet Patrem divinum redeat, peccata Sacerdoti confiteatur, ô quâ bonitate ab eo excipitur! 1. Pater iste amantissimus videns tantum peccatoris miseriam, movetur misericordiâ, non irâ: posset eum à se justissimè abigere, verbis asperis increpare; posset omnem ei negare veniam. An id agit? minimè: non abigit supplicem, non negat veniam, ingratitude non exprobrat, movetur misericordiâ, compatitur miserix, quæ ut tollatur, quid non agit? 2. Accurrit ad supplicem, festi-

nat ei conciliari, festinat ei conferre gratiam.
 Sic enim per Prophetam: *In quocunque die conver-*
tetur ad me, omnium iniquitatum ejus non recorda-
bor. 3. Amplectitur contritum supplicem, & in
 signum pacis amorisque sacro eum osculo digna-
 tur, veniam peccatorum plenissimam imperti-
 tur. O si videre posses, quàm sæpe hoc egerit
 & etiamnum acturus sit Christus cum anima tua
 tempore Confessionis serix! quàm suaviter
 eam fuerit amplexatus, uti olim vivens in terra
 tenero amplexu parvulos ad se venientes fove-
 bat. 4. Dicit famulis: *afferte stolam primam* &c.
 hoc est per Sacerdotes reddit vestem innocen-
 tiæ, reddit gratiam perditam, perfectam amicitia
 restaurat, dum absolvi te jubet à peccatis
 tuis. Neque hîc sistit DEI Patris optimi boni-
 tas: jubet etiam parari convivium. O quale
 lud! quàm nobile! non aliud, quàm divinum
 in quo seipsum velut cibum porrigit homini an-
 tea peccatori: convocat Angelos, ut gaudeant
 super peccatore pœnitentiam agente; quia hîc
 filius meus (sic enim quasi loquitur) mortuus erat
 & revixit; filius meus, Studiosus iste, filius crea-
 tione, adoptione, redemptione, mortuus erat
 per scelera, revixit per pœnitentiam. O Pater
 æterne, quæ tua ista clementia est, & in quem
 sicne ergo prodigum, sic impium recipis? ah quid
 dicam? vocem comprimit tua immensa bonitas.
 An satis non est recipi me in gratiam? adeo
 & pretiosum adeo cibum in SS. Eucharistia mi-
 hi jubes parari? O Pater mi, unde hoc meritum
 sum?

sum? Scio, non ego meritus sum: tua te sic urget bonitas: hæc, licet nullum è meo reditu commodum hauriat, in eo tamen ceu bono suo lætatur & exultat. Nunquid hæc sunt cogitationes tuæ, mi Studiosè? negare enim non potes, sic DEum tuum tecum egisse: recepit te post tot scelera; amplexus est per gratiam; recepit in amicitiam pristinam; non tractavit te velut mancipium; dedit iterum consolationes internas, quietem conscientia: & quid multa? se ipsum dedit. Dubita, si potes, de DEI bonitate & clementia. Aliud certe meritus fueras. Si tecum cogitas, quid sit vel semel peccare, quanta sit offensa Magni DEI, quanta injuria; si dein terribilem tuorum scelerum numerum attendis; ex altera verò parte mirabilem DEI in te recipiendo facilitatem consideras, nescio, an non in stuporem & extra te totus rapiaris. DEus, DEus, nullius egens, hominem peccatorem, toties rebellem, factâ unâ Confessione seriâ recipit in gratiam pristinam: ô prodigia clementia! Stuperes, si videres à Rege aliquo ad pauca verba in gratiam recipi aulicum, qui vitæ regis struxisset insidias. Quid agendum tibi est? tu, tu ille, qui rebellis, audax, impius in DEum insurgere ausus, eum, si fieri potuisset, throno etiam deiicere voluisti: & tamen: vide bonitatem immensam! & tamen dum corde verè contrito culpam fateris, pœna dimittitur, restituitur gratia, amicitia reparatur.

A a s

Ve

Velim hîc consideres aliqua, in quibus DEI tui bonitas multum excedit bonitatem Patris illius Evangelici. Verum est, accurrit Pater ille, veniam dedit: sed an etiam revocavit filium? an inquisivit in eum, ut reduceret? non: & quoties veniam dedit? semel. Aliter DEUS. Non revocavit Pater ille filium suum; revocat DEUS peccatorem: revocavit te per inspirationes internas, per bona amicorum consilia, per innumeras Scripturæ minas in exhortatione aut lectione occurrentes: *Revertere ad me, dicit Dominus, & ego suscipiam te.* Quid amantius dici potest? quid cogitari? Non quæsit Pater ille filium suum; expectavit, dum rediret: DEUS misericors te velut perditam oviculam Pastor bonus quæsit, invitavit, atque propè rogavit, ut redires. O amor! ô bonitas! ô excessus clementiæ! Vocavit te etiam in peccato; etiam dum hostis DEI eras; etiam dum tu quærebas DEUM peccatis novis offendere, ille te salvare quærebat, & ad poenitentiam reducere. Voces DEI erant cogitationes bonæ, hinc inde animo tuo illapsæ; voces DEI erant illa monita concionatoris, Professoris tui &c. Vocavit, quæsit te, gratiam dedit, ut redire velles.

Quoties hoc egit? hîc enimvero stupore totus obruor. Pater ille magnum quid egit ignoscendo semel: semel veniam dedit supplici. Si filius alterâ vice Patrem deseruisset, nescio, an benignè adeò receptus esset. Si verò quartâ, si sextâ, si decimâ vice sic errâset, non dubito, quin

quin intolerabili hac filii impudentiâ irritatus, omnem ejus curam abjecisset, veniam licet roganti negâisset, sic fortè eum alloquens: Quæ est ista ingenii tui levitas? quæ effrons voluntatis malitia? abire & reverti, reverti & abire; jam desertionis, jam reditûs pœnitere? en jam toties valere me jussisti: vale ergo & tu æternum; non ero ultra Pater tuus; rideri à te & ludi me non patiar; faceffe. Sic ille dixisset, & meritò quidem. Quid DEus? an ille hac ratione agit cum peccatore? O quoties, quoties vix acceptâ scelerum veniâ Patrem optimum illico deseruisti? vix facta subinde erat Confessio, vix Pater misericors te in gratiam receperat; & abiisti rursus ab eo, peccabas ut antè. Quid DEus? obstupescite Cœli! desertus toties DEus, tam protervè, tam impiè desertus DEus, revertentem postea peccatorem verè contritum eâdem benevolentia recipit, eodem amore prosequitur, ac recepit & prosecutus est post desertionem primam. Cogita ipse, mi Studiose, quoties Confessus fueris peccatum illud? remisit DEus: te recepit. Quoties factâ Confessione relapsus es in illud ipsum? remisit DEus: te recepit: recipiet etiamnum verè pœnitentem. Hic enim vero si potes, benignitatem hanc non obstupesce, quæ non nisi in DEO esse potest, quia infinita est. Verè Tertullianus: *Tam pius nemo, tam Pater nemo.*

Reflexio Quid ex his in rem tuam deducis? Hoc fanè, quod modò dixi: Ergo infinita est,

im-

immensa est DEI in peccatorem bonitas. Vere dicere potest DEus, quod Isaac moriens: *Et tibi post hac ultra fili mi, quid faciam?* Quid faciam ultra? certè tanquam sine te beatus esse non possem, sic egi tecum. Quid faciam ultra? Responde, si quid invenias; ego enim excogitare nihil valeo. At quo, obsecro, animo ista legis & expendis? Notasti suprà, quo animo fuerit filius ille inter amplexus Patris; hinc suam videns impietatem, illinc misericordiam Patris: gravissimo obruebatur dolore, quòd benignum ad eum Patrem offenderit. Hoc observa, Studiosè Diabolicum foret, si ex memorata DEI erga peccatores bonitate occasionem sumeres sapienter ab eo recedendi, sæpiùs peccandi; si peccares ideò, quia facile confiteri posses & accipere veniam. Tanta DEI bonitas ad pœnitentiam te movere debet & ad dolorem, ut millies detestaris omnem offensam, quâ benignissimum Patrem irritare ausus es.

Affectus. O Pater amantissime, ô verè totus Pater misericordiarum! stupore totus obruor, dum infinitam tuam in me bonitatem considero. Non aliud mihi superest, quod clamare possim nisi: ô bonitas! ô amor! ô clementia! ô Pater! quis ego sum, ut toties & tam paternè me in gratiam tuam receperis? quis ego sum, ut tot mihi amoris tenerrimi signa exhibueris? Vocasti me, cum fugerem à te; quæstivisti me, cum peregrinatus recessissem à te; incitasti ad pœnitentiam, obtulisti veniam, dum tui meditabar injuriam,
dum

dum novis te peccatis offendere cogitabam: revertentem verò ô quâ lenitate excepisti! Recepisti in gratiam, & (quod in amoris atque admirationis ecstasim me rapit) convivium planè divinum mihi adornâsti. O bonitas! ô amor! ô clementia! Hæc tu hæctenus mihi? O quas gratias, quàm immensas debeo! O creaturæ omnes meo loco laudate DEum; quia fecit mihi magna, qui potens, qui misericors est. Fecisti hoc hæctenus, Domine, facies & hodie in Confessione Generali. Video expansa in cruce brachia: audio clamantem: *Revertere ad me, & ego suscipiam te*: video, amplecti me postulas: ecce Domine, venio, venio, Domine, proiicio me ad pedes tuos: amplexum enim peccator miserrimus non expecto, velut nimiam pro indignissimo gratiam; pedibus advolvor, quâ possum voce, quo dolore clamo: Pater! Pater mi! peccavi! miserere mei! peccavi in Cœlum & coram te! ecce filius tuus degener mortuus est; fac ut reviviscat: ecce periit; fac ut inveniat per te, & salvetur: periit opus manuum tuarum, periit imago tua, periit pretium sanguinis tui: recupera illud, Domine, vivifica me secundum misericordiam tuam! Vivificabis me, sic spero, sciens quòd & gaudium è conversione mea sis habiturus. O veritas plena solatio! ego peccator conferre aliquid possum ad gaudium tuum: sic tu doces. Eia Domine, peccatis onustum me cernis & totum obrutum: conferam aliquid ad gaudium tuum & Angelorum: converto me ad

Te

Te ex toto corde meo; Detestor, abominor
 execror omnem tui offensam etiam minimam
 quia te Patrem meum, te DEum optimum offen-
 di & irritavi. Recipe me in gratiam tuam, &
 erit gaudium in Cœlo super peccatore pœni-
 tentiam agente. Pœnitentiam agam, ratum
 est: à Confessione inchoabo; posthac mortu-
 rus potius, quàm te levissimè offensurus. E-
 quidni? tu times me perdere, & ego non timeam
 te offendere? tu tam benignè recipis, cur non
 doleam, quòd discesserim? gaudium, quod
 conversione capis, me rapit ad te, ut conver-
 sum me videas. Quàm essem infelix, si hoc tibi
 negarem gaudium! Eja fruire gaudio hoc
 magne DEus: ecce cor contritum & humiliatum
 offero, ne despicias illud. Clamo, clamans in-
 gemino: Pater, Pater mi! peccavi! recipere me
 & nunquam permittite separari à te! Sentiam
 hodie infinitam illam clementiam, quâ pecca-
 to res ad te revertentes suscipere gaudes.

Proposita. Firmissimè statuo hanc tuam clem-
 entiam ne vel levissimè amplius offendere, sed
 sæpe ei agam gratias, quòd toties me receperit
 & ex hujus consideratione ad dolorem de pecca-
 tis & eorum fugam me incitabo.

Petitio. Hæc ipsa tua clementia, Pater miseri-
 cors, exaudiat preces meas, & infirmum confor-
 tet. Miserere mei secundum Magnam miseri-
 cordiam tuam! Magnam rogo, quia magnus
 peccator. Miserere! *Pater noster.*

Pars VI.

Quid Filius post reditum egerit.

Doctrina. Non quidem constat ex Evange-
lio, quid post tanta reconciliationis signa
egerit Juvenis ille; quis tamen dubitet, cum e-
gisse sequentia? 1. Saepe Patri suo optimo gra-
tias egit pro amore exhibito, & concessa venia;
agnovit enim, quantâ miseriâ per Patrem libe-
ratus fuerit; quàm indignus veniâ, eam tam faci-
le obtinuerit, & in filii locum receptus fuerit.
2. Crediderim meritò, quòd quoties Patrem
tam benevolum aspexit, quoties intuitus est
brachia, quibus Pater amplexus fuerat, toties
paterni amoris fuerit recordatus, priorem im-
pietatem detestatus, nec non genibus Paternis
iterum advolutus, de novo veniam petiêrit, li-
cèt de ea jam certus; fortè secum ita cogitans:
ô quomodo Patrem adeò mei amantem potui
deserere? quomodo tantum amorem offendere?
3. Planè mihi persuadeo, quòd in omnibus qua-
siverit placere Patri; quòd ad nutus omnes fue-
rit paratus, multò quàm antè obedientior;
quòd nihil non egerit, quod Patri placere crede-
bat; quod verò vel levissimè displicere ei posse
putabat, procul fugerit, hoc secum volvebat
animo, ut opinor: dignus est Pater iste amantis-
simus, ut vitam etiam meam impendam: tenebar
ei servire ante desertionem meam, quia filius
eram; jam verò, quia tam benignè ab eo rece-
ptus sum, novo obstringor titulo ad omnia,
quæ

quæ

quæ possum, obsequia ei exhibenda. At si Pater grave aliquid imperâisset filio, an hoc ab eo credis implendum fuisse? an fortè se excusâisset, aut rem nimis duram imperari dixisset? ah mihi me! jube Pater, dixisset, jube, quod lubet; nihil tam difficile, quod non lætus exequar: graviora merui: quidquid jubes, nihil est, si conferam illi miserix, e qua me eripuisti: levia mihi videntur omnia, dum cogito, unde me extraxeris: non possum conqueri de cibo, licet panem solum & aquam dares; quia recordor glandium & filiquarum, quibus vesci nuper cogebam, meritis hoc cibo vesci diutiùs: non conqueri possum de lecto, de veste, de mandato ullo; quia recordor, quòd alia planè meritis sim: illa cogitatio omnia aliàs acerba mihi jucunda reddit & dulcia.

Unum maximè hîc observandum est, nempe Constantia filii in obsequiis paternis, & facto proposito non amplius à Patre discedendi. Redierat ad domum Patris, & benignè susceptus ab eo fuerat. An posthac Patrem unquam deseruit? an denuo fugam rapuit? an vel voluntatem habuit Patrem amplius deserendi? Alia omnia: nunquam Patrem deseruit, nunquam aufugit, nunquam Patrem amplius offendit. Sed cogita, occurrisse filio huic Dominum illum, cui antea serviverat, & his eum vocibus allocutum juvenis mi, an non optas redire ad servitium meum? veni, desere Patrem, mihi famulare: ecce gregem porcorum totum tibi commitam,

per-

permittam te glandibus vesci, dabo siliquas, imò melius te habebō, quàm antè: veni! fruerè libertate! Quid reposuisset juvenis ille? an morem gessisset? an facta glandium aut siliquarum mentio eum inescasset? an promissa melioris servitii aut majoris voluptatis dulcedo persuasisset reditum? absit. Credam ego, quòd cum stomacho repulisset Dominum illum, ita inquit: faceisse protinus, sordide homuncio, faceisse. Quæ est effrons, quæ impudens petitio tua? egone tibi denuo serviam? tui amore Patrem deseram? ad eone ego desipiam? cibos domus patriæ cum tuis siliquis commutem? faceisse: feci olim coactus inopiâ meâ, quòd serviverim tibi; atque utinam non fecissem! nunquam sine dolore & pudore rei illius meminisse possum. Meliora jam promittis? non me decipis? novi fidem tuam, expertus sum promissa tua: vade, vade, alium quære, quem decipias, me in æternum non falles amplius. Ita dixisset profectò Juvenis, aut ne voce & aspectu quidem eum dignatus fuisset. Finge verò, venisse socios illos, quibuscum bona dissipaverat, & ei cantilenam pristinam occinuisse: quid hîc agis in paterno carcere? quid sub jugo disciplinæ domesticæ? non te pudet belluinæ hujus subjectionis? liber natus es, non servus: veni nobiscum! excute jugum, domum desere, servum exue, fruamur bonis dum sunt: libertas res est aurea &c. Quid his respondisset Adolefcens? hoc credo: itane vos? me denuo ad novam invitare miseriam? libertatem mihi

B b

ite-

iterum audetis prædicare? mihi jam nimis expecto? jugum Patris vultis ut excutiam, ut turpiter iterum fiam mancipium? bona mihi spondetis? scilicet glandes & siliquas? procul faceffite; non vi fidem vestram & amicitiam. Charior mihi Pater est, suavius jugum, quam ut denuo vobis vestris obediam. Ite, nihil agitis. Hæc filii fuissent verba. Totum paucis: **Conversio** juvenis hujus fuit grata, perfecta, constans, eaque quam Pater optimus fuerat meritis.

Nunc animum adverte, Studiosè. Quæ cogitationes ascenderunt in corde tuo, dum hæc legebas? in meo hæc ascenderant: ô utinam Studiosus quilibet ista legens, & per Confessionem totius vitæ peccata expians his in rebus filium illum prodigum æmularetur! de te istud mihi polliceor; dabis hoc Animæ tuæ, ut salutem ejus per constantem ad DEum conversionem securam reddas; dabis DEO constantiam in bene captis merito. Age, lustremus singula, in quibus imitatio tibi necessaria est.

I. Adolescens ille frequentes Patri gratias egit pro accepta tam facile venia. Accepisti, ut spero, per Confessionem corde contrita factam, peccatorum tuorum veniam: recepit te in gratiam misericors DEus; sic sperare fas est. Ah vide, è quam misero statu te eripuerit, quanto te periculo liberaverit, quam suaviter receperit: actum de te fuerat; orci incolæ, æternorum ignium pabulum fueras, nisi clementissimus DEus tui misertus te recepisset, scelerumque

que veniam fuisset largitus. Hæc vides, & poterit vel unica hora abire, quâ tanti memor beneficii non gratias agas infinitæ huic erga te bonitati? Ah gratias agamus Domino DEO nostro; verè enim dignum & justum est! Manè & vesperi in consuetis precibus, dum DEO gratias agis pro aliis beneficiis, hujus semper recordare, & expressis verbis adde: gratias ago pro omnibus beneficiis, maxime, quòd non damnaveris me in peccatis meis. Hoc cave, omittas.

2. Adolescens ille quoties Patrem aspexit, recordatus est amoris Paterni, vitam suam priorem detestatus, sæpe de novo veniam sceleris sui rogavit, licet jam condonatum sciret. Singula imitare. Aspicias sæpe Crucifixi imaginem, & vides expansa in amplexum tuum brachia: recordare bonitatis illius infinitæ, quâ te post tot peccata recepit, & ex hujus bonitatis meditatione ad vitam priorem detestandam te inflammare, veniamque sæpe rogare ne omittas. Praxis hæc esse potest: horis singulis per paucula verba stude, ut alias monui, actus virtutum præcipuos elicere; his contritionem subnecte v.g. credo in te, ô æterna veritas; spero in te, ô infinita clementia; amo te, ô immensa bonitas, & ex hoc amore detestor omnia peccata mea. Malo mori, quàm te deliberate offendere: omnia propter te Domine. Studiosè, res hæc est facilis exercere volenti; quàm utilis sit, dici vix potest. Novi plures, qui rei huic multorum mensium spatium

dederunt, ut assuescerent; quod & fecerunt non sine suo & solatio & multiplici emolumento. Te rogo, ut horum numero accedas; erit hoc signum doloris ferii de vita antehac habita, & meritorum ingentium occasio. Deindum Crucifixi effigiem aut transis, aut intueris, aut ante eam domi oras, non omitte uti brevibus hinc jaculatoriis: Jesu fili David miserere mei! Jesu propitius esto mihi peccatori! Intra sancta Venera tua absconde me, nec permittas me separari à te! Elige unam alteramve, quâ utaris. Versperi dum Examen peragis, dolorem ferium non modò de peccatis illius diei, sed totius vitæ excercere conaberis, veniamque denuo flagitara. Hic te rogo, assuesce.

3. Adolescens ille placere in omnibus studuit Patri suo; fugiebat omne id, quod ei displicere posse credidit; ad omnes Patris nutus paratum se exhibuit; multò quàm antè obedientior extitit: duriuscula Patris jussa mitigabat recordatione miseriarum, quâ liberatus fuit: verbo omnia egit amore Patris adeò benigni. Sed diose mi, an minora meretur Deus? poteris posthac admittere aliquid, quod huic optimo Patri displiceat? poterisne peccatum etiam leve tantum perpetrare? quomodo, quæso, Deum adeò benignum offendere potes? an non tibi semper veritabitur ob oculos miseria, e qua te eripuit? Hoc ergo primum esto, quod observes: Nihil agere, quod DEO displiceat: displicet illud otium DEO, illa temporis jactura,

ra, ille lusus, illud consortium displicet DEO; ergo ab his cave. Hic vide, quid in te sit, quod maxime putes DEO displicere, & resolve te ad illud omittendum: alloquere animam tuam: Anima mea, hoc cavendum est; DEus jubet: meretur DEus meus, ut vim nobis inferamus. Alterum erit, DEO obsequentem esse, ea agere, quæ DEO placere credimus. Placet DEO Pietas, placent preces matutinæ & vespertinæ, placet industria in studiis, placet mortificatio sponte suscepta, placet fuga consortii &c. Ergo ista age: non tantum id studeas agere, quod sub peccato gravi teneris, sed etiam ubi obligatio nulla est: DEus hoc de te meretur. Tertium est, esse obedientiorem DEO, quam antè, magis pium, magis de fugiendo peccato sollicitum, magis ferventem in DEI servitio; novo enim titulo obstrictus es DEO tuo. Repete sæpius illas voces Baruch 4. *Sicut fuit sensus meus, ut errarem à Domino, decies iterum tantum convertens requiram eum.* Hoc est, mea vita erit decuplo melior, quam fuerit mala antiqua: devotior ero in susceptione Sanctissimorum Sacramentorum, in orationibus ferventior, accuratior in observatione ordinis diei, in sensibus meis custodiendis vigilantior, cautior in bene impendendo tempore, magis sollicitus in fugiendo consortio suspecto &c. DEus hoc de te meretur. Age. Quartum est, si fortè duriusculum aliquid accidat, si tædium occurrat, uti occurret in Pietate & studiis, recordare cum filio prodigo miseria,

riæ, quâ liberatus es, & omnia tibi videbuntur
 suavia. Sic fortasse dum surgendum erit, oc-
 curret tædium disciplinæ scholasticæ & Regu-
 larum Sodalitatis, jubentium maturè & piè sur-
 gere; vince te, cogitans: DEUS meus meretur,
 ut ejus amore me vincam: molestia ista non est
 infernus, quem meritus sum, & à quo DEUS me
 servavit. Sic dum occurret tædium in studiis,
 tu exclama: DEUS meus dignus est, cujus amore
 me privem dulcedine illa, quam habere jam pos-
 sem in otio; dignus est, ut hunc laborem ejus
 amore suscipiam: labor licet mihi gravis sit, in-
 fernus tamen non est, quem meritus sum. Sic
 dum eundum est ad scholas, aut templum, aut ad
 cætus sacros, dum diutiùs in eis hærendum est
 non sine aliquâ molestia ob calorem aut frigus;
 generosè sustine, neque ideo te rebus sacris sub-
 ducas; cogita: meretur DEUS meus, cujus amo-
 re hoc agam: quod patior, infernus non est.
 Idem dic, si occasio mortificationis adest, si ali-
 quid adversi tolerandum est. Meretur DEUS
 meus, qui me inferno liberavit, ut hoc ejus amo-
 re agam.

4. Constans fuit Adolescens ille in proposito
 suo; nunquam ampliùs à Patre suo discessit, pri-
 mo suo casu & primâ territus miseriam; hinc nec
 monita prioris Domini, nec sociorum suorum au-
 divit. Si etiam cogitatio de Patre deserendo inci-
 disset ei, credo, quòd eam sanctior hæc cogita-
 tio mox oppressisset: quis scit, si rursus abire
 paras à Patre, an te redeuntem recepturus sit
 aut

aut an non in ipsa tua miseria sis moriturus? Hinc constans permansit. Studiose imi, quòd te & salutem tuam amem in visceribus charitatis, testis mihi DEUS est; hinc maximè sollicitus sum, ne hac in re ab imitatione Juvenis illius desleccas. O quas ego lacrymas funderem, si scirem, te post acceptam à DEO Patre peccatorum remissionem, denuo aliquando inductum iri, ut peccares, ut à DEO Patre tuo discederes! Recordare miseriæ tuæ, quâ liberatus es: respice periculum, è quo potens DEI dextera te eripuit: aspice Patrem tuum, qui tanto amore te recepit. Tunc ob levem voluptatulam hunc iterum possis deserere? tu ad terribile illud damnationis periculum redire velis? tu in horrendos conscientia angores, in Tartara ipsa te deturbare cogites? Absit hæc à te insania. Misere Animæ tuæ! DEUS est, quem deseris: bene nota. DEUS Pater tuus est. Dæmon est, ad quem abis: dæmon hostis tuus infensissimus. Damnatio æterna est, quò te præcipitas: an hæc fat fortia non sunt, ut te ad constantiam impellant? Non deerunt focii, qui te abstrahere laborabunt à Pietate & studiis, invitabunt ad domos illicitas, ad peccata varia, qui tædium jugi scholastici ingerent. Non deerit & Dæmon, qui voluptates, nescio, quas spondebit & obiiciet, si à propositis tuis deflectere velis. Infelicem te, si istis obedias vel semel tantum! Adolescens ille aures obturavit, monita contempsit, blanditias risit, fallaciam jam antè expertus seduci se

non passus est. Expertus es tu quoque, quid fit istis obsequi, & à DEO recedere: cave, hoc audeas. Recordare illius, quo Juvenis ille ab iterato discessu absterritus est. Cogitabat ille: si rursus Patrem deseram, quis scit, an me redeuntem recipiat; aut an non moriar in miseria mea, antequam redire possim? hæc timens noluit Patrem amplius deserere. Hoc ipsum est, quo certè à peccato fortissimè absterreberis, si bene expendas. Fateor, dubitare non potes de DEI clementia: ille ignoscet; si etiam millies corde contrito ad eum revertaris, ignoscet. Quis verò scit, an tantum temporis sis habiturus, ut accedere cum corde contrito valeas? quis scit (bene observa, quod dico) quis scit, an non eo ipso momento, quo Patrem DEum deseris, moriturus sis infelix & periturus æternum? quis scit, an non in primo, quod facere audebis, peccato æternæ damnationis sententia in te ferenda sit? quis scit? Pœnitenti tibi veniam promittit DEus, fateor: ubi verò pœnitendi tempus promittit? ah noni unus, non unus erat, qui hac futuri reditûs & pœnitentiæ agendæ fiduciâ male nixus Patrem deseruit, peccavit, in peccato mortuus æternum periit. Tu, ne hujus socius fias, cave. Amas Animam tuam? cave. Amas DEum tuum? cave. Times æternum exitium? cave.

Affectus. O Pater totius consolationis, Pater qui es in Cœlis, tuæ confidens misericordiæ liberatum me jam esse spero ab iniquitatibus meis. Detestatus sum peccata mea, & quantum scio, rite

ritè confessus. Non dubito, mi Jesu, quòd in gratiam me receperis: novi enim te Patrem esse, & non despiciere venientem ad te. Gratias ago tibi, ô Pater misericordiarum, gratias quantas possum, & debeo. Quia verò ego sufficientes agere nequeo, invito creaturas omnes, ut te laudent pro beneficio isto maximo mihi concesso. Benedicite ergo omnia opera Domini Domino! Benedicite Angeli Domini Domino! Benedicite Cæli Domino! Benedicite sol & luna, stellæ Domino! Laudate Dominum omnes gentes, omnes creaturæ laudate DEum; quoniam confirmata est super me misericordia ejus; quoniam fecit mecum secundum magnam misericordiam suam. In gratiarum actionem offero tibi, ô DEus clementiæ, laudes militantis & triumphantis Ecclesiæ, merita Sanctorum omnium, merita B. Virginis Mariæ, merita Jesu Christi Salvatoris mei, sanguinem ejus infinite pretiosum, quem è Sanctissimis vulneribus suis effudit.

Proposita. Vivam deinceps cum gratia tua totus tuus, totus ad nutus tuos, quia novo me nomine obstrictum video; & 1. quidem sæpe pro exhibita mihi gratia gratias agam, manè præsertim & vesperi; quia video, quantâ me miseriam, quanto periculo liberaveris. 2. Peccata vitæ prioris sæpe detestabor, & contritionem brevem singulis horis elicere omni studio contendam. Quando effigiem Crucifixi præteribo, vel intuebor, brevi aliquo suspirio veniam scelerum rogabo, dicens v. g. DEus propitius

esto mihi peccatori! 3. Nihil agam, quod tibi Patri meo amantissimo displicere scio: hinc illud otium, illam inobedientiam, illam in templis irreverentiam, lusum illum &c. serio fugiam, quia tibi displicent ista. Econtra agam ea, quae tibi placere scio. Placet tibi fervor in exercitio Pietatis, industria in studiis, frequens & devota Sanctissimorum mysteriorum susceptio, fugasociorum illorum &c. bene est; hæc peragam fideliter. Et quidem multò majore fervore ista agam, ac antea te offendi: hinc majorem industriam, majorem fervorem, devotiorem Sacramentorum susceptionem, majorem me vincendi curam adhibebo. 4. Si mihi occurrat molestia, non cadam animo, non idcirco boni aliquid propositi omittam, sed sicut suprâ didici, faciam, vincam me cogitans: dignus est DEUS meus, cujus amore hunc laborem feram; infernum meritis ista minora facile perferam. 5. Demum eò omnes vires impendam, ne unquam DEUM meum deseram, ne ullâ voluptate deceptus ab eò rursus discedam. Ideo recordabor tum bonitatis infinitæ, quâ me recepit, quæ tam probe à me offendi minimè meretur; tum incertitudinis circa tempus, quia nescio, an non DEUS justè per peccata mea irritatus eo ipso momento, quo ab eo discessurus sum, æternæ damnationis sententiam in me ferat, ut ita redire ad DEUM per Confessionem non possim, sed in peccato meo moriar & peream. Nolo ergo salutem meam tanto iterum periculo exponere; nolo DEUM optimum denuo deserere.

Petitio. Ecce desideria cordis mei, ô Pater optime! Suscipe ista, & per infinitam tuam clementiam tuâ me gratiâ confortare digneris, ut fideliter, constanter, ad ultimum usque halitum ea impleam. *Pater noster.*

Ad DEum. O Pater æterne, cujus misericordiæ non est numerus, & bonitatis infinitus est thesaurus, respice ab excelsa sede Majestatis tuæ super indignam creaturam tuam, quæ ejurato omni dæmonis servitio tibi uni posthac servire, te amare, te laudare firmissimè statuit. Extende potentem æquè ac clementem dexteram tuam, & receptum in gratiam tuam me famulum tuum protege, ab hostibus defende me, ne unquam posthac avellar à te. Juravi & statui custodire judicia justitiæ tuæ! *Anima Christi.*

Ad B. V. Mariam & Sanctos. Maria Mater gratiæ, dulcis Parens clementiæ, tu me ab hoste protege; ab hoste, qui abducere me denuo vult à filio tuo amantissimo, tu protege, & hora mortis suscipe! Omnes Sancti & Sanctæ DEI intercedite pro me!

Consideratio XII.

De Constantia in bene cœptis.

Intellexistis hæc omnia? quærebat Salvator noster è discipulis suis; ego ex te idem sciscitor & intellexistine hæc omnia? An intellexisti, quem in finem creatus sis; quàm multa ad salutem media DEus concesserit; quàm incerta sit salus tua in tantâ salvandorum paucitate; quàm merito

for.

formidanda damnatio? An intellexisti, quid te à fine tuo ultimo possit abducere; quanta sit peccati mortalis, imò etiam venialis gravitas, qui effectus, quæ supplicia; quanta malitia peccatorum à Studiosis fieri solitorum, quantum in illis salutis amittendæ periculum? An intellexisti, quàm certa pariter & incerta, nec non formidanda res sit mori; quid mors felix, quid infelix, quid mors Piorum æquè ac peccatorum sit; quam terribile nos expectet Judicium; quanta parentur peccatoribus tormenta; quid sit beata, quid infelix æternitas? Vidistine discrimen, in quo versata est hætenus Anima tua? An non gratias DEO egisti, quòd necdum damnatus fueris, exclamans cum Davide: *Nisi Dominus adjuvisset me, paulò minùs habitasset in inferno anima mea.* An non pœnarum imminentium magnitudine territus, peccati fœditate commotus, DEI bonitate allectus, tuæ salutis desiderio impulsus aliam tandem vitam agere statuisti? Statuisti utique, non dubito. Laudo propositum. Sed, scisne quid nunc agendum? Audi, quid DEUS à te exigat. *Et nunc Israël* (sic loquitur per Moysen Deut. 10.) *quid Dominus DEUS tuus petit à te, nisi ut timeas Dominum DEUM tuum, & ambules in viis ejus, & diligas eum, ac servias Domino DEO tuo in toto corde tuo, & in tota anima tua, custodisque mandata Domini, caremoniasque ejus, quas ego hodie præcipio tibi, ut bene sit tibi.* Voces DEI sunt. Nunc, ait, nunc postquam nova tibi beneficia præstiti; nunc postquam vides, quantum

meæ

meæ clementiæ debeas; nunc ô Israël, ô Studiose, hoc peto à te, ut timeas me &c. Scilicet non satis est, quod egisti hæctenus. Basin emendationis posuisti, dum culpas per Confessionem expiasti, & proposita sanctissima concepisti. Non sic acquiescet DEUS; petit, ut timeas & diligas eum, ut ambules in viis ejus, ut manum operi admoveas, ut basi positæ domum sanctam, vitam novam superimponas: petit, ut proposita facta sanctè & constanter impleas, ita ut cum Jobo identidem exclames: *Justificationem, quam cœpi tenere, non deseram.* Atque hoc unum est, quod considerationes omnes spectabant, mutationem nimirum vitæ constantem. Hanc in innumeris hominibus obtinuerunt Veritates illæ, quas tibi proposui; obtinebunt etiam in te, si seriò velis. Accipe exemplum unum. Puella fuit Maria Bonaventura dicta, tota Vanitati dedita & vitiis. Vix tandem persuasa admisit Patrem Lancicium S. J. ut veritates eas, quas cæteris exposuerat, & sibi proponeret. At ecce mutationem dexteræ excelsi! Primam de Fine hominis Considerationem vix absolverat, tota mutata fuit in aliam, vanitati valedixit & vitiis. Peraçtâ Confessione generali sic P. Lancicium affata est: ô Pater, non oportet amplius joculari cum DEO: agnovi, quid à me velit DEUS, quid nolit: volo tota esse DEI, & totis viribus conari, ut ob majorem DEI gloriam sancta evadam. Sic dixit, nec minus strenuè rem aggressa est; facta dein & Pœnitentiæ & Sanctitatis speculum nobile.

bile.

bile. Dilectissime Juvenis, ô utinam hanc mihi, hanc Angelo tuo Custodi concederes laticiam, & similes hodie proferres voces, similem inchoares vitam! Dic, quæso, & ingemina: non amplius oportet joculari cum DEO: joculari quasi hactenus fui cum DEO, non secus ac imbellis foret & excors DEUS: non oportet amplius ita joculari: agnovi, quia DEUS non irridetur: pepercit mihi toties & non damnavit me; sed joculari cum eo deinceps nolo, nolo eum rursus offendere, ne demum justè puniat. Serio convertar, totum me ejus cultui sacrabo, peccatum implacabili odio prosequar, admitta verò scelera deflebo assidue: agnovi, quòd ista à me velit DEUS; ergo volo totus esse DEI mei, totus & semper DEO serviam. Sic fixum est: vitam novam agam: non oportet amplius joculari: joculari cum DEO, si peccata illa repeterem, quæ modo deflevi, & quorum remissionem mihi Divina bonitas largita est; si proposita facta non implerem. Ergo volo totus esse DEI. O si has ex te voces audirem hodie, quò me compleret solatio! Ut saltem audire eas à te DEUS valeat, ut constantem vitæ emendationem incipias, ultimam tibi Considerationem subjungam, unde Constantiæ necessitatem discas, nec non media in hanc rem idonea.

Pars I.

Pars I.

Constantiæ necessitas: Inconstantia
detrimenta.

Recitatâ Oratione consuetâ, imaginare tibi te esse in conspectu DEI, B. Virginis & Sanctorum omnium, qui omnes tibi illud dicant, quod Christus in Evangelio: *Hæc* (intellige proposita hæcenus facta) *Hæc fac, & vives.* Roga gratiam agnoscendi Veritates hodie tibi proponendas.

Doctrina. Magna est misericordia DEI erga te, quòd occasionem & tempus dederit agnoscendi veritates tam necessarias, quales hæcenus propositæ sunt, & inflexerit voluntatem ad amplectenda salutis media. Verè dicere tibi potest: quid debui ultra facere? Imò quid potuit DEUS ultra facere? ardent milleni inter inferos, quibus hoc beneficium DEUS non contulit: vivunt milleni in mundo, quibus id non conferet. Ostendit tibi DEUS, quòd velit salutem tuam, & non interitum. Quid tu retribuies DEO tam benigno? si mille vitas peteret, nimium non peteret; tantum autem non exigit: constantiam petit in bene cœptis. Repete verba superius posita. *Et nunc Israël, quid Dominus DEUS tuus petit à te, nisi, ut timeas Dominum DEUM tuum, & ambules in viis Ejus &c.* Ut bene sit tibi. Rem paucis: postulat vitam conformem propositis à te factis, & quidem tuâ unius causâ hoc petit: *Ut bene sit tibi.* Tibi quærit prodesse, tibi spondet mercedem: *Esto fidelis usque ad*

ad.

ad mortem, & dabo tibi coronam vitam. Fidelitatem
 primum destinat; carebis premio, si ista de-
 fuerit: esto fidelis usque ad mortem. Deberet
 hoc profecto unum satis esse, ut DEUS con-
 stantiam à te impetraret; sed mittamus utilita-
 tem, necessitatem videamus. Necessaria pro-
 fus est constantia in bene coeptis. Nihil tibi
 proderunt proposita facta & annotata, nisi ea
 implere studeas: nihil etiam juvabunt, si ad bre-
 ve solum tempus impleas, postea verò ad vitam
 priorem redeas. Nihil prodest bene incipere,
 si in eo non perseveretur. Frustranea est Pe-
 nitentia, quam constans emendatio non exci-
 pit, sed sequens culpa coinquinat. Constantia
 sola coronat; finis beatificat. Malè coepit Pau-
 lus, sed quia bene finiit, quia constans fuit in
 vita sanctè mutata, hinc salutem consecutus est
 sempiternam. Bene coepit Judas, constans non
 fuit, periit. Irrefragabile Christi oraculum est:
Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.
 Constantiæ promittitur Cœlum, negatur in-
 constantiæ. Non satis est rem scire, viam Cœ-
 li agnoscere, aut aggredi; admovenda manus
 est; viæ constanter insistendum. *Si hac scitis,*
beati eritis, si feceritis ea, ait Veritas incarnata;
 si feceritis, si opere impleveritis; neque tantum
 ad tempus breve, sed ad finem usque: *Tene, quod*
habes, ne alter accipiat coronam tuam, monet DEUS.
 Nemo nisi constans operum & propositorum
 executor salvatur; coronatur nemo. An hoc
 non sufficiat ad excutiendam ignaviam, & in-
 flam-

flammandum vitæ constanter piæ desiderium?
Esto ergo fidelis usque ad mortem. Verùm ò
quam paucorum ista est fidelitas! ista constan-
tia! ò quoties datur vitæ meliori initium, sed
mox abrumpitur! itur in antiquam silvam, ut
ajunt, in antiquas consuetudines & iniquitates.
Quid ergo mirum, salvari paucos? Coepisti vi-
tam sanctam, mi Studiose, concepisti horrorem
peccatorum; sed quousque durabit? Refert
Cardinalis Sfortia de Concionatore, qui tem-
pore Quadragesimali multa de extremo judicio
fervide æque ac utiliter dixerat. Die postre-
mo, dum maxime æstuabat fervor & Audito-
rum commotio, derepentè velut rei cujusdam
novæ insolentiâ commotus substitit, assumptò-
que dein alio vocis tenore velut rem miram no-
vâmq; narraturus, sic suos allocutus est: Audi-
tores mei, scitote, quòd quantumcunque de ex-
tremo judicio disseruerim, nihil tamen hucus-
que vobis incredibile, nihil inauditum dixi:
jam verò veritatem vobis incredibilem, veri-
tatem planè stupendam dicam. Arrectis ad vo-
ces has Auditoribus & cogitatione suspensis,
sic perrexit: maximum intra dies paucas prodi-
gium spectabitis. Audite quale. Ad ea, quæ
hactenus dixi, hæsisse vos omnes attonitos vi-
deo: vitæ sanctioris desideria concepistis: pecca-
ta seriò expiare & fugere statuistis: & ecce! pau-
lò post abibitis; hora non effluet, & plures dic-
torum meorum obliti, vitam rursus instituent
eam, ut nec Judicem, nec judicium credere vi-

C c

dean

idellitati
ista de
Deberet
us con-
utilita-
ia pror-
ihil tibi
, nisi ea
ad bre-
vitam
ncipere,
est Pe-
on exci-
stantia
pit Pau-
s fuit in
cutus est
ans non
illum est
vus ut.
atur in-
am Cœ-
manus
ac sciti-
arnata;
tantum
ene, quod
t Deus
sitorum
An hoc
, & in-
flam-

deantur, nec judicare aliquid eorum, quæ dixi ad se pertinere. Hæc dixit & tacuit. Sic est profectò. O quoties salutari timore peccatorum animi percelluntur! statuunt sancta; ejurant præterita! quamdiu? paulò post sic vivunt, veluti mors nulla sequatur, aut velut infernus fabula vana foret. O quam sancta, quam aurea sæpe formantur proposita! quamdiu? effluit dies, sæpe vix hora; corruunt proposita, ardor omnino evanescit. Studiosè mi, concussus es ad Veritates tibi propositas; cœpisti timere salubriter; initium fecisti vitæ bonæ; proposita formasti sancta. An in te etiam verum erit, quod Concionator ille dixit de pluribus? an in te etiam cito adeò extinguetur vitæ melioris desiderium? Prohibeant Cœlites! ô quam triste foret tuo Custodi Angelo spectaculum, videre eosdem in te mores, eandem vivendi rationem ac antè! gaudet jam ille, dum meliora parari à te videt: quid aget, dum te conspiciet ad ejurata redire peccata? Animam tuam respiciamus. Illa quid aget, si inconstans esse cœperis? illa quò ruel? ô quam ei perniciem struis? vis scire, quæ perniciès ista sit? audi damna & detrimenta Inconstantiæ.

Si à bene cœptis desciscere audebis, nec non bonorum propositorum impletionem negligere, Tria tuæ inconstantiæ timenda sunt.

I. Major & terribilior ratio reddenda Judici, quòd viam veritatis agnoveris, nec tamen in ea ambulare perrexeris. Hinc Christus ait: *Scientiæ non*

non facienti, peccatum est illi. Terribile est illud Apostoli: *Voluntariè peccantibus nobis post acceptam notitiam Veritatis, jam non relinquitur pro peccatis hostia, sed terribilis quadam expectatio judicii.* Accipisti notitiam Veritatis, ô Studiose! si jam peccaveris voluntariè, si à propositis tuis deflexeris, veniam sperare vix audes, sed terribile timere debes judicium; adeò ut teste eodem Apostolo, tibi melius esset, veritatem nunquam agnovisse, quam contra Veritatem agnitam operari. Melius erat eis, sic inquit S. Paulus, viam veritatis non agnoscere, quam post agnitionem retrorsum converti. Hoc ipsum est, quod S. Chrysostomus Auditores suos docuit, dicens: *Ti-meo, ne die illà tremendà obsint vobis hæc mea monitiones & consilia, eòquòd scilicet illis morem non geritis.* Ita est, mi Studiose, ipsa tua proposita facta & non impleta, ipsa Veritatis agnitio, ipsa doctrina jam hausta, rationem tuam, & judicium & damnationem augebunt, nisi conformem eis vitam duxeris. *Causam accipe ex S. Gregorio: Quando crescunt dona, crescunt & rationes donorum, sive beneficiorum; ergo cum novo te beneficio affecerit DEUS dando cognitionem tot rerum salubrium, major à te exigetur ratio.* Alia hæc est: *gravior ejus est culpa, qui sciens, volens peccat, quam ejus, qui tantam rei scientiam non habet; ubi verò culpa est gravior, ibi & major reddenda est ratio.* Tu si peccaveris posthac, sciens volens peccabis: quid ni & gravior erit culpa tua, & major ratio?

2. Terribili terrore percelleris in hora mortis tuæ, si hujus tuæ inconstantia recordaberis. Sodalitatis Parthenius P. Lechneri refert, fuisse Studiosum, qui morti proximus, duabus se rebus præcipue angere aiebat. 1. quod DEO vocanti ad statum Religiosum non obediverit. 2. quod ex Meditationibus S. Ignatii fructum constantem non hauserit, sed mox ad priorem vitam liberam reversus fuerit. Timeo, ne hoc ipsum miser deploret æternum inter inferos. De Puella certe refert Barzias, quod à morte apprensus, hoc se maxime tormento cruciari passa sit, quod meminisset, quam facile salvari potuisset, si acceptis in Missionibus monitis constanter fuisset obsecuta. Et est revera acerba hujus recordatio, est causa plorandi dignissima. Viator, si à duce perito ad viam bonam directus, pergere in ea noluisse, deflexisset ad aliam, atque in ea per latrones miserè spoliatus fuisset, nec non sauciatus, deploraret, credo, insaniam suam, quod in via cœpta fuisset inconstans. Deplorabis etiam tu, mihi crede, deplorabis, si præclarissimorum propositorum à te jam factorum recordans, te ab istis videris deflexisse. Utinam perrexissem, suspirabis, in via illa, quam mihi DEUS illo tempore ostendit! utinam implevissem ea, quæ sanctè statueram! deflexi! erravi! Ô utinam! Ipse etiam dæmon insultabit tibi ad irritas has querelas seu in morte, seu in æternitate prolatas; insultabit & DEUS, illud tibi ingerens: perditio tua ex te: cur non perrexisti illam viam, quam cœperas?

ras? tibi debes perniciem tuam. Quid ad ista dices? quis timor? quis angor?

3. Inconstans homo rediens ad vitam priorrem impiam, gravius punitur à justo DEO, quem per negligentiam in observatione piorum propositorum turpius irritavit. Homini inconstanti nihil magis timendum est, quam ne à DEO prorsus deseratur, & æternum puniatur. Plurima sunt, quibus hæc veritas stabilitur. Stabilitur ex minis, quas vindex DEus in homines ejusmodi detonat. *Væ filii desertores! Isa. 30. Væ filii, qui à me recepti denuo in filios, me Patrem peccando rursus deseritis! Væ filii desertores! Qui transgreditur à justitia ad peccatum, DEus paravit illum ad romphæam; hoc est ad pœnam, ad vindictam, ad interitum sempiternum. Transgredere autem à justitia ad peccatum, si agnitam veritatis semitam derelinquas. Time, time Studiose! paravit DEus illos ad pœnam, qui inconstantes sunt. Derelinquet me, & irritum faciet fœdus, quod pepigi cum eo; & irascetur furor meus contra eum in die illo, & derelinquam eum, & abscondam faciem meam ab illo: invenient eum omnia mala & afflictiones. Deut. 31. Quid horridum magis cogitari potest? expende verba singula; timorem certò incutient. Quid verò miraris, acerbas adeò DEI minas? Talis ad peccatum reversio, talis in frangendo fœdere audacia, inconstantia in bene ceptis DEum vehementius ac credi potest, irritat, & ad vindictam inflammat. Sic ipse ait Eccl. 26.*

In duobus contristatum est cor meum, & in tertio venit mihi iracundia. Quodnam illud tertium? illud ipsum, quod ante posui: Qui transgredietur à justitia ad peccatum. Quam pœnam Iustus DEUS statuat, audivisti: paravit illum ad romphæam. Hinc salubre monitum Christus Paralytico dedit: *Ecce sanus factus es, noli amplius peccare, ne aliquid deterius tibi accidat*: quasi diceret: ob peccata priora punitus es morbo; si jam denuo peccare ausus fueris, si ad viam peccatorum deflectere, deterius aliquid tibi timendum est, vindicta nimirum DEI & æterna damnatio. Vindictam DEI, & damnationem homini inconstanti timendam esse dixi. Scilicet sicut constanti ad mortem usque promittitur corona gloriæ, sic inconstanti vindicta imminet & damnatio. Recordare illius, quod superius retuli de Troilo, cujus inconstantia domum in Cœlo paratam evertit, aliam inter inferos erexit. Terribilius est, quod Cæsarius memorat de juvene quodam. Conceperat ille, quod nescio, sanctum propositum, sed ejus impletionem de die in diem distulit. Vidit nocte quadam in manu Angeli librum vitæ, suumque in eo exaratum nomen, & exultare cœpit gaudio: at subito iratum conspexit in nubibus Judicem, qui voce hac tremendâ eundem Angelum affatus est: dele illum de libro vitæ! dele! dele! Tantum ei infortunium inconstantia attulit. Hoc nimirum est, quod monuit David Paral. 23. *Tu autem* --- *fili mi,*

scito

scito DEum - - - & servito ei corde perfecto: si quaeris eum, inuenies; Si autem dereliqueris eum, proiciet te in aeternum. Tu ne proiciaris, ne delearis, esto constans in bene cœptis. Ubi primum deflectes à propositis tuis, time, ne repentina DEI vindicta in te irruat, nihilque tale opinantem detrudat ad Tartara. Detrusit hoc modo juvenem tibi similem; qui peractâ Confessione seriâ, sociorum scelere seductus, propositum peccati cujusdam fugiendi à se firmiter factum violans, peccatum repetiit; at illico apoplexiâ tactus in peccato miserrimè mortuus est, has unas ante ultimum halitum voces identidem ingeminabat: vindicta DEI super me! vindicta DEI super me! Parem expavesce DEI vindictam, si pariter à propositis tuis deflectes. Forsan dum primò repetes domum illam, illud consortium, illud peccatum, aderit ultor à tergo DEus, neque aliud tibi ululare licebit, ac triste illud: Vindicta DEI super me! Cantilenam adeò tristem plurimi inter inferos Adolescentes repetunt. O quot eorum erant, qui sanctissima conceperant proposita; per plures hebdomades ea sollicitè observârunt, deflexerunt denique ab illis & perierunt! causam damnationis suæ verbis illis testantur: *Instabiles facti sumus*: hoc est, inconstantes fuimus in propositis, & sic periimus: inconstantia nos perdidit; inconstantia damnavit; inconstantia vindictam DEI super nos accersivit! Tu quoque sic aliquando planges, nisi constans persistiteris.

Reflexio. Quid igitur consilii? Tanta est Constantiæ necessitas, quantam audivisti: tanta inconstantiae damna, quanta proposui. Salus tua & damnatio est constantia aut instabilitate tua dependent. Quid consilii? si scintilla in te rationis est, si scintilla amoris in animam tuam superest, hoc vides esse concludendum ergo eligenda est constans propositorum impletio; ergo Justificationem, quam cœpi, non deseram. Hoc fac, & vives. Exemplum constantiae tibi fisto Adolescentem aliquem nuper theatro datum sub nomine Nicetæ. Quam nescio, occasione conversus, vitam priorem deestatus est ex animo; atque ut longius à peccandi occasione abesset, desertâ domo patriâ, eremum petiit, ibi sepulchrum sibi paravit, vivum se illi quodammodo inclusit, non nisi crescentes circum herbas cibi loco capeffivit. Mirabilem hanc, & suggestam à Cœlo vivendi rationem ægerrimè tulit dæmon. Fidem superat, quot quantisque dolis, modis, insidiis juvenem hunc visibili etiam formâ aggressus fuerit; ut ad domum patriam redire cogeret; in qua reditum ad peccata facilem fore sperabat hostis subdolis. Verum minæ, preces, verbera etiam in ventos abierunt. Stetit infractus Adolescentis animus per DEI gratiam his omnibus superior. Auro & cedro dignæ voces ejus erant: malo mori, quam vobis obsequi: malo mori, quam loco hoc cedere! coacti demum dæmones virtute divina palam se victos fassi sunt, & in turpem fugam

gam acti vociferabantur: Vicisti nos! vicisti nos! O felix victoria! digna Cœlo constantia! digna etiam imitatione. Non deerunt focii, non cupiditates tuæ, non dæmon, qui reditum ad peccata pristina suadebunt, vitæ novæ fastidium excitabunt, invitabunt ad priores lusus, priora consortia & peccata. Quid tu? Eja age, audiatur ex te vox illa: malo mori, quam vobis obsequi! Malo mori, quam à proposito meo deflectere! Juravi & statui custodire mandata DEI. Justificationem, quam cœpi tenere, non deseram: non deseram. Veniat mundus, surgat caro, fremant inferi, non deseram. Hoc si agis, fiet, ut prostrato hoste gloriosus pugil ad perennis gloriæ coronam evocaris: si minus, *Væ filii desertores! Væ animæ tuæ!* Major ratio, gravius Judicium, major culpa, gravior impendet damnatio. Si animam amas, repete: *Justificationem, quam cœpi tenere, non deseram.*

Affectus & Proposita. DEus fortis & immutabilis, agnosco per gratiam tuam, quantopere mihi necessaria sit constantia in bene cœptis; agnosco; majorem mihi imminere perniciem, si à via bene incepta deflectam: quid aliud superest, quam ut hac horâ implere incipiam, quod proposui? Sic est: dixi, nunc cœpi! Audite Cœli! audite Angeli! ipsi etiam dæmones attendite! Tibi, ô Dæmon, penitus pro vita & æternitate abrenuntio. Abrenuntio tibi Sathana, & adhæreo tibi, mi DEus! Audite Angeli! Regi vestro dedi fidem; hanc jam renovo: in conspec-

tu Cœli & terræ protestor, quòd alium posthac Dominum agniturus non sim, ac DEum meum. Servus tuus sum, Domine! ad te toto corde convertor, sicut totus à te recesseram: tibi uni serviam: à te nunquam discedam. Malo mori, quàm à propositis meis deflectere. Et quis me separabit à Charitate tua, ô DEus, quis à servitio tuo abstrahet? non voluptas, non dæmon, non socius impius, non molestia ulla, non mors ipsa, non me separabit, non abstrahet. Etiam si oportuerit me mori, molo mori, quàm mea violare proposita. Veniant socii; non separabunt me. Veniat consuetudo illa mea pessima; non separabit me. Veniat dæmon, & quas volet, illecebras offerat; non separabit me. Justificationem, quam cœpi tenere, non deseram. Malo mori, quàm peccare! O utinam hoc semper voluissem! Væ tempori, quo non amavi te, Domine! Væ tempori, quo à te discessi! non fiet posthac. Volo totus esse tuus, ô DEus! Servus tuus sum ego, & filius Ancillæ tuæ!

Petitio. O fortis & immutabilis DEus, tu qui scrutaris cor & renes meos, vides serium mihi esse desiderium. Scio autem imbecillitatem meam: homo sum, labi possum; surgere aut stare sine te non possum. Fortis DEus, adjuva imbecillitatem meam! Immutabilis DEus, vince inconstantiam meam. Extende potentem dextram tuam, quæ me teneat, ne labar. In te & in gratia tua confido. Miserere mei, & ne permittas me separari à te! Si prævides, fore adhuc
in-

infelix momentum, quo à te discedam, ah per-
mitte jam me mori in gratia tua! Malo mori,
quàm à te separari! *Anima Christi.*

Pars II.

Media ad Constantiam.

Constantiam desideras, Studiose? quàm be-
ne! nam ut cum Apostolo loquar, *Quomo-
do effugiemus, si neglexerimus salutem?* quomodo
effugiemus iram DEI, si post claram adeò veri-
tatis notitiam non vivamus sanctius? Salutem
autem negligimus, si Constantiam negligimus.
Hanc statuiti amplecti. Media jam suggeram,
quibus si utaris, constans eris. Multitudo te non
terreat; facilis evadet labor, si salvari serium est.
Desumo pleraque è libellis verè aureis, quos in
Studioforum manibus versari optarem assidue:
tituli eorum sunt: cura Innocentiæ: cura Con-
suetudinarii, sive exterminium peccati &c.

I. Medium est Oratio frequens & fervida.

Petite & accipietis, mōnet ipsa Veritas. Cave
igitur, ne manè aut vesperi negligas preces re-
citari solitas, aut devotiones alias per diem. Sæ-
pius pete à DEO constantiam in bene cœptis;
quem in finem servire possunt verba illa: *Dirige
Domine, in conspectu tuo viam meam!* Ne permittas
me separari à Te! Ne proiicias me à facie tua!
Huc pertinet consuetudo sæpius commendata,
quam singulari modo tibi iterum commendo;
ut nempe singulis horis elicias breviter contritio-
nem & renoves propositum non peccandi.

2. Ora-

2. Orationem comitetur pia Lectio libri spiritualis, quem si non quotidie, certè diebus festis & Dominicis attentè leges per spatium aliquod temporis. Servire huc possunt vitæ Sanctorum, libelli quot annis in Cœtu Mariano distribui soliti, aliique innumeri. Nolo de hujus & aliorum mediolorum utilitate quidquam differere, cum quotidiana satis differat experientia.

3. Timor & amor DEI. Timendus est, quia Judex est: Amandus, quia Pater est, & redemptor. Excitabis utrumque, si ea subinde cogites, quæ terrorem aut amorem incutere solent, maximè per familiares jaculatorias, ut sunt: *Quis non timeat te Domine, quia justus es & terribilis in judiciis? Consideravi Judicia tua, & expavi! Domine, cum veneris judicare, noli me condemnare! Commissa mea paveſco, & ante te erubescio! Rex tremenda Majestatis, qui salvandos salvas gratis, salva me fons Pietatis &c.* Hæc ad timorem excitandum utilia sunt; sequentia ad Amorem: *O DEus ego amo Te! Opulchritudo tam nova, tam antiqua serò te amavi! In te Domine, speravi! Et qua est expectatio mea, nonne Dominus? Jesu amore mei Crucifixe, miserere mei! Vivifica me secundum misericordiam tuam! Dominus meus & DEus meus! DEus meus & omnia!*

4. Memoria DEI Præsentis. Nihil hac efficacius cogitari potest. Quomodo possum hoc malum facere, & peccare in Dominum meum: aiebat Joseph Agyptius. Dic tu: in conspectu DEI mei sum: DEus videt me, audit me, scit hoc: DEus judex adest, hocque momento damnare me

me potest: quomodo ergo peccare audeam?
5. Cultus B. Virginis fervens & constans.
Pauca de hoc dicam, sed vera. Studiose, in hu-
jus Virginis amore si te languere advertes & te-
pescere, scito te, ad damnationem appropinqua-
re. Mariam quamdiu amas, constanter colis,
non offendis, bene spera. *Filioli*, ait S. Bernar-
dus, *hæc peccatorum scala, hæc mea maxima fiducia*
est. Mater est, per quam DEUS omnia nos habe-
re voluit. Nullus ergo sit dies, quo non Ro-
sarium & Officium Marianum persolvas: ante
studia, ante somnum, ante actionem quamli-
bet, Mariam cogita, Mariam invoca paucis illis
verbis, quibus usus est S. Ignatius: *Monstra te*
esse Matrem! aut illis S. Xaverii: *Mater DEI me-*
mento mei! Præter alios colendi Matrem hanc
modos, ne negligas interesse cætibus Marianis,
imaginem ejus habere ante oculos &c. Diebus
Sabbaticam colere Sanctorum consuetudo est:
faciunt hoc alii gestando cilicium, jejunando,
abstinendo ab uno alterove cibo, visitando a-
ram aut ædem sacram ei dedicatam &c. Sic &
Festa Magnæ hujus Virginis colunt per susce-
ptionem Sanctissimorum Mysteriorum, per re-
novationem Formulæ Marianæ, per lectionem
sacram & modos alios. Duo hîc monco. 1.
Pauca perage in honorem Virginis hujus, sed
ferventer & constanter. Multa proponere, obi-
ter exequi, omittere multorum est; horum è nu-
mero te esse nolim. 2. Omnia, quæ recensui, sci-
as Matri Sanctissimæ non placitura esse, nisi fun-
da

damentum devotionis ponas, quod est Fuga peccati potissimum contra Castitatem. Si Virginem hanc tibi vis devincire, fuge peccatum, stude Castitati: diebus Sabbati, & festis B. Virginis speciale fac propositum abstinendi ab aliquo peccato, in quod sapius te labi nostri. Crede mihi, unius venialis etiam peccati fuga magis placet purissimæ Virgini, quam oratio in multos annos producta. Cum ergo maxime necessaria tibi sit pretiosissimæ hujus Virginis intercessio, hoc eam modo tibi conciliare labora: fuge peccatum: detestare, quidquid verbo, cogitatione, aut opere contra Castitatem potest admitti. Hæc vera Mariana devotio est.

6. Cultus Sanctorum. Ad aliquem Sanctorum convertere, monet Scriptura. Præter B. Virginem cole Patronos aliquos, quos pro libitu eliges. Inter eos sint Angelus Custos, S. Ioseph, Patronus nominis tui, Patroni studiorum, demum alii, quos tua suadebit devotio. Hos manè & vesperi in consuetis precibus venerare: eorum festos dies cole devotione singulari: sacras eorum reliquias, si quas habes, collo gesta. Nunquam obliviscere Patroni sub initium mensis eligendi; cole eum & invoca in dies: die eius festo (quod & de aliis sanctis Patronis tuis intellige) si fieri potest, Confessionem perage & sanctissimam Eucharistiam suscipe. Quale erit tuum in morte solatium, si in hora mortis tot à te honoratos esse Patronos noveris! Non unus fuit, cui in lucta suprema præ-

præstò fuerunt Tutelares eiusmodi; ut tibi præstò sint, jam cole & invoca & imitare eos. Hoc etiam observa; si in vitium aliquod frequenter labaris, elige Sanctum, qui in virtute illi vitio contraria maximè eminuit, & eum præ aliis invoca, ut tibi gratiam impetret, peccatum illud extirpandi. Sic tentationibus impuris vexatus, aut lasciviæ deditus præter B. Virginem & S. Iosephum, colat S. Casimirum, S. Aloysium &c. Praxis utilissima est.

7. Frequens Confessio præcipuè uni Sacerdoti facta, nec non devota susceptio SS. Eucharistiæ. Fortius nihil reperies ad extirpandam consuetudinem malam, ad constantiam in bene cœptis impetrandam. Hic enim finis erat, cur Sanctissima hæc mysteria DEI nostri bonitas instituerit. Experientia docet, Juvenes turpissimis vitiis assuetos hoc uno modo potuisse emendari; uti econtra, qui ista suscipere differunt per hebdomades & menses, pluribus vexari eos constat tentationibus, sæpius labi graviter: quod utinam non experirentur Adolescentes è scholis nostris egressi! Tu si constans esse velis, si vitam agere piam, ne negligas unquam suscipere tam salutaria remedia tempore, quod in scholis assignatur. Quanquam hoc fervori tuo satis esse non debeat: dum festa solenniora, vel Patronis tuis dedicata incidunt, etiam à nemine monitus, solius tuæ salutis causâ Confessionem perage, Pane Angelorum te conforta. Non est gratior Sanctis Devotio,
non

non tibi utilior. Solicitam autem præparationem & gratiarum actionem requirit DEI Majestas, quam brevi adeò tempore constringi non decet, quod pro dolor! à plerisque fieri solet. Horula una S. Communioni, altera, aut certe non multò minùs, Confessione donetur; ne aliàs sine debita præparatione suscepta damnationi potiùs serviant, quam salutem. Studiosus quidam apparens post mortem condiscipulo suo, salutem meam, aiebat, debeo frequenti & devotæ S. Communioni, per quam me DEUS ab occasionibus, tentationibus, & peccatis plurimis servavit, in quæ aliàs certò ruiturus fuisset. Disce, quid agendum sit.

8. Vocationis impletio. Si divina bonitas te è sæculo ad statum sanctiorem evocat, tu verò vanitate mundanâ aut aliorum sermonibus abstractus DEO vocanti obedire recuses, cætera media omnia constantiam tibi in sæculo non afferent; rues in periculis & peribis. Sequere vocantem DEUM!

9. Memoria novissimorum. Oraculum divinum est: *Memorare novissima tua, & in æternum non peccabis.* Ergo reflecte animum ad ea, quæ in considerationibus didicisti, & in occasione peccandi eorum recordare!

10. Examen tum generale, quod n̄ dies vesperi præscribunt regulæ Sodalitatis; tum particulare contra certum vitium. Usam utriusque & modum scio explicari in scholis, & de necessitate ejus differi; hinc pluribus superle-
deo

deo. Tuum est adhibere medium adeò efficax & salubre. Confessarium consule, si quod tibi in re ista dubium restat.

11. Fuga otii, seria applicatio ad studia, fuga otiosarum circumcurtationum & confabulationum. Hoc medium nisi arripis, ridebi. Dæmon cætera omnia. Otium pulvinar diaboli est, diabolus nutris & suaviter sustentas, quamdiu otio vacas. Time terribilem, quam de tot pretiosis horis & diebus DEUS exiget rationem! time pœnam terribilem! nam & de omni verbo otioso rationem exiget DEUS. Mortificatione hîc opus est. Fortiter vince tœdium, quod certò occurret; excute torporem; seriò stude, tanquam peccati mortalis certò reus, si plures septimanas otiosè, sine fructu pergas vivere.

12. Votum Devotionale. Medium ad extirpandam consuetudinem, & inserendam virtutem fortissimum, sed cautè & ex consilio Confessarii usurpandum. In hoc consistit. Advertit quis, se v. g. pronum ad mentendum, jurandum, ad loquenda turpia, aut alio modo peccandum contra Castitatem &c. vovet ergo DEO omnipotenti in honorem B. Virginis vel Sancti alicujus Patroni sui, quòd velit sub peccato levi, aut gravi (quod rarius fiat) abstinere uno die, aut unâ septimanâ à mendacio, à loquela turpi &c. quòd velit non circumvagari otiosè tempore studiis destinato, non accedere domum suspectam, non ludere lusu vetito &c. Modus extirpandi consuetudinem,

D d

ut

ut dixi fortissimus : breve tempus ab initio tantum præfigendum est , nunquam sine expresso Confessarii consilio , vitâ totâ. Res autem est DEO gratissima & Sanctis ; nec non modus optimus colendi B. Virginem & Sanctos. Cogita ipse , quid hac in re ad salutem tuam facere possis. Dixi , valere etiam ad virtutem inserendam sic erant , qui v. g. vovebant Castitatem per mensem unum &c. idem de aliis virtutibus loquere. Suaderem hunc modum præcipue felicitati B. Virginis & SS. Patronorum.

13. Fuga malorum Sociorum , occasionum , domorum , spectaculorum profanorum , cauponarum &c. Studiose , si ullum aliud , hoc revera medium est imprimis necessarium. Fuge , & salvaberis , dicebatur Arsenio , modum salutis à DEO roganti. Fuge , & salvaberis. Fuge pericula peccandi ; fuge socios impios , hoc est , omnes , qui te à pietate aut studiis quovis prætextu avocare quærunt ; omnes , quos advertis libere & impie vivere , loqui impudenter & audacter , agere ea , quæ præsentem viro honesto non audent : fuge horum blanditias , invitationem ad cauponas & nescio , quæ loca alia. Fuge personas alterius sexûs , & cum iis , cum quibus debes , age cautissimè : hinc oculos , manus , linguam , te totum custodi. Fuge spectacula profana , ubi tot Castitatis discrimina. Fuge cauponas & lusus , tot scelerum occasiones & Magistros. Fuge & salvaberis. Hinc me audi , hinc obsequere. Res me judice certa est ; si centeni Studiosi damnantur ,

nona.

nonaginta novem per socios malos seducti damnantur. Vince te, & generose omne etiam alloquium socii suspecti fuge. Melius est displicere sociis, quàm DEO, & B. Virgini, ajebat adolescens quidam piissimus, sociorum impiorum osoracerrimus: sic tu loquere: rideant me socii, exhibilent, traducant: melius est, quàm ut DEum offendam, & peream. Hoc in rebus etiam minutissimis fieri debet; aliàs qui spernit modica, paulatim decidet. Fuge & salvaberis. Non ausim te monere, ne ipse alios seducas; ab hoc enim scelere te longissime abesse mihi persuadeo. Hoc tamen rogo te, ne unquam totâ vitâ tuâ audeas aliquem vel à levissimo opere bono aut à studiis avocare, ad minimum etiam peccatum incitare. Cur hoc? Audivisti superius, ex una re levi pendere sæpius beatitudinem nostram. Quidsi ergo ex re illa levi, ad quam alium inducis, à qua avocas, penderet beatitudo illius, uti revera pendere potest? periret certè ille & tuâ quidem culpâ. Hoc quantum sit, docere voluit ille, qui asseruit, non credere se, absque miraculo quodam, aut extraordinaria DEI gratia salvandum esse illum, qui per seductionem suam alteri causa est damnationis æternæ, eò quòd res nimium horrenda sit, Animam Jesu Christi sanguine redemptam deturbare ad inferos. Tu ne agas aliquid, loquaris aut suadeas, unde alter occasionem sumere possit ad peccandum. Si quid contra hoc peccasti, seriam age Pœnitentiam, & in salutem etiam aliarum Animarum incumbe.

14. Medium præsentissimum est Mortificationis studium. O si saperent Juvenes, & intelligerent! Salvari absque mortificatione non potes. Quando peccas, defectu mortificationis peccas, quia te non vis vincere fugiendo rem aliquam gratam, vel agendo rem tibi molestantem. Necessaria est mortificatio in rebus, quas facere aut omittere non potes absque peccato: utilis & DEO gratissima est in rebus aliis ex se licitis; de qua potissimum ago. Visæ sunt Monacho cuidam septem in Cælo coronæ pulcherrimæ, paratæ, quod septies somnum sub oratione occurrentem generose excusserit, quem absque peccato admittere poterat. O quas & quot sibi coronas Studiosus parare per annum posset! Sancti meritorum suorum augendorum cupidi in sui victoriis cumulandis erant maxime solliciti. Hinc S. Ignatius sæpissimè Xaverium allocutus est: vince te Xaveri! vince te! vicit se Xaverius, & Sanctus evasit. P. Paulus Segneri DEO & B. Virgini indies certum mortificationum numerum offerebat. P. Recupitus S. J. pari modo plures quotidie sui victorias ad impetrandam mortem felicem B. Virgini consecrabat. Studiosè mi, vince te! Accidit manè v. g. difficilis accurata surrectio: vince te, surge alacriter, offer DEO victoriam hanc & dic: propter te Domine! Sic loquere de omni re molesta aut jucunda. O quale tuum foret in morte gaudium, si optimè momenti obsecundares! Res parvæ sunt, fateor, sed parvis ejuscemodi rebus delectatur

tatur DEus. Minima etiam remuneratur DEus. Nihil leve, quod summa æstimat Majestas. Vis scire res varias, in quibus vincere te possis; referam illas è libello suprà citato, eodem ordine, quo in eo inveni.

Tabula rerum, in quibus Adolefcens Studiosus se vincere potest.

1. **S**Tato tempore generosè surgere. 2. Non nisi decenter vestitum comparere coram aliis. 3. Ante alia omnia preces matutinas devotè flectendo persolvere. 4. Tempus studiis præfixum totum diligenter impendere. 5. In plateis modestè incedere, non vociferando, liberè oculis vagando &c. 6. Dum transis effigiem Crucis aut B. Virginis, eam honorare capitis detectione. 7. Ante initium scholæ adire templum & divinam opem implorare. 8. Transeundo cœmeterium meminisse defunctorum. 9. Graviter cum omnibus agere, nullum vellere, trudere, trahere, jocosè etiam tangere. 10. In templo & locis aliis junctis manibus orare. 11. Humi sine scabello aut reclinatorio flectere. 12. In templo non sedere, aut rusticè se acclinare. 13. Totum tempus Sacro, Concioni, aut alteri divino officio destinatum in eodem loco absolvere. 14. In templo ad exortum fortè strepitum non circumspicere. 15. Manus non servare reconditas sub veste. 16. Ab uno tempore mensæ ad aliud usque nihil cibi aut potûs sumere. 17. Die Veneris aut Sabbathi vesperî vino, aut cibo calido abstinere.

stinere. 18. A fructibus primis, aut ab uno alterove gratiore bolo abstinere. 19. Cilicium per aliquot horas ferre. 20. Uti flagello. 21. Lecto duriori incubare. 22. Expansis brachiis domi orare. 23. Osculari terram in satisfactionem pro defectibus. 24. Non prospicere otiose per fenestras. 25. Non crispare & comere superbius capillos suos. 26. Alterius sexus personas non intueri fixis oculis, non joculari cum eis &c. 27. Profanae comediae non interesse. 28. Interrumpere conversationem minus honestam & utilem. 29. Abstinere a verbis & jocis & cantilenis minus decentibus. 30. Non effundi in cachinnos sonoros & leves. 31. Omnem lusum inconvenientem subterfugere. 32. Nunquam ludere pro pecunia aut potu. 33. Abstinere verbis, quibus alium confundere posses. 34. Non jactare res suas. 35. Nunquam rixari aut pertinaciter obloqui. 36. Injuriam forte illatam non ferre graviter, aut impatientiae signa dare. Hac libellus ante insinuatus; plures se vincendi modos reperit salutis suae Studiosus.

15. *Recollectio aut Renovatio Mensura.*
 Nomen Tibi & res incognita patebunt ocyus.
 Singulis mensibus elige diem unum maxime opportunum, qualis esse potest dies festus: examina, quomodo te gesseris elapso mense; quid praecipue corrigendum sit mense proximo: elice dolorem de praeteritis; renova devotiones tuas erga DEum, B. V. & Sanctos; nec non propolita aliqua nova statue, quae observare desideras.
 Hac

Hæc breviter, quia recens editus est libellus parvulus rei hujus praxin utilissimam exhibens. Fa-teor, mirabilem vidi progressum in nonnullis, qui hoc medio usi sunt, atque ita mensem quemlibet inchoârunt, ac si ultimus foret. O quale erit solatium morientibus, qui hoc devotionis genus sollicitè susceperunt!

16. Sub anni finem Mense Decembri plures Confessionem generalem peragunt de peccatis illo anno à se admissis, ut ita per serium dolo-rem priora deleant, & annum sanctè inchoent. Placuit semper ista devotio; facilis est, & utilissi-ma. Tempore etiam isto nihil scio opportunius. Si tot menses impendimus pro corpore, cur non unum aut alterum diem pro Anima? Qui salutem & profectum suum amat, hoc certò præstabit. Atque hæc sunt media illa, quæ Con-stantiam in cœptis per DEI gratiam impetra-bunt; quæ ad vitam sanctè agendam Studioso partim necessaria, partim utilissima sunt. Expe-rire illa, & verum me dixisse comperies. Lege ista, & ea, in quibus te hætenus maximè defecisse reperies, singulari studio posthac adhibe-re propone. Euades Studiosus pius, sanctus, beatus per totam æternitatem.

Affectus. Jesu Christe Salyator mundi, quem sub Speciebus Panis delitescens suscepisti, gra-tias ago tibi pro omnibus beneficiis totâ vitâ concessis; maximè autem pro agnitione tot ve-ritatum mihi ad salutem utilium & necessariarum. Jesu mi, fecisti mecum ultra omne me-

ritum meum. O quot hominum millibus hanc gratiam non largitus es, quam mihi indignissimo contulisti! quid retribuam tibi? qua voce utar ad laudandam misericordiam tuam? Laudate Jesum meum omnes gentes; Laudate eum Cherubim ac Seraphim; laudate eum omnes creaturæ, quia fecit secundum misericordiam suam magnam nimis! O utinam mille vitas haberem, quas tuo, mi Jesu, amori consecrarem! Non est in venis meis guttula, quam tuo obsequio impendere renuam. Et quantum hoc est pro eo, quod Tu mihi exhibuisti? plus mihi relictum non est; quod ergo relictum est, dono totum, totum consecro. Suscipe Domine universam meam libertatem; accipe memoriam, intellectum & voluntatem omnem. Quidquid habeo vel possideo, mihi largitus es, id tibi totum restituo. Amorem tui solum cum gratia tua mihi dones, & dives sum satis, nec aliud ultra posco. Suscipe totum me, suscipe proposita à me per gratiam tuam facta, per tuam, ut spero, gratiam implenda fideliter. Domine Jesu, tu dixisti: qui manducat meam Carnem, & bibit meum Sanguinem, in me manet, & ego in eo: ecce manducavi sanctissimam Carnem tuam, bibi Sanguinem pretiosissimum, imple promissionem tuam: da, ut maneam in te per constantiam in propositis factis. Mane in me per gratiam tuam, quæ me corroboret, & à relapsu servet. Paratus sum ea omnia impendere, quæ à me video requiri: amplectar media mihi pro-

proposita, quia serium mihi est salvari. O Jesu
intra Sacra Vulnera tua absconde me, nec per-
mittas me separari à te. *Ora hic in honorem SS.*
Vulnerum quinquies Pater & Ave ad Patrem Cœle-
stem. Pater æterne respice in faciem Christi Fi-
lii tui & miserere mei! Ille est Advocatus pro
peccatis meis; ille interpellat pro me; illius cruor
pro me perorat; eum ego totum offero in gra-
tiarum actionem pro omnibus beneficiis mihi
concessis, in satisfactionem pro peccatis, ad im-
petrandam gratiam Constantiæ in bono. Pater
respice, & miserere mei! *Pater Noster.*

Ad Spiritum Sanctum. O Paraclete Spiritus,
ô Consolator optime, scio, sine tuo Numine ni-
hil est in homine. Te rogo per immensum amo-
rem, quo homines complecteris, veni Creator
optime, & emitte cœlitus lucis tuæ radium, qui
constanter me illuminet, in via salutis dirigat,
imbecillum confortet. Veni Creator Spiritus &c.

Ad B. Virginem. O Refugium, ô Mater mea:
renovo devotiones erga te meas: totum me
tibi offero. Unum rogo; conserva me in gra-
tia Filii tui. Sancta Maria Mater DEI & Vir-
go, ego te hodie in Dominam &c.

Ad Sanctos. Sancti Patroni mei, omnes San-
cti & Sanctæ DEI intercedite pro me, ut con-
stans perseverem in propositis meis, & media
mihi proposita amplectar. *Recita Litanias de*
omnibus Sanctis.

Demum conclude orando Hymnum Am-
brosianum: Te DEum Laudamus.

Appendix
De Confessione Generali.

MOnui ab initio, Considerationes has præcipuè servire illi, qui ad veram Confessionem generalem se cogitat disponere, atque ita vitam novam ordiri. Eum in finem subjungo brevem de Confessione simili instructionem, nec non Indicem peccatorum, ut labor omnis evadat facilior.

Confessio generalis illa vocatur, in qua quis accusat se de peccatis omnibus à prima Juventute, aut ab ultima pariter Confessione generali, vel à longiore tempore factis, quam postremam alii Annuam vocant. De prima hîc præsertim agimus. Hæc subinde necessaria est, subinde non necessaria, sed utilis tamen. Necessaria est, si priores Confessiones fuerint invalidæ, aut nullæ. Invalida est Confessio ex parte Pœnitentis præcipuè in sequentibus. 1. si admissa sit notabilis negligentia in examinanda conscientia. 2. Si quis tacuit, aut non ritè explicavit peccatum grave, aut tale, de quo dubitavit, an non esset grave: quod sæpissimè fit, dum tacentur turpitudines in juventute cum aliquo metu & conscientia remorsu admissæ. 3. si verus dolor non sit elicitus, aut verum emendationis propositum defuerit; uti timendum est, ne plurimæ Confessiones in juventute fiant absque dolore debito. Non habes in casibus his aliud salutis medium, ac Confessionem de tota vita, aut incipiendo

cipiendo saltem ab eo tempore, quo omisisti aperire peccata gravia, aut dubia. Particulares Confessiones omnes si validæ fuerint, nulla est necessitas Generalem peragendi, incredibile tamen est utilitas. Sanctioris vitæ cupidi, aut de tranquilla morte solliciti hoc agunt. In primis peragunt Confessionem de vita tota; dein singulis Annis aliam peragunt, de peccatis per annum ultimum admissis. Fructus labori huic respondet uberrimus. 1. Facilius elicitur dolor serius, dum tantus peccatorum numerus uno quasi intuitu videndus proponitur. 2. Emendantur hac ratione defectus, qui in particulares Confessiones irrepsērunt; uti timendum revera summopere est, ne frequentissime irrepsērunt in Confessiones primo juventutis tempore factas. 3. Mirabilis obtinetur Conscientiæ quies, quam, nisi qui expertus est, imaginari sibi non potest. 4. Ad vitam novam instituendam nihil salubrius est, nihil utilius simili Confessione. 5. Nulla melior ad quietam mortem esse potest præparatio, ac hæc ipsa; quod unum movere quemvis hominem fortissime deberet. Revera nemo est, qui non Generalem totius vitæ Confessionem morti præmittere optat; quia ipso rationis lumine illustrati agnoscimus, esse hoc optimum adversus tentationes eo tempore occursuras remedium.

Hæc brevissime dixisse sufficiat; restat, ut pauca de ipso modo subjungam. Dæmon fructuum è tali Confessione promanantium scienti-

tissi-

tissimus, impedire eam omni modo conatur. Obtinet hoc à pluribus, quibus rem hanc velut onus intolerabile proponit. Labore & molestia deterrentur plerique. Animo hinc opus est. Labor si maximus esset, respiciendi essent fructus nobis exinde orituri, atque hac ratione res generose arripienda foret. Verum nec labor tantus est, quantus fingitur; modus faciliior, ac non experti somniant. Proponam eum paucis.

1. Qui generali Confessione peccata sua expiare cogitas, elige tibi tempus opportunum, quod à negotiis aliis magis liberum habeas, & plurima ex parte tanti momenti negotio donare possis.
2. Invoca ardentissime gratiam divinam agnoscendi omnia errata tua: quem in finem utilissimum est implorare intercessionem B. Virginis & Sanctorum. E puncto hoc omnis successus felix dependet, cum sine gratia DEI nec peccata rite agnoscere, nec debite valeamus deplorare.
3. Ipsum Examen aggredere, accurate expendendo singula præcepta Decalogi & Ecclesie, nec non septem peccata capitalia, peccata aliena &c. attendendo in his ad loca & personas, ubi, vel quibuscum vixisti &c. Hinc autem denuò observa.
4. Pro hoc examine sumendum est certum tempus v. g. mane una hora, à prandio altera: diu enim protrahere ejusmodi examen nocivum est. Pariter unum tantum præceptum uni horæ deputandum est, ut tardè & accurate expendi possint singula, & tantò major quies obtineatur.
5. Ante quamlibet Examinis horam invocanda est iterum

rum gratia divina pro agnitione peccatorum; sub finem autem horæ eliciendus est dolor serius de peccatis omnibus, maximè illis, quæ modò agnita & annotata sunt. 6. Examinato præcepto uno, examinatur alterum, sic procedendo per omnia. Quo factò, adhuc tota vita examinatur attendendo ad tempora, officia, loca, personas, quibuscum, aut ubi egimus. 7. Toto hoc tempore, quo examini huic vacas, indies lege aliquid de peccato, de novissimis aut simili materia, ut animus magis contritus ad dolorem perfectissimum disponatur: sæpiùs etiam accede templum: ferventiùs invoca sanctos: dolorem de peccatis frequentius elice. 8. Numerum peccatorum quod attinet, scribe tantum, quantum scis; si accuratum non scis, dic incertum, aut indica tempus, quo consuetudini tali implicitus fuisti; aut quoties per septimanam, per mensem factum sit. Peccata certa pone, ut certa, dubia, ut dubia. Non solum autem opera, sed & verba, & cogitationes impiæ exponendæ sunt. 9. Perfectò toto examine, non illico ad Confessionem propera, sed adhuc siste, & ferventissimè invoca DEI gratiam, ut agnoscere valeas, si quid adhuc restet in conscientia. Dein totus dies impendatur eliciendo vero dolori; quod ut meliùs fiat, sume considerationem ex supra positis, maximè de filio prodigo partes quinque. 10. Dum nihil ultra occurrit memoriæ, elige pariter tempus quietum & Confessario idoneum, ut accurate peragi queat Confessio. Hinc expedit, Confessarium

rium

rium prudentem consulere, quo tempore libeat excipere & tractare negotium hoc. 11. Demum ipsam Confessionem animo contrito institue; nihil absconde, omnia accuratè expone, ad quæstiones fideliter responde. Sub finem roga Confessarium, ut ex accepta tui notitia deponat documenta paricularia deinceps observanda. Pudor hîc omnis & timor abesse debet: nunquam enim prudenti Confessario major obtingit lætitia sacra, ac dum hac ratione Animam DEO conciliare, atque in via ad salutem dirigere potest. 12. Confessione sic factâ vita nova inchoanda est, agenda DEO gratiæ, renovandæ devotiones &c. vide Partem 6. Considerat. De Prodigio.

Ex his vides, requiri dies plures, unam ut minimum hebdomadam, ut negotium hoc eo modo, quo dixi, peragi possit. Adverteris etiam, me maximè sollicitum esse de diligenti examine, & dolore; ut postea scilicet omnis timor deponi possit, qui facile oritur, si reeorderis examen fuisse negligens, aut parvam pro dolore vero curam esse adhibitam. Confido ego de DEI Bonitate, quòd non desertura sit eum, qui hoc modo negotium salutis tractare aggreditur, sed illuminatura sit intellectum, ut omnia peccata agnoscat, inflammatura voluntatem, ut serio dolore omnia detestetur, atque ita vitam novam ordiatur ad salutem suam sempiternam. Studiose, per salutem tuam te rogo, suscipe sanctum hunc laborem, ubi primùm ad maturiorem ætatem per-

perveneris: ante finem Rhetoricæ fieri omnino opto; scio enim quàm necessaria res hæc plerisque sit. Tu ipse examina Confessiones primorum annorum, & fatere, an non meritò timeas. Quid ergo tardas? Magno animo rem aggredere, labor minor est opinione tua; si autem & maximus esset, pro Cælo & anima tua esset, a deoque non recusandus. Gaudium & solatium, quod hauries, erit id, cui exprimendo nec ipse par eris. Plures vidi, qui peractâ tali Confessione in lacrymas præ gaudio effusi pedibus illius advoluti sunt, à quibus in negotio hoc peragendo instructi, & animati fuerant, gratiasque egerunt immortales, apertè fassi non capere se posse, aut explicare solatium, quod per DEI gratiam inde hausissent. Fac, quæso, & simile tu haurias, atque si necdum Confessionem de vita tota peregisti, primo quovis tempore fac, peragas; postea singulis annis institue Confessionem de peccatis per annum ultimum factis: sæpius enim totius vitæ peccata confiteri absque Confessarii consilio & causa gravi universim non expedit.

Restat, ut ad majorem rei facilitatem indicem peccatorum subnectam, ex quo in scelerum notitiam facilius veniri possit. Est ille ex Manuali Sodalitatis desumptus, omni hominum generi idoneus: quæ particularia Studiosos concernunt, sub finem addere juvabit. Præceptum sextum cautè examina, neque curiosè inquire in ea, quæ bene & sanctè præstat nescire,

Index

INDEX PECCATORUM

Sive

Examen pro Confessione Generali.

Circa Præceptum I.

1. An crediderit omnia, quæ S. Romana Ecclesia credit? 2. An verbis aut signis externis infidelitatem aliquam vel hæresim prodiderit vel probaverit, etiam solus, nullo audiente? 3. An fuerit nimium curiosus in investigandis rebus fidei; & an de aliquo fidei articulo dubitaverit? 4. An graves tentationes circa res fidei passus sit, & an negligens fuerit eis resistendo; an etiam consenserit? 5. An hæreticorum concionibus & cæremoniis interfuerit? 6. An apud se habuerit, vel legerit libros hæreticorum, aliosve libros ab Ecclesia prohibitos? 7. An sciverit omnia ad salutem necessaria? 8. An usus sit aliquo genere superstitionum, incantationum, aut divinationum per se vel per alios? 9. An schedulas supersticiosas apud se habuerit ad sanitatem, aliamve rem obtinendam, & an alios ad hoc induxerit? 10. An fidem habuerit somniis vel auguriis? 11. An verbis Scripturæ sacræ aut cæremoniis Ecclesiæ abusus sit in jocos & scurrilibus? 12. An nimium præsumendo de divina misericordia liberiùs commiserit aliquod peccatum, vel in malo perseveraverit differendo emendationem? 13. An in rebus adversis fiduciam posuerit in Creaturis potius, quam in DEO? 14. An diffi-

diffidendo misericordiae divinae desperaverit de emendatione vitae, aut remissione peccatorum, aut salute sua? 15. An murmuraverit contra DEUM, conquerendo, quasi non esset justus; vel reprehendendo ejus providentiam; quia nos privat, aut non concedit, quae optamus? 16. An rarissime de DEO & salute sua serio cogitaverit? 17. An odium vel contemptum DEI habuerit, aut aversionem ab eo, aut à rebus ad salutem spectantibus? 18. An maledixerit vel blasphemaverit DEUM aut Sanctos, etiam cogitatione tantum? 19. An exposuerit se periculo peccandi mortaliter, vel complacuerit sibi in aliquo peccato commisso? 20. An persecutus aut calumniatus sit pios, aut bona eorum opera traduxerit, & impedierit, ne fierent, maxime an à Religione aliquem impediverit?

Circa Præceptum II.

1. An juraverit sine necessitate, sed cum veritate & in re non mala? 2. An juraverit falsum sciens esse falsum, aut saltem dubitans, an sit verum, sive ex joco factum sit & in re levi, sive alio modo? 3. An juraverit promittendo, quod postea sine gravi causa non observavit; aut intentionem habendo non observandi, licet in re levi. 4. An causam dederit alicui, ut falsum juraret, vel non observaret juramentum licitum? 5. An juraverit adjunctâ maledictione v.g. auferat me diabolus, tale malum mihi eveniat, si non fecero hoc &c? 6. An jura-

E c

verit

verit, se commissurum aliquod peccatum, aut nō
 hil boni facturum, vel non servaturum Evari-
 gelica consilia? 7. An juraverit minando ali-
 cui sine intentione exequendi juramentum, li-
 cēt in re levi? 8. An in peccato mortali Reli-
 gionem juramenti induxerit v.g. crimen alterius
 occultum non sine notabili eius infamia cum
 juramento revelaverit? 9. An in iudicio ju-
 raverit falsum, vel juridicē interrogatus non
 responderit conformiter intentioni Judicis,
 vel consilium dederit aliis id faciendi? 10. An
 juraverit vel etiam habuerit consuetudinem
 jurandi, non curando, an verum juraret an fal-
 sum? 11. An blasphemaverit DEum aut Sanctos,
 & an usus sit maledictione, execratione,
 contumeliâ in DEum aut Sanctos? 12. An dia-
 boli invocatione usus sit, ejus auxilium ex ani-
 mo poscendo? 13. An se ipsum illi devove-
 rit, corpus vel animam ei dederit, aut filios,
 servos & proximos? 14. An fecerit votum fa-
 ciendi aliquod bonum, & non impleverit, vel
 an distulerit in longum tempus? 15. An vove-
 rit aliquid cum intentione non implendi vo-
 tum? 16. An voverit, se aliquod bonum non,
 aut aliquid mali facturum, aut bonum acturum,
 ex malo fine?

Circa Præceptum III.

1. An dies festos violaverit faciendo, vel
 mandando aliis opera prohibita, vel facienti-
 bus consentiendo? 2. An omiserit audire Mis-
 sam, aut ejus notabilem partem die festo sine
 causa

causa legitima ; aut an periculo se exposuerit eam non audiendi ; vel causam aliis dederit idem faciendi ? 3. An per notabile temporis spatium in Missa diebus festis fuerit voluntariè distractus omnino , loquendo , ridendo , vel occupando se in rebus inanibus absque debita attentione ? 4. An curaverit alios curæ suæ subiectos diebus festis interesse Sacro ? 5. An inutilia itinera aggressus sit exponendo se periculo non audiendi sacrum die festo , vel choreis , ludis , deambulationibus vacando , & ad hæc alios invitaverit ? 6. An officium divinum interturbaverit clamoribus , colloquiis aut deambulationibus in templo ? An Confessus sit minimum semel in anno , & curaverit , ut idem facerent subiecti ? 8. An Confessus sit sine antegresso examine diligenti , vel sine proposito deferendi peccatum aliquod mortale , aut sine debito dolore , vel tacuerit aliquod mortale aut dubium peccatum in Confessione ; aut an defectu sufficientis examinis non integrè omnia mortalia aperuerit ? 9. An quovis anno tempore Paschæ communicaverit debite paratus ? 10. An cum conscientia certa vel dubia peccati mortalis receperit aut administraverit aliquod Sacramentum Ecclesiæ ? 11. An jejunaverit per quadragesimam , vigiliis , & quatuor tempora , dum obligatus fuit , anno scilicet vigesimo primo expleto ? & an talibus diebus usus fuerit cibis prohibitis , aliisve causam dederit idem faciendi ? 12. An propter gulam non curaverit transgredi

aliquod præceptum? & an intemperantiùs comederit vel biberit cum damno sanitatis notabili, & an sponte se inebriaverit? 13. An violaverit Ecclesiam aliquo peccato carnis vel effusione sanguinis? 14. An incurrerit aliquam excommunicationem, vel excommunicatus particeps fuerit alicujus Sacramenti, aut interfuerit officio divino? 15. An censuram aliquam Ecclesiasticam incurrerit, aut eam irretitus contrarium quid ac prohibitum admiserit: quod & de irregularitate intelligendum? 16. An contumeliã vel irreverentiã aliquã affecerit imagines, Reliquias sacras, aut res alias, ut Sacramenta & Ecclesiæ ceremonias? 17. An obligatus ad recitandum Breviarium aliquid aut omiserit aut distractus notabiliter oraverit? 18. An ex pigritia vel tædio spiritualium rerum bonum aliquod opus, ad quod tenebatur, omiserit?

Circa Præceptum IV.

1. An parvo honore affecerit Patrem & Matrem? 2. An offenderit vel etiam contempserit illos facto, verbo contumelioso aut etiam detractorio? 3. An maledixerit Patri vel Matri, vel in eorum absentia eos execratus sit, & dedecore affecerit? 4. An parentes vel affines erubuerit, eosque contempserit, quia pauperes? 5. An Parentes ad iracundiam provocaverit, vel contristaverit? 6. An eos odio habuerit, temerè de illis judicaverit, vel suspicatus sit? an inimicitiam & rancorem adversus eos retinuerit & quam

quamdiu? 7. An invidus fuerit in Parentes & Superiores & in fratres &c. 8. An obediverit Parentibus vel Superioribus in re justa, aut tali, quæ cedere poterat ad damnum domûs, communitatis, aut animæ? 9. An Parentibus in necessitate existentibus subvenerit? 10. An deliberate optaverit eorum aliquod damnum grave, vel etiam mortem ad obtinendam hæreditatem? 11. An executus sit testamentum defunctorum? 12. An ex nimio Parentum amore parùm curaverit offendere DEum? 13. An detraxerit Superioribus Ecclesiasticis, aut sæcularibus, aut Religiosis, cum damno secuto? 14. An subvenit pauperibus? an nimis erga hos fuerit durus verbo aut facto? 15. An Parentes maledixerint filiis; eos rite educaverint, instruxerint, castigaverint errantes &c. 16. An servi & subditi obediverint Dominis suis in re justa, aut an in iniqua? 17. An Domini curam gesserint pro subditis, Patres familias pro domesticis &c.

Circa Præceptum V.

1. An aliquem habuerit odio cum desiderio se vindicandi, & quamdiu in eo perstiterit? 2. An optaverit alicui mortem vel aliud malum grave? 3. An irâ commotus fuerit in aliquem cum intentione ei nocendi, vel vindictam gravem sumendi? 4. An homicidium perpetraverit opere aut voluntate quocunque modo? 5. An causam dederit abortûs vel infanticidii? 6. An litigando cum aliis verberaverit, vulneraveritve

aliquem, aut alteri hoc commiserit, vel factum approbaverit, aut facientes juverit, impulerit; & qualis fuerit persona, an fortè sacra? 7. An noluerit veniam petere vel pacem inire cum illis, quos offendit? aut an debite satisfecerit? 8. An noluerit condonare injuriam ab aliis illatam, justam etiam satisfactionem offerentibus? 9. An ex odio omiserit alloqui, aut salutare aliquem, aut alia consueta amicitiae signa neglexerit, licet sine odio? 10. An in rebus adversis sibi optaverit mortem; aut ex furore seipsum verberaverit, vel maledixerit? 11. An maledixerit aliis sive vivis, sive defunctis serio? 12. An alicui prae-buerit causam peccandi consilio, jussione &c. 13. An seminaverit lites & jurgia, aut inimicitias inter alios, & inter quos? 14. An ex odio voluntario vel invidia tristatus fuerit de aliorum prosperitate; aut gavisus fuerit de aliorum damno? 15. An ex ira alios offenderit verbo injurioso & contumelioso? 16. An aliis fuerit adulatus, laudando eos in re mala, aut defendendo? 17. An malo suo exemplo, consilio aut alio quovis modo induxerit alterum ad peccatum, aut avocaverit à bono? 18. An correxerit peccantes in sua praesentia, dum ad hoc obligabatur? 19. An omiserit aliquem admonere de peccato, quem probabiliter sciebat hac admonitione emendandum? 20. An hospitio exceperit extorres aut homicidas, vel ullo modo eis subvenerit? 21. An mali aliquid dixerit de proximo sine justa causa, patefaciendo v. g. occul-

occultum ejus errorem cum infamia; aut an verum, an falsum sic dixerit; an apud unum, an plures?

Circa Præceptum VI. & IX.

1. An habuerit cogitationes inhonestas & immundas; illis voluntariè inhæserit cum delectatione; & an solum cogitationibus, an etiam rebus turpibus fuerit delectatus; & ad quas personas illa delectatio fuerit directæ, an ad conjugatas, solutas, religiosas &c. 2. An locutus fuerit inhonestæ & lascivæ, delectando se rebus per verba illa denotatis; aut an similia audiverit cum delectatione? 3. An legerit libros vel historias impudicæ, & an talibus delectatus fuerit; & an nulla inde motio lascivæ aut pollutio secuta sit? 4. An usus sit verbis inhonestis cum intentione peccandi, aut alios provocandi ad peccatum, & ad quale? 5. An voluntariè licet brevissimo tempore habuerit desiderium contra castitatem, & quo modo vel cum qua persona? 6. An polluerit se, & in hoc actu desiderium habuerit peccandi cum alio, vel alium sibi fuerit imaginatus? quod idem dicendum de tactu inhonesto. 7. An pollutus fuerit in somno, an causam dederit, vel in hoc actu delectatus postea fuerit? 8. An impudicè tetigerit se vel alios, & quos? aut an se sic tangi permiserit? quod etiam de amplexibus, osculis &c. dicendum; & quo fine? 9. An animo peccandi miserit nuntia, munera, litteras; aut me-

diator fuerit in aliis ad peccatum turpe inducendis? 10. An adierit vel transferit locum aliquem cum malâ intentione aspiciendi; & an solo visu delectare se voluerit, an etiam peccato? & cui periculo se exposuerit? 11. An amore carnali affectus fuerit erga personam aliquam, sequendo eam animo peccandi &c. an non in simili casu varia peccata intervenerint, fortè etiam cum damno alterius? 12. An fucus, odoribus, musicâ, choreis & similibus usus fuerit ex malo fine? 13. An ipso opere peccaverit cum aliis, & cum quibus? & an fortè per vim aut dolum, aut promissionem fictam eos induxerit ad peccatum? 14. An jaçtaverit le de tali peccato, personas etiam nominaverit cum damno famæ? 15. An peccaverit peccato foedissimo sodomix? 16. An inhonestè tetigerit bestias, aut aliud peccatum cum illis commiserit? 17. An fuerit aliis causa aut occasio peccandi in hac materia, & quo peccato, cum quibus? 18. An vitaverit occasiones proximas sic peccandi? Conjugati hîc se examinent circa statum suum, cum etiam ipsi peccare in hac re gravissimè possint.

Circa Præceptum VII. & X.

1. An rem alienam sustulerit per fraudem vel rapinam, & an rem sacram, vel è loco sacro? 2. An grave alicui damnum quovis modo intulerit? 3. An rem alienam retinuerit sine voluntate Domini, & non restituerit, cum posset?

4. An

4. an per vias illicitas impediverit aliquorum iura? 5. An gravia debita contraxerit cum damno proximi? 6. An studuerit debita sua solvere? 7. An rem inventam restituerit Domino, aut diligentiam adhibuerit Dominum experiendi? 8. An deposita vel commodata & locata amiserit vel detrimento affecerit? 9. An emendo aut vendendo fraudem fecerit in pondere, mensura &c. 10. An emerit quædam ab iis, qui vendendi potestatem non habent, ut à servis aut filiis familias? 11. An emerit res, quas sciebat, vel dubitabat esse furto sublatas? 12. An habuerit animum accipiendi aut retinendi aliena, vel colligendi opes per fas & nefas? 13. An commiserit usuram, simoniam, vel contractum iniquum iniverit? 14. An officium suum ritè impleverit sine damno proximi? 15. An operarios aut famulos fraudaverit mercede sua, vel hanc cum damno eorum distulerit? 16. An litem moverit contra justitiam, vel in lite justa usus fuerit fraude? 17. An ludis vetitis usus fuerit, aut in illis per fraudem aliquid fuerit lucratus, aut luserit cum illis, qui res suas alienare non possunt? 18. An defraudaverit gâbellas? 19. An Ecclesiam spoliaverit decimis? 20. An per media illicita obtinuerit rem sibi indebitam, aut impediverit alios injustè à bono aliquo obtinendo? 21. An auxilium vel consilium dederit, vel ullo modo participaverit raptoribus rei alienæ?

E e 5

Circa

Circa Præceptum VIII.

1. An falsum testimonium in aut extra iudicium dederit? 2. An injustè aliquem accusaverit, vel sententiam iniquam tulerit? 3. An mentitus sit cum aut sine damno proximi? 4. An in re gravi murmuraverit de vita aliorum, maxime hominum honoratorum? 5. An secretum sibi commissum, vel aliquid clam visum revelaverit, cui non debebat? 6. An aliorum litteras aperuerit & malo fine quidem? 7. An temerarium habuerit iudicium de dictis aut factis proximi? an suspiciones absque fundamento? 8. An animo obligandi se aliquid alteri promiserit, & postea sine causa non impleverit? & an damnum proximi secutum sit?

Circa Peccata Capitalia & Aliena.

1. An superbus fuerit, iudicando bona tum corporis, tum animi haberi ex sua industria, & meritis? 2. An vanè existimaverit se habere bonum aliquod, quod non habet, meliorem esse ac alios, cæteros etiam contemnendo? 3. An gloriatus sit in re aliqua mala? 4. An, ut magni fieret, jactaverit se de aliquo bono? 5. An fuerit ambitiosus, inordinate desiderando honores, atque ad hos forte illicito medio usus sit? 6. An, ne ab aliis parvi fieret, fecerit aliquid, quod non debebat; aut omiserit, ad quod obligabatur, vel carpsit pia opera v. g. Confessiones frequentes, preces, &c. 7. An pertinaciter

ter veritatem impugnaverit, ne victus videretur? 8. An per arrogantiam alios contempserit faciendo aliquid in eorum dedecus aut contemptum? 9. An ex fastu & superbia nimios sumptus fecerit? 10. An inviderit aliis, & quomodo? 11. An peccaverit malè consulendo, suadendo, consentiendo peccatis, provocando ad peccatum, adulando peccatoribus, approbando eorum scelera, non impediendo peccata, prout debebat per monitionem aut castigationem, aut defendendo & recipiendo impios? 12. Demum an non deliquerit contra obligationem statûs & officii particularis.

Habes hîc Studiosè, Indicem pro omni hominum genere pridem confectum; tu circa particularia quædam te etiam examinabis, in quibus Studiosus errare potest, quæ sunt fermè sequentia. 1. Quomodo te gesseris circa SS. Mystèria Confessionis & Eucharistiæ? 2. An seriò te applicaveris studiis? 3. Quam reverentiam habueris erga Superiores & Parentes? 4. An nihil factum sit contra Puritatem in juventute prima, quando necdum capiebas gravitatem peccati? item de loquelis, tactibus, cogitationibus Castitati adversantibus &c. 5. An non neglecta Sacra die festo, vel non rite audita? 6. An non adhæseris consortio pravo? 7. An neminem seduxeris, docendo res illicitas, incitando ad peccatum, avocando à bono? 8. An accepto usu rationis te converteris ad DEum per actum amoris, & deinde per vitam sapiùs elicueris
actus

actus Fidei, Spei, Charitatis? 9. An didiceris necessaria ad salutem? 10. An negotium Vocationis seriò tractes, aut amore sæculi te abstrahi finas à Vocatione nonnihil duriore? Alia si quæ sunt, DEI bonitas suggeret illi, qui seriam in his diligentiam adhibet. Subjungo jam affectus Contritionis ex P. Segneri, ut illis uti possis tempore, quo Conscientiam more suprà dicto examinas; iuvabit post singulas horas examinis unum ferventer elicere.

ACTUS CONTRITIONIS.

1. O DEUS meus, plus doleo, quòd te offenderim, quàm ob quodcunque aliud malum. O Immensa, infinita bonitas, amo te super omnia!
- 2 O bonum incommutabile! ô qualem tecum feci commutationem! confundor de ea cogitans. Verè non potuit tam gravis committi injuria, nisi ab amente aut furioso. O si possem illam meo delere sanguine! si alia ratione nequeo, non cessabo, dum vivam, plangere. Et ad resturandum honorem tuum, quem peccando abstuli, libens & prompto animo cupio per Confessionem satisfacere.
3. Domine mi amantissime, quodnam ex peccatis meis possum habere solatium? unum, unum est; quia damnum omne in me ipsum refunditur. Verum est, peccavi; sagittis te configere ausus sum, sed ex omnes in caput meum retortæ sunt; itaque me unum vulneravi. Ergo sicut summe me peenitet tantæ malitiæ, ita maximum

ximum mihi affert gaudium, nihil quidquam absolutissimæ tuæ felicitati fuisse detractum, quâ frueris. Gaude, ac fructu illâ, ô Domine, mihi que pro pietate tua largire gratiam, ut vivere me tædeat, nisi ad tuum beneplacitum possim vivere.

4. Domine mi, unicè adorande! ecce ad pedes tuos me abiicio pudore confusus ob enormes injurias, quibus te offendi. Oro supplex veniam & quantum possum, eas detestor, quia tu es Sanctissimus, Sapientissimus, Amabilissimus, & dignus ab omnibus creaturis infinitis honorari obsequiis. Vellem potius omnibus pœnis succubuisse, quàm te offendisse, petoque imposterum potius eas perpeti, quàm pristinam iterare offensam. Tu mihi benignissime concede per illum amorem tenerrimum, quo me creâsti, conservâsti, redemisti, ut ita fiat. Interea impertire mihi gratiam, ut sciam bene confiteri peccata mea; quæ ego firmiter propono omnia eo candore ac sinceritate manifestare, velut tibi ipsi loquerer, qui omnia nôsti.

5. O DEUS infinitæ magnitudinis! tu tanquam immensus nullum non imples locum, omnia vides, omnia audis, ubique præsens es. Et ego ista sciens ausus sum peccare, quasi extra tuum conspectum degerem? Detestor horrendam impudentiam meam, quâ non fui veritus in oculis tuis talia committere. Agnosco, me fuisse meritum, ut à facie tua proiciar. Sed quid respondebo tibi, ô DEUS meus? etsi me omni-
bus

bus pœnis subiiceres, nihilominus detestarer peccata commissa; quia Tu es, qui es; dignus infinitè amari etiam ab illis omnibus, quos odisti.

6. O DEus infinitè potens, cui tanta debetur reverentia, ut in conspectu tuo omnes Angeli contremiscant in Cœlo, Principatus & Potestates. Et ego terræ vermis abjectissimus non destiti in te esse injuriosus! O quantum ergo, Domine mi, facinus istud detestor! ignosce, obsecro, non aliam ob causam, quàm ut tibi reddas eam gloriam, quam tibi subacti pariunt rebelles. Fateor, ex eorum numero me primum esse, atque omnium arrogantissimum & insolentissimum: ideòque tantum me tuæ Majestati submitto, quantum te antea sprevi: paratus a te etiam in nihilum redigi, si prævideas, rursus à me contemptui habitum iri.

7. O DEus infinitæ justitiæ! Ecce reum ad pedes tuos prostratum, qui toties ausus est tuam irritare indignationem. Si me tandem pro merito punire vis, agnosco te Dominum meum; feri & stringe fulmina. Quod enim malum atrocius me poterit obruere, quàm quod incurri offendendo Te? hoc est malum illud, quod cætera omnia meretur: hoc est, quod me affligit & angit, quòd adeò parvi te fecerim. Domine mi amantissime, non ita fiet amplius. Atque in signum firmissimi hujus propositi ad te confugio, meque offero libentissimè qualicumque castigationi, quam mihi peccatum afferre posset, dummodo non peccem.

8. O DEUS infinite misericors ! Si unquam vere demonstrasti , quod tua clementia omnes excedat terminos , id nunc apparet , dum in hanc usque horam me sustinuisti . O inaudita tolerantia ! ô ineffabilis pietas ! Quis ex terrenis principibus vel unicum eorum passus esset contemptum , quibus ego te despexi , quin eum dirissimis exterminaret modis ? Verissimum esse profiteor . Tanta hæc amabilitas , quam tibi inesse video , facit , ut compunctus nunc multò majorem peccatorum meorum dolorem concipiam . Et quomodo potui unquam esse ita temerarius , & arrogans , ut te DEUM tam bonum offenderem ? prius me tellus dehiscens absorbeat , quàm similem offensam rursus committam . Firmiter apud me decretum est , quod , etsi certissimò mihi constaret , nullam mea peccata insecuturam esse poenam , semper tamen ea vellem vitare atque abominari , tantummodo ne tua abuterer bonitate .

9. O quàm Te non agnovi , Rex gloriæ , quàm ego Te non agnovi ! si vel parum luminis habuissem , quomodo te potuissem commutare fontem vitæ æternæ cum foetidissimis meorum voluptatum cisternis ? Tu Domine mi , semper fuisti , & eris desideriorum meorum centrum ; quidquid hæctenus apprehendi , non superest amplius , & velut umbra evanuit . Et nihilominus vanissimæ huic umbræ te postposui , incredibili ausu tibi insultando , etiam , si fieri potuisset , peccatis meis ex universo hoc Te eliminaturus . Non , non , quod iterum deplora-

ro cum intimo cordis mei sensu & amaritudine, non te agnovi ! Sed non ita fiet deinceps. Ita protestor coram curia tua cœlesti, in cujus conspectu sto. Quamdiu. tu eris DEus, ego tuus ero fidelis servus. Prius opto in nihilum redigi, quàm tibi rursus esse infidelis.

10. Peccavi, quid faciam tibi, ô Custos hominum ? Itane, Domine mi, peccavi, & peccatum tam grande ? Quid nunc faciam ? an excogitabo rationes subterfugendi iram tuam ? sed quis ego sum, ut me potius respiciam dignissimum omni pœnâ, quamcunque mihi irrogas ? Tu verò solus respiciendus es mihi. Quid faciam tibi ? Cuperem invenire modum, quo ereptum tibi honorem, mihi que vindicatum restaurarem. Ideoque ecce in conspectu omnium creaturarum fateor, me tali actu extitisse ingratiſſimum ac perfidiſſimum proditorem. Retracto has omnes injurias, non aliam ob causam, quàm amore Tui. Ideò ex toto corde doleo ; ideò abominor, quia te amo ; ideò decrevi millies mori, quàm ut te iterum offendam. Tu optime Custos hominum, custodi me ut rem tuam : sed custodi me ab illo malo, quod censeo esse gravissimum omnium, à Tui scilicet offensa.

11. Omnipotens, æterne DEus, cujus bonitas est infinita, ineffabilis pulchritudo, immentia Majestas. Ecce coram te sto monstrum ingratitudinis. Tu me creâsti ad imaginem tuam ; creaturas omnes ad meum obsequium produxisti ;

xisti; natus sum inter Christianos, ut veræ fidei lumine fruerer; conservasti me in hanc usque horam, propulsatis tot animæ & corporis periculis; adoptasti me in filium per baptismum, meque toties participem fecisti meritorum pretiosi Sanguinis tui per Confessionis & SS. Eucharistiæ Sacramenta, te ipsum mihi præbendo in cibum: toties me ad pœnitentiam vocasti, ac tanto me tempore expectasti, cum posses adversus me subito ferre damnationis sententiam: redemisti salutem meam infinito tuæ vitæ pretio, dignatus amore mei fieri homo, & quidem homo inops & pauper, miseris, laboribus, omnique injuriarum genere oppressus usque ad mortem, inter duos latrones exantlatam. Pro me contristatus es in horto, sudasti Sanguinem, vires & robur tuis hostibus dedisti, ut te ligarent, calcarent pedibus, percuterent, illuderent, conspuerent, flagellarent, coronarent spinis & turpissima tandem morte occiderent. Et ego audacissimus peccator non modo nullas pro tantis beneficiis gratias retuli, sed & tuam contempsi amicitiam, legem calcavi, promissiones, labores, passionem & mortem tuam contempsi. Et cur? an emolumentum cujusdam studio? Eheu pro nihilo te calcavi pedibus, pro maledicta voluptate, cujus me pudet meminisse. Quis unquam Regi suo adeo ingratus extitit, sicut ego tibi Regi meo, Patri meo, Creatori, & omni bono meo? si ego ab homine minimam gratiarum partem accepissem, quales tu

F f

mihi

mihi largitus es, nescirem, quibus modis meam
ipſi conteſtarer gratitudinem; tibi verò non
modò gratias non ago, ſed mille te modis of-
fendo. O peccata execranda! ô ut illa nunquam
perpetraſſem! maledicta voluptas, cujus cauſa
dereliqui fontem vitæ æternæ! O ſi elegiſſem
potiùs mala omnia perpeti, quàm te offendere!
agnosco nunc culpam meam ex tot indignis me-
is actionibus atque ingratitude, meque om-
ni ſupplicio dignum profiteor in conſpectu tuo!
Cùm verò aliud mihi non ſuppetat remedium,
præter pœnitentiam, vellem tuæ Majeltati à
me offenſæ ſatisfacere ingratiſſimus peccator
tam validâ deteſtatione, qualis unquam in cor-
de humano extitit. Deſidero omnem dolorem
poſſibilem ſentire, & eum humillimè à te fla-
gito: at novi, me indignum eſſe hac gratiâ. Non
ſum dignus levare ad Te oculos meos. Ergo
ad pedes tuos me abiicio, & confiteor iniqui-
tates meas, heu nimium graves & multas, re-
que enixè rogo, dele iniquitates meas omnes.
Non mereor ego hanc gratiam, meretur tamen
Sanguis tuus pro me effuſus; merentur pro-
miſſiones tuæ, quibus pœnitenti mihi Spem
fecisti: in illo confido, per has te rogo. Ne
reſpicias multitudinem peccatorum meorum;
ne recorderis ingratitude meæ, ſed magnitu-
dinem miſericordiæ tuæ infinitæ ſolam attende.
Proteſtor, quòd plùs quàm omnia mala dete-
ſter delicta mea amore Tui, atque ex animo
diſpliceat mihi, quidquid contra te ſummum
bonum

bonum meum admisi : & licet infernus non esset aut paradisi gloria , nihilominus summè odissem & damnarem peccata mea , solùm quia tu ea odisti & abominaris. Statuo nunc , & propono firmissimè cum tua gratia vitam meam emendare , & potius rerum omnium facere jacturam , quàm te rursus offendere : non committam me periculo excidendi denuo tuâ gratiâ. In confirmationem horum omnium confessionem instituem. Tu , qui nosti benefacere pro malefactis , largire mihi gratiam per sanctissimam tuam Passionem , ut dignè valeam confiteri : adesto mihi in omnibus tentationibus , illumina mentem meam , corrobora voluntatem , ut constans permaneam in hoc proposito potius moriendi , quàm te offendendi.

Ecce actus & affectus doloris , quos dicto antè modo usurpabis , sed tardè & attentè recitando : postremum ante Confessionem præscripsit P. Segneri. Suggestent libelli precum plures ejuscemodi orationes. Tu rem magno animo susceptam pari studio & fervore conclude , ut ad salutem cedat sempiternam. Atque hîc finem pono. Quod te per salutem tuam rogo , est , ut totus vivas DEO & animæ tuæ. Misere Animæ tuæ , atque impressum tibi habe illud Tobix monitum : *Fili mi , omnibus diebus vita tuæ in mente habeto DEUM & cave , ne aliquando peccato consentias. Idem inculcat DEUS ipse , sic loquens per Ecclesiasticum : Memento Creatoris tui in diebus Juventutis tuæ. Memento!*

Index



INDEX RERUM.

Allocutio prævia ad Studiosum 1.
Oratio præparatoria. 9.

Consideratio I.

De fine Hominis à DEO creati. 11.
Pars I. Finis Hominis in hac Vita. 12.
Pars II. Finis Hominis in altera Vita. 18.

Consideratio II.

De Paucitate assequentium Finem suum,
nec non de Mediis hunc assequendi.

Pars I. Paucitas assequentium finem suum. 25.
Pars II. Media assequendi finem suum. 32.

Consideratio III.

De Peccato Mortali.

Pars I. Malitia Peccati ex natura sua. 41.
Pars II. Malitia Peccati è suppliciis deducta. 65.
Pars III. Malitia Peccati ex effectibus cog-
ta. 81.

Consideratio IV.

De Peccato Veniali.

Pars I. Natura Peccati Venialis. 107.
Pars II. Supplicia Peccati Venialis. 119.

Con-



Consideratio V.

De Peccatis Studiosorum.

I. Pars I. Peccata Studiosorum falso creduntur esse tantum venialia & levia. 136.

9. Pars II. Multa sunt, quæ Studiosorum peccata aggravant. 143.

11. Pars III. Peccata Studiosorum graviora sunt peccatis aliorum hominum. 148.

12. Pars IV. Gravitas Peccatorum in Studiosis non minuitur per ætatem, ignorantiam &c. &c. 159.

18. Pars V. Peccata Studiosorum terribile manet Judicium, terribiles pœnæ. 173.

Consideratio VI.

De Morte Hominis.

25. Pars I. Quid sit Mors, & quanti momenti sit. 187.

32. Pars II. An, quando, ubi, quoties moriendum? 195.

41. Pars III. Quæ sit Mors Piorum, quæ Impiorum. 206.

Consideratio VII.

De Consequentibus Mortem Hominis.

65. Pars I. Quid circa Corpus Mortui agatur? 220.

gni- 81. Pars II. Quid circa Animam Mortui agatur? 228.


Consideratio VIII.

De Judicio Universalis.

107. Pars I. Præcedentia Judicium. 242.

119. Pars II. Ipse Actus Judicii, & Sententia. 255.

Con-



Consideratio IX.

De Poenis Inferni.

- Pars I. Poenæ Corporis à Damnato sustinen-
dæ. 270
- Pars II. Poenæ Animæ damnatæ. 290.

Consideratio X.

De duplici Æternitate.

- Pars I. Quid sit Æternitas? 313.
- Pars II. Pro quo sit Æternitas? 327.

Consideratio XI.

De Filio Prodigio.

- Pars I. Filius Patrem deserit, & quare? 341.
- Pars II. Filii Prodigii Vita extra domum Pa-
tris. 346.
- Pars III. Miseria Filii Prodigii. 350.
- Pars IV. Prodigus in se reversus, quid fecerit?
357.
- Pars V. Filius Prodigus quomodo exceptus à
Patre fuerit? 369.
- Pars VI. Quid Filius post reditum egerit? 379.

Consideratio XII.

De Constantia in bene cœptis.

- Pars I. Constantiæ necessitas: Inconstantia
detrimenta. 395.
- Pars II. Media ad Constantiam. 407.
- Tabula rerum, in quibus Adolescens Studiosus
se vincere potest. 417.

Appen-



Appendix

De Confessione Generali.

427.


Index Peccatorum, sive Examen pro Confessione Generali.


Circa Præceptum I.	428.
Circa Præceptum II.	429.
Circa Præceptum III.	430.
Circa Præceptum IV.	432.
Circa Præceptum V.	433.
Circa Præceptum VI. & IX.	435.
Circa Præceptum VII. & X.	436.
Circa Præceptum VIII.	438.
Circa Peccata Capitalia, & Aliena Actus Contritionis.	438. 449.


FINIS.


O. A. M. D. G.
















Th
4518